Digitized by Google



7s 2536.

104-2.

W. 2. of 2437

Digitized by Google

F.L.C.
14.714

Digitized by Google

1

Digitized by Google

MELISSI

SCHEDIASMATA POETICA.

Secundo edita multo auctiora.

PRIVILEGIIS

ROMANI CÆSARIS AD VII. ET FRANC. REGIS AD IX. ANNOS.

LVTETIÆ PARISIORVM.

Apud ARNOLDVM SITTARTVM sub scuto Colonienſi, monte divi Hilarij.

Anno CIↃ IↃ LXXXVI.

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA MADRID

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

SVMMA PRIVILEGIORVM.

HEVS typographe, bibliopola, librarie, quisquis es: MAXIMILIANI II. Rom. Imp. Privilegio, anno CHRISTI M. D. LXIV. menſe Septembri Viennæ, item HENRICI III. Franc. & Polon. Regis, anno M. D. LXXXV. menſe Jan. Pariſiis dato: illo quidem ab editione uniuscuiusque operis in VII. hoc verò in IX. annos conceſſo: cautum mihi eſſe ſcito, ne quis vel in Germaniâ vel in Galliâ lucubrationes meas, præter cui commiſero, excudat, alibive excuſas vendat. Commiſi autem hanc SECVNDAM Poëmatum meorum editionem ARNOLDO SITTARTO, in celeberrimâ Pariſiorum Academiâ bibliopolæ jurato; TERTIOque iterandam promiſi. Quapropter labores alienos ne involato, fucum ullum ne facito, citraque conſenſum meum nihil audeto. Si quis huiusce cautionis ergo adverſus ea fecerit, fraudem frauſus; mulctam pœnamque in Diplomatis eſtimatam luere damnas eſto.

MELISSVS.

Digitized by Google

IN HOC MELISSI OPERE CONTINENTVR

EMMETRA, ad æmulationem Pindari modulata.
MELICORVM libri.
EPICA.
ELEGIARVM libri.
MVSÆ, id eſt, Epigrammatum libri IX.

In ſequentibus partibus exſpectato

EArina, Therina, Oporina, Cheimerina; in quibus Hendecaſyllabi verſûs.
Odarum Noricarum libros II.
Monocola.
Parodias.
Carmina ſacra.
Acanthas.
Vrbes.
Epigrammata e Græco.
Symmicta.
Eiconas præterea, Inſignia, Symbola, Gamelia, Epitaphia.
Alia nonnulla, quæ omnia jam abſoluta prelum deſiderant.

Digitized by Google

PAVLI MELISSI Lamnes

SCHEDII, FRANCI,

GERMANI

~~*COMITIS PALATI-*~~
~~*ni, Equitis, Laureatique*~~
~~*Poëtæ, Civis Romani*~~

EMMETRA.

Digitized by Google

Digitized by Google

[redacted]

Antistrophe IV.

BEata bonis tuis have Albionia tellus,
Itidemque Londinum, urbium decus,
Aulico celebre fulgore. Tuque adeo
Vnio have pretiosior
Vnionum, ROSAque rosarum Amathusidum
Nitidior, o virago; flosque florum
Potior, & summa coronarum omnigenûm
Corona: quam stipat, in orbem
Coacta, magnorum procerum manus
Purpurantium ab ostro;
Sicut Cynthiam minora turmatim
Astra polo comitantur euntem.

Epodos IV.

Volupe est tot magnifica pallatia
Spectare: jucundum est nobiles viros
Visere, & alacres principum
Dextras tagere. juvat, docta juvat
Pectora mutuis peramanter alloqui
Versibus. Dij patriam servate tutelares;
Florentemque diu numine JOVÆ
Hunc statum sic propagate, ut aucta
Posteritas clueat. Dea tu dilige vatem,
Modò digna te canantur.

Digitized by Google

AD FRIDERICVM II.
REGEM DANIÆ.

Strophe I.

MONVMENTA *veterũ si* FRIDERICE, *Rex*
Celeberrime, disquisita ponderes;
Invenire est, maximæ admirationi
Fuisse regalem Pyramidum Ægyptiarum
Situm: inde Phariam turrim, ignibus
Destinatam noctilúcis, navitæ
Quos sequerentur remigantes:
Mœnia dein Babylonica,
A Semiramide cóndita, in oculos
Incurrisse mirificè: hinc adeó templum
Ephesinæ Dianæ
Splendidissimê ædificatum.

Antistrophe I.

LEgis, Artemisiam quantus adederit
Amor, ut cineres, post nigra conjugis
Fata Mausoli, mero mistos feratur
Bibisse, & ingens struxisse decoræ sepulcrum
Regis memoriæ. Quid, nobilem
Dum colossum Solis in pulchrâ Rhodo,
Aut simulacrum fabrefactum
Forte Jovis mihi Olympij
Reris adspicere, cogitat animus?
Plus mentem (puto) tamen adficeret Cyri
Domus, exoticusque
Plutus, aureumque lacunar.

Epodos I.

OPus tuum, o DANIAE *rector,*

Digitized by Google

Miraculis hercle non cedet antiquis,
Nempe nobiliſsimorum
Fiet CORONAEVS *fontium:*
In urbe quem Noricâ, ſuis cum baſibus
Scapisque epiſtyliisque ex ære
Corinthio adfabrê curaſti
Signis adornandum fuſilibus,
Non ſine ſumptibus magnis,
Artificumque ſingulari induſtriâ.

Strophe II.

VIden' Oceanus ut ſtagna regurgitet
Aquulenta, columnato capax labro?
Quo ſuper ſtat Teuto nixus, Celta, Iberus:
Exinde Thrax, & trux Tartarus, & Moſcus atrox.
Hi cum arcubus, at illi cum cavis
Machinis collineantes, hinc trium
E medio antri Terminorum
Pectora gurgite prominent:
Ponè quos, ſub hederis tereticulis,
Fixum eſt, Rex, tuũ atque tuæ SOPHIAE *inſigne.*
Elephas militari
Cum cohorte turriger adſtat.

Antiſtrophe II.

VIgiles capite cuſtode crepidinem
Retinere Dracones tutam amant. Ab his
Surgit in gyrum, manu ſceptrum Hera geſtans,
Superba pavo: poſt armiſonâ Virgo dextrâ,
Cui noctua ſacra eſt; haſtilia
Virgo criſpans, otquiniſcens cáſsidam:
Dehinc Dea cum corde æſtuoſo, &
Cum jaculo; ac puer aliger.
Nexa penſilibus arma latus habet

Digitized by Google

Sertis; Muſicæ decus, ægidaque anguinam,
Et in uno ligamine
Ambo plexa grammata Regum.

Epodos II.

SIrenas excelſior poſt hæc
Erexit ordo, mamillis abundantem
Proſipantibus liquorem.
Delphinas inſtigant fuſcinis
Nudi puelli: premit jacentes cochleas
Protervus unguis. Equos Neptuni
Non laſſat unquam aquai rivus:
At ipſe Neptunus ſumma tenens,
Calce terit levem concham:
Dextra tridente, læva cornu prædita eſt.

NICOLAO PONTEO,
DVCI VENETORVM.

Strophe I.

NATIONIS *nomine Teutonæ,*
Prægeſtit animus gratulari
Recens adeptos honores ſereniſſimo
Venetorum duci NICOLAO,
Frontisque ſacrum tiaram.
Quid prius, quid poſterius celebrare
Habes, Calliope, laudi quod ſiet
Decorique, tam eruditione præſtanti, &
Tam facundiâ pollenti, & tam ſtrenuitatis ſingularis principi?
Quem ſolio collocavit eburno,
Suffragiorum calculis non discrepantibus,
Aſtræa dextram gladio armata,
Siniſtram bilance inſtructa; virago,

Digitized by Google

Quâ nihil æquius, quâ nihil juſtius.

Antiſtrophe I.

MIrigans undas Hadriaticas
Neptunus hilarem effert tridentem;
Tethysque Nymphæque, glaucas ſolutæ comas,
Vitreum ductitantes per æquor
Choros, ovatu reſultim
Pérſtrepunt. quin & cava litora plauſum
Tollunt unanimem. lætiſcit polus,
Revigeſcit æthra. Non videris, ut veſtri hoc
Imago Leonis ſentiſcens, vividum
Quiddam ſpiret, auratæ jubæ
Concutiens criſpulos mihi villos,
Tritónis audito tubæ clangore? Suscitat
Salaciam conchicen argutus
Triumphare, teſtarique profuſa
Gaudia nantium ſquamiveſtes greges.

Epodos I.

QVid nos facere par eſt
Senſibus humanis præditos;
Ratione carentia quum tuis, dynaſta,
Exſultent hilariter incrementis?
Communem omnium lætitiam & noſtram
Putare fas ſit, eodemque
Liceat nobis frui bono, votisque
Potiri publicis; qui Allemaniæ
Latis ab oris, per nubibus propin-
quarum Alpium fauces anfractuoſas,
Amœnitatem Patavinæ Académiæ
Quæſiimus, Muſis amici.

Strophe II.

IMperatoris manus Auſtridæ,

Digitized by Google

Veri gerula, DORNBERGVS ille,
Juxtâque FERRERIVS, Galliæ regis os
Nitidum atque eloquens, se disertos
Præconiorum gerunt an-
tistites ex omnibus Oenotriorum
Oratoribus heroum. nec potis
Meritas silere lingua promptior vatum
Secures; nec horret flore sceptri tui
Promulgator ampullarier.
Dandolus est quondam amore Petrarchæ
Peculiari prosecutus: haud secus tenes
Te gratiosam patiare, o dux,
Haberi Camenam; cui meliora
Annuerint novi Dithyrambi mele.

Antistrophe II.

VRbis hi fundamina, primiter
Surrecta liquidis endo salsis,
Canent. canent Hunnicas Barbarorum, super
Aquileâ feris dirutâ ausis,
Iras, & immane torvi
Attilæ flagrum, trucis archityranni,
Vastantis Latios fines. nec Clephum
Memorare miserint, gravem Ausonum pestem:
Vt hæc inter auctoramentum publicæ
Subcrerit rei per mutua
Vincula, & hinc insulæ maris omnes
Ionij Ægæique eidem accesserint: & ut
Pipinus æquo Venetos exce-
perit, Langobardis sub juga missis,
Jure, suis uti viverent legibus.

Epodos II.

AST hæc aliaque ipsi

Digitized by Google

Historiis debent nuncij,
Tibi qui titulos, animose, per vetustis
Germanos proceribus, admirantur
Extolluntque, summatum Italûm jussu,
Et urbium indigetum more. En,
Equites partim creas eorum, partim
Ornas donis, beasque privilegiis.
O vive felix, & sueſce non semel
Interseri fastis, annaliumque
Celebriori serie Participatæ
Vrseolæque stare gentis.

IOHANNI GEORGIO ZOBELLO, EPISCOPO BAMBERGENSI.

Strophe.

ARCTOAE *temperatrix harmoniæ Lyra,*
Cælo recepta quondam Thraciis ab oris
Post Orphea trucibus interemptum Bacchis;
Demitte Lyra chordas peramabiles,
Vt amabili plectro nobilissimi
ZOBELLI *nobilissimum filium*
GEORGIVM *more patrio cantem.*
Ille velut candidis Narcissus foliis
Progerminans, odore suavissimo
Fragrantes exspirat animas halituum.
Ille velut purpureis Hyacinthus comis,
Humeri decus explicans aureolum,
Oculos adficit voluptate
Jucundissimâ; nec pietatis egens
Nec virtutis, uti nec pulchritudinis.

Antistrophe.

ANnales prædicant æquo moderamine

Francoa MELCHIOREM *frena temperantem,*
Quâ lenis Erebipolim refusâ Mænus
Interſecat aquâ.te Radiantiæ
Nemoroſa tempe,multæ feraciæ
Glycyrrhizæ, loquuntur antiſtitem
Recens creatum. Date, date o grandes
Seu lituos ſeu tubas. nunc ingentis opus
Eſt oris. en, parente quid lætius
Tuo eſt? en,quid matre hilarius? vel ſub humo
Gaudia teſtata volent. Tibi cognatio,
Tibi cuncta propinquitas ſanguinis ac
Generis gratulatur,applaudens
Tanto muneri. Vive decus procerum,
Vive,& Semideus conſueſce dicier.

Epodos.

ARduum eſt urbes cum populis regere;
Neminique,niſi quibus a Deo
Ter optimo ter maximo tributum,ſuppetit
Volucris remigium conſilij,cæleſte numen
Imitantis,& in penetralia Geniorum
Seſe inſinuantis,excelſioribus
Sapientiæ præpetis evectum usque pennis.
Alata mens enthei poli traſcendit
Cærula,metuitque terris obtorpeſcere
Vacua. Subvolet inde reverſa,
Non niſi pacatas oleæ virentiſſimæ
Frondes reportat & populis & urbibus.

Digitized by Google

[redacted]

Indugredi velle, non cuiuslibet eſt, quamvis
Primoribus guttas ille Caſtaliæ degu-
ſtarit aquæ labris; ſed cuius propitio
Naſcentis aut Stilbon adſpexerit ortum lumine,
Ciſij Phœbéi ſatelles, aut cui Ledæus anſer
Pars Borealis æquum vocis argutæ ſonum,
Itemque Fidicula harmoniam commodam
Inſtillaverit: ut tam ligato numeris
Quàm pedeſtri ſermone dignê prædicéris.
At ne his quidem ſatis oris, nedum
Satis aderit virium, poſſe facultate
Ingenitâ ſibi viam aperire, tuique
Tubam celebrandi invenire idoneam.
Vsque minores adeó præteritis gignimur viris.

Antiſtrophe.

MAgni Demoſthenis linguæ Pelasgæ
Et Ciceronis Latinæ, quæ viguere olim,
Nunc eſt opus. nunc & plectra Mæonij vatis
Virgiliique depoſcendum. ſimul enim
Te Gallia admirata eſt, Italia expavit ſtupens,
Alemanni palmis tulere, adoraverunt Britanni,
Cantaber oſculatus, Sarmata amplexatus eſt,
Sacrique coluit & venerata eſt chori
Præſes Pallas: ubinam virum tot populis
Complacentem indagare quis quæſo potis ſit,
Provinciam licet acceptarit?
Age age Quiritum eloquentiſsime, nos umbram

Digitized by Google

Esse sinas modò (nihil enim sumus) ecquâ
Licebit apparére, luminaria
Maxima fuscante tuæ sic radio claritudinis?

Epodos.

SCaturiat ex ore meo limpidissimis
Fons laticibus, vel meri venas mulsi
Perenne, mellifluumque nectar manantibus:
Numquid inexhausto jugis eloquii tui
Faciet Oceano? quin & si cui Junonis compoti
Aërigenæ magnum per inane tantos
Pluviis ciere largê detur imbres nubibus,
Vt vel uberrimæ sint diluviei faciundæ;
Vix ille vix ad inexsuperabiles facundiæ tuæ
Accedet abyssos. Satius o quiesse homini, quàm
In cassum aliquid tentasse. Deorum est, posse finire
Tuarum STVRMI *præconia laudum.*

AD. MARCVM ANTONIVM MVRETVM AQVITANVM.

Strophe.

SICCINE *luminibus negaris Teutonum*
MVRETE, tuos præ cunctis optime vultûs
Avidâ expetentium mente? siccine te Pontifex
Aureâ Romæ nec invidendâ compede
Detinet, ne dimovendus venias loco? at tibi
Longê plura promisisse dona, divites quàm Veneti,
Battorides STEPHANVS *perhibetur, Sarmatiæ rex*
Præstans atque doctus juxta. age, numquid opulens
Potuit ille amplis rebus obtinuisse? Thybrim
Vistula certet provocare, quem pertinacem
Potis Brenta nondum sit exorare? ah, quòd si nihil heic
Valent disertê blandita Pithûs verba flexicordis;

Austero

Digitized by Google

Austero Scythâne Getâque parando opus erit
Rhetore? Dij melius, queis facundia curæ.
Passus repulsam, ter quaterque idem petat necesse est.

Antistrophe.

VErtito Melpomenen meam in Leucosiam
Natura potens rerum; ut pulcherrima Siren
Maris Hadriani facta, litus ad hoc proximum
Sive dulci voce, sive suavi tibiâ,
Sive jucundâ chely, flectere callidis feros
Agrestesque, nedum mitiore præditos ingenio,
Pelliciat tetricæ domitorem Barbariei
Monstrorumque: non ut naufragij neque sui
Neque aliorum, multo minus populariorum, sit
Causa; sed ut partim in voraginosâ Charybdi
Laborantibus, partim ab adlatrantis Scyllæ canibus
Prope óbrutis, partim denique in Syrtes periculosas
Abreptis opem ferat. omnibus ille siquidem
Vnus & unicus (ut dicto uno omnia dicam)
Muretus est sacra anchora, atque portus, atque asylũ.

Epodos.

MAgneta posse reses ferrum ducere miramur,
Ingeneratumque fœdus exploramus gnaviter.
Atqui mirificissimum est, se velut Alcidem Gallicũ
Alterum, non hominum eruditissimorum cohortem
Solùm perlecebris istuc inusitatis attrahere,
Sed Apollinem Musasque Charitasque mellilingues,
Sed Atlantiaden ad te Veneresque Minervasque,
Sed Suadelam quoque, Sirenumque totam progeniem
Planê rapere. Sentio, sentio MVRETE, *quàm me*
Constrictum teneas arctis adamántinæ catenæ
Vibulis: gustavique jampridem immane quantum
Mauarit ex ore tuo deliciarum voluptabilium.

Bibat hasce nemo, nisi cui Camenæ sint amicæ.

AD PETRVM VICTORIVM FLORENTINVM.

Strophe I.

AT EGO *improbus sanê forem,*
Qui te, optime VICTORI,
Nec amare nec colere vellem;
Te, inquam, quem viri boni
Omnes amant, colunt:
Eoque magis censerer improbus,
Qui non amorem oppidó quam libens
Hereditario familiæ tuæ
Honestissimæ cernendum ad pronepotes
Transferre conarer, haud ductariê
Sed navê. Libeat mihi te tuosque,
Dîe senex, adorare planê; quisnam
Id ne facere liceat vetassit?

Antistrophe I.

AQua fontis haud dicenda aqua est,
Ipsum nisi deriva-
ta, colore limpidula puro,
Jucundoque amabilis
Fontem sapore re-
ferat. Viden' autem, ut vena profluens
Vestræ perenne scaturiginis
Extrudat absque face latices? viden'
Vt hi rursus ipsis siphonibus acti
Porró liquorem Deæ illimem vehant?
O argentea lympha, lympha o salúbris,
Ne rogo clude, nec jugis obstipari
Cuiquam patere labra aperta fontis.

Epodos I.

PRoh ! quemnam ſalientibus
Obſtaculo eſſe rear ſcatebris?
Quemve Nilos temere Euriposque
Obturare? Valeant,
Tibi qui ſequius volunt, tuæque domo.
Abeant in malam rem, qui mihi, qui meæ
Non bene. Sed hoc acerbius doles,
Vt inaudimus, heu, tubum vitalem ex
Canalibus illis unum amœniſſimis
Fractum, ruptum. patienter fac feras.
Rarumne, ſi figuli teſta conteratur,
Aut quod humidâ ex humo eſt putrefiat?

Strophe II.

MIſeros homillos ! quid ſumus
Ah, præter æreniſæ
Ita pulveris coalitam maſ-
ſam, ut, quandoque vis parum
Saltem inferat manum,
Repentè reſolvamur; nec adfabrê
Conglutinatos tenaciſſimæ
Compaginis juvare retinacula
Queant? quo minus mireris, malè fidæ
Vt plurimum ſortis inclementiam
In nos conglomerare ſexcenta rerum in-
commoda: qualiter ſæpè quondam exeſo-
rum præcipitia tumultuoſo

Antiſtrophe II.

RVere impetu (crax!) montium
Avulſa ſolent. tellus
Gemitum dat, imaque caverna
Nequicquam remugiunt,

Digitized by Google

Impune ſubrutis
Caſæ trabibus tignisve proximæ,
Fortaſſe & ipſo colono ſimul
Proſtrato humi. jacent alia quaſſa vi
Ruinæ gravis, præter propter herilem
Fundum. ſed hæc ominoſis hoſtium
Sint occaſibus. Integrum cordis hercle
Rudera nulla quamuis minacum lapſu-
um, núllaque mala metu recurvant.

Epodos II.

DEnaſci ſenio palam eſt
Quæ nata ſunt: tamen hactenus,
Tuſciæ dulcis ocellus VICTO-
R *I, palmas ita tuas*
Animadvertit Arnus inſitas pater, ut
Suboles traducum plures nova dactylos
Protulerit aucta, ſurculosque núl-
lius evanidas in ævi ſæclum.
Vege, vige & auge perpeti robore;
Et tecum florida ſint plantariûm
Virgulta, queis rigui nec ſaliva rivi
Deſit, & medulla roris alma adſit.

PETRO ANGELIO BARGAEO.

Strophe.

QVID animum vellicatim gloriola
Titillat? calcáre quid exſtimulas o Fama
Reſidem, cantare adurgens brevia capiſtro
Ora frenatum? non, non opis eſt meæ
Angelij in BARGAEI *(papæ, cuius viri?)*
Præconia celerrimis excurrere

Digitized by Google

Veredis. Ille, ille venator omnium
Maximus, illustris instar Oriónis
Aut Persei, suas ipse laudes prævortitur,
Alite Memnoniæ raptus equo Matutæ,
Talaribusque nepotis Atlantij
Pedes incinctus: jamque caput aureum
Cæli inter sidera condidit aurea.

Antistrophe.

Vereor heu plurimum, ne, si mihi vel
Custodis Cretum cita fingier, arte impactis
Lita ceris, Dædali remigia queant, &
Plumipes factus tranem acer inania;
Tramite tam diverso ferar, quàm Thessalum
A fratribus abesse Ledeis senem
Vides. Metiri suâ se decempedâ
Quemque decet, limitesque finitos haud
Prætergredi. at nec anser volandi vi, si sapit,
Aut aquilas imitari volet, aut Phœnicem;
Hæ præpetes Jovis, illa & Apollinis.
Strepens ausit multo minus anas cati
Voces mentirier harmonicas cycni.

Epodos.

CErnis, ut Architæ quasi volatilem
Me columbum, tui BARGAEE *glutinis*
Aucupio teneat ames implicatum?
Vtut hinc avellar; retibus iterum
Pedicisque tuis illaqueer necesse est,
Pellacibus in tricas adactus escis.
Expedi nodos age, meque sine
Vagari liberè, quâ lubet, & quo-
cumque levis feret aura Apeliótæ.
Immò Thesei filo potius strictiore

Adligatum in vinculis tenebis usque. nam
Ab amico amiciter capi suave est.

AD IOANNEM MICHAELEM BRVTVM, STEPHANI POLONIÆ REGIS HISTORICVM.

Strophe I.

SICVT *humidos liquores, e sinu feti Jovis*
Interdiu cum largitate jugi
Depluentes, seu mamillis
Junonis e lactifluis
Rorem serenâ nocte Liber emulsum,
Ceresque frugipróma,
Paciferæque oleæ repertrix
Avidis petessunt desideriis:
Idemque anhelant florilegæ Napææ,
Dryadesque silvicultrices, non sine
Oreadum congrege cœtu:

Antistrophe I.

SIc vigore, BRVTE, *cæli siderumque roscido*
Mortalia optant sæcla recreari, &
Per novas subinde vires
Vitale cor animarier.
Vitæ medullam, traducesque naturæ,
Et succulenta rerum
Iapeti genus ex Olympi
Sibi fontium venis irriguis
Haurire gestit. semina quippe fas est
Et originem satori rerum Deo
Acceptam in hoc orbe feramus.

Epodos I.

QVid? astra nonne vim ratam, secunda sive læva,

Digitized by Google

In hæc infimi ſoli corpora
Exercent; hominumque temperant
Animos, qualitatesque privas
Cælitus inſtillant?
Næ, Camenis attributos ordine
Fati perpetuo motûs orbicos
Genius teſtatur ipſemet virorum
Natalibus claris celebrium,
Donisque variis adeó præditorum.

Strophe II.

NEmo ſanè, nemo quisquam nec Latinos exſtitit
Inter poëtas, nec catos Pelasgos,
Cui vel æſtro vel furori
Fuiſſe dios ambigas
Ignes, canendi cauſam. eâpſe re ſi quos
Inſtinctus ille vivax
Reddiderat generoſiores,
In eos novæ denatorum animæ
Migraſſe creditæ. ſed enim vegentes
Sine fine perpetim durant ſpiritûs,
Boni bonis ingenerati.

Antiſtrophe II.

MVſicus quòd ſi cluo ipſe, te diſerto interprete,
Nec ſpernit a me ſe procul Thaleia;
Candido imputandum Olori,
Quem Sol, Venus, Cyllenius
Sub Capricorni vertice, in domo Theſei
Sibi adſciere amicum;
Tum mediâ in regione cæli
Reſonis Lyræ chordis Threïciæ,
Chirone proximo: neque non volanti
Citò Pegaſo, marinis horoſcopum

Digitized by Google

In piſcibus dextra tuenti.

Epodos II.

FEtûs poëmatum Maro lambebat inſtar urſi:
Levis ſimius gravis Pindari
Audaces ego, liberis licet
Numeris ſtrictior, Dithyrambos
BRVTE *repræſentem,*
Rarus exempli ſequendi præbitor?
Omnes omnia non callemus. tamen
Modica explendæ ſiti facit ſcatebra
Arente quondam fauce, & æſtibus
De fomite brevi focus ingens relucet.

AD CAROLVM SIGONIVM MVTINENSEM.

Strophe.

SIC *fortuito ſtella tulit radioſiſſimum*
Pexa crinem, SIGONI, *o & Mutinenſium*
Sidus aureum, o & gemmee Félſinæ
Ocelle; ſic tulit (inquam) ſtella nupera
Ad te neſcio quid mittere fumorum
Luculenti expertium foci. Væ mihi,
Si vapor ille denſior tuo clariſſimo
Perobſcuram induit caliginem lumini
Væ mihi, ſi lampadis tuæ fulgores
Spiſſa præſtinguit nebularum mearum ætritas!
Revoco, revoco ſub incúdem minus
Ædfabrê politas, ut decebat, laminas.
Scoriam pol excoquendum craſſiorem,
Strictura ut abſiſtant tenuiores.

Antiſtrophe.

ILluſtriorem materiam mihi tu commoda

Artifex nobilisque & ſplendide, neve con-
verte gratioſum, ſed preme pollicem.
Precabor Idaliam, ne non vicem ſui
Fungens Mulciberis, vividiorem ignem
Conſtruat; qualem redauſpicandis fibris
Ex caſiâque ſurculisque turis creditur
In arâ Solis adlucente Panchaïus
Secula Phœnix ſuperſtes uls ſexcenta
Excitare. ah! flammane par noſtra poſſit tua
Reputarier? ecquid imprudens rei
Opto? non profecto, non amicum eſt numini,
Inferum chaos vel aſtris comparare,
Puro vel auro maſſulam orichalci.

Epodos.

PONe me, pone tenebricoſis abſtruſum
In locis, quo nec potis Eos roſea
Nec Phosphorus ſe candidus penetrare;
Ne tibi me talem dedero, queicum
In tenebris mices. Vt fuliginoſior
Statuâ videar annisque ſituque obſitâ;
Protinus ſimul ac tuorum unica rutilans
Ocellulorum obradiaverit ſcintillula,
Fulguris in morem, nubila & quidquid erit
Vmbræ crepuſculive diſcuſſa dabis.
At ſi Jove mortuo tu Juppiter fias,
Fulmine nos triſulco ferire cave.

AD ALDVM MANVTIVM,
PAVLI F. ALDI N.

Strophe.

QVA *te recinam lyrâ?*
Quo te memorem carmine?

O nec avitæ nec patritæ
Virtutis atque eruditionis degener
Heres, MANVTI. *jam ferê centesimum*
Portitor Helles Nepheleidos ver
Reduxit amœnum, ex quo reflorescentibus
Bonarum litterarum studiis, tuus ille
Ille tuus, politissimorum unus, excoluit
Avus Latios campos & rura Pelasga,
Averruncatis Barbarici segetibus
Lolij, Camenarumque latebras
Aganippæ fontibus inventis
Aperuit, Pindique aditum recluſit
Heliconisque, difficilem prius.

Antistrophe.

VEstigia proximê
Sectantis, idem visus est
Non sine felici labore
Præstare (quantum quidem sibi sumpsit) patriæ
Laudatus ardor. cuius in cultissimis
Qui spatiari volet hortulorum
Quincuncibus; huic suaves nec absunt flosculi
Nitere, at nec corollæ bene olentibus herbis:
Vnde suis sibi nemo non serta seligere
Comis poterit, nullo marcentia sæclo.
Felices o Manes utriusque ter & uls,
Quibus abditi post justa cineris,
Tibi carus nempe nepos ALDE,
Tibique gnatus PAVLE, *super videndus*
Bona tot possidere animi datur!

Epodos.

ET adauge propritim tibi relictam
Hereditatem MANVTI, *nec illam sine*

Digitized by Google

Extra familiæ decus erciſcundam.
Soboles tibi ſuccreſcat adoro,
Aureo quæ germine doctrinæ caput
Redimita, propáget opes ſine interruptione ſexcentos in annos.
Repullulent ſubinde ſurculi novi,
Cauſamque fructûs præ ſe ferant
Vberioris. Viridario e veſtro
Cui licuerit carpere laureolam,
Pol dignus erit novenarum
Adſcribi comitibus ſororum.

AD CLAVDIVM ANCANTHERVM.

Strophe.

TOTOS *nempe Soles, totas nempe Proſerpinas*
Vigilacibus indulges lucernis, cerebrigenæ
Operate ſacris Deæ, laborioſiſſime
ANCANTHERE: *nec tibi quidquam fenerat*
Somniculoſi Latmius Endymion
Papaveris, frontem oppidó madeſcens laſſulam
Riguæ quietis adſpergine roſcidâ.
Jam te Paterni, jam te Mercurialis
Labra docta tenent & hiante ſuſpenſum
Labello, & aure tacitê bibulâ
Haurientem aurea dicta, ſanis Panacéæ
Lita ſuccis: qualia nec vel Epidaurij
Filios, nec Æſculapium patrem medicorum almum, ſalutariora profudiſſe mediis
Credimus in floribus per Theſſala tempe,
Seu Peloponneſi per geniale nemus.

Digitized by Google

Antistrophe.

NVper duxerat te diæ sub sapientiæ
Penetralia, divini profecto vir ingenij
ZABARELLA, *mysteriorum apertiores palam*
Sensus, Oedipus velut alter, explicans,
Occulta perscrutatus Aristotelis
Reperta. quàm miraris arduam mentem viri,
Vt acumen acre sectis patuit viis!
Quid planius, quidve enodatius, aut quid
Melius queat in medium usquam adferri,
Quod absque difficiliore modo
Dispalescat? Benedictus en indole rarâ
Adolescens, germen amabile GEORGIAE
Stirpis, Aloïsio clarissimo Venetûm
Cretus senatore; totus addictus Patavij
His studiis, pendet arguto Zabarellæ ex
Ore, tuæ Pithûs morigerus monitis.

Epodos.

QVis humeris dabit alas meis, non quidem
Icarias, sed aut præpetis aquilæ, aut
Ledæi oloris; qui Zabarellam tergore
Pegasi candidissimo provectum
Per inania celeriter sequi ne retarder;
Astrica non modò poli monstra volubilis,
Sed ipsa quoque fata recluса edoçendus?
Lavite mihi, o Nymphæ Aponi, grave
Corpus, ut expiatis purius artubus,
Altior & cerro & coniferâ cypariſſo
Tollar Euganeûm super apices montium.
Age remigio pennarum applicito mecum
CLAVDI *vehere, tuo non sine Georgio.*
Nunquam discludet Olympus Olympo debitos.

Digitized by Google

AD IOSEPHVM ZARLINVM CLAVDIENSEM.

Strophe.

ZARLINE *princeps ordinis harmonici,*
Idemque Muſarum pater omnium, quot
Nunc vigent in orbe, quotque poſt vigebunt;
Ecquando Latinum de rebus ipſe Muſicis
Quod opus es pollicitus, in auras
Prodiet? ecquando mihi licebit
Tui cupidiſſimo flagrantibus
Illud intueri ocellis?
Rumpe moras age, deſideriique mei
Penitis ardoribus ſi forte non re-
ſtinguendo prorſus es, at ſaltem
Aliquantam eis recreatricem aquulam
Inverge, craſtinæ caput Auroræ
Ocyus irrorans liquidiſſimâ ſtacte,
Sinumque ſuave olente myrobalano.

Antiſtrophe.

COnjuncta Phœbo Melpomene, & tereti
Cyllenio Euterpe comes, aſtra cæli
Proſperê tibi faventis ordinarunt
Fulgentia natali luce, non ſine intimæ
Et Eratûs & Veneris amico
Lumine. finxere celebriorem
Bonæ hinc Charites, laborque rite cla-
ravit altus architectum
Harmoniæ. Nova tu priſcaque plurima ſym-
metriis aptas ſuis, ſymphoniasque
Deducens cum modulis, cantum
Mihi Doriâ Lydiâque & Phrygiâ
Diſcernis arte, chrómaque compingis:

Digitized by Google

Denique perfectum bene Musicum informas,
Peritum alacriore sonere tono.

Epodos.

QVem tibi rear Vranien locum
Ætherios inter Genios, melodiarum
Olor scientißime, desti-
naturam superi Jovis fato?
Chrysolithis alas amictus lucidißimis
Super excelsi Croni globum
Evehére, choris nihil invidendus
Animorum semper immortalium;
Mediusque in Cherubinis ac Seraphicis
Oscen alitibus, ter-sanctum indesine
Concines (auguror) voce Tonantem.
Rape me tecum rape sub astra, si nec
Auribus humanis ingrata, nec oribus indigna
Cœlitum modulor, melicæ fidicen lyræ.

DE CAROLI VTENHOVII ET ANNAE PALLANTIAE AMICITIA SIBI APPLAVDIT.

AVSPICIO *novem sororum*
Notitiam mihi November
PALLADOS VTENHOVIIQVE
Concilias. sacræ Melisso
Semper erunt tuæ Calendæ,
Quas memorent novem Camenæ,
Pro meritis tibi ventes
Carmina syllabis novenis,
Carmina versibus novenis.

Digitized by Google

I. CLIO.

NAtæ celebrare Jehovam
Regesque ducesque Camenæ,
Citharis adſite lyrisque;
Fas pangere menſe Novembri
Laudis nova carmina thyrſo
Animis omni ſine fuco.
His CAROLVS *ille Calendis,*
Simul his innotuit illa
PALLANTIA *Nympha Meliſſo.*

II. EVTERPE.

VOluptabilis eſt bonorum
Et jucunda beatitudo,
Quos junxit probitas fidesque.
Hac nil dulcius eſt in urbe,
Hac nil ſuavius eſt in agro,
Hac nil pulcrius eſt utrovis.
Manſueſcunt homines in urbe,
Miteſcunt homines in agro,
Lenit pax & agros & urbes.

III. THALEIA.

VIrens Libani velut cedrus
Cacumine læta frundeo
Perenne comis regerminat:
Pari cor amiculis modo
Vigens, animusque reſpuens
Marceſcere, floret integer.
Cedrum rigat ille ros tener
Adoreüs; at cor uvidus
Rigat Clariæ latex aquæ.

IV. MELPOMENE.

CAntibus & numeris meri

Perſonat unanimis chorus;
Lacte natant labra melleo:
Candidulis per Olympium
Aethera vectus ovans cycnis
Grex melos usque reclangitat.
Nil niſi carmina montibus,
Nil niſi cantica vallibus
Blandiſonis reboant modis.

V. TERPSICHORE.

GRacileis agitare manûs,
Agileis glomerare pedes
Iterabitis innocui:
Niveus Jocus ipſe micat,
Roſeus Pudor ipſe ſalit,
Micat & ſalit Euphroſyne.
Agitur bene cum ſociis,
Vbi mens ſine fraude patet,
Sine crimine ſimplicitas.

VI. ERATO.

AMor, ſincerus amor verê;
Fides, ſincera fides ſtricto
Liget veſtras animas nodo.
Favillæ mutuus accenſæ
Calor vos urat, & æterrum
Manens incordiet æqualeis.
Columbos VTENHOVI *vincis,*
Palumbes PALLÁS *amando, ſed*
MELISSVS *turturibus par eſt.*

VII. POLYMNIA.

CLarus inſigneis nitet inter
CAROLVS *vates, nitet inter*
Clara laudatas Dea Nymphas.

Clarior fiet meus ex se
CAROLVS; *dicente Meliſſo*
Clarior PALLANTIA *fiet.*
Elaboratum dare marmor
Poſteri no viſtis oburvè;
Muſa donabit memor ævum.

IIX. VRANIE.

ALbe qui polo micas Olor,
Candidos amicos aureis
Celſa plumulis ad aſtra fer:
Hæc ubi canora Thraciæ
Chordulis ſonantibus lyra
Vatis orbe lacteo ſubeſt.
Quid moraris? Aſtra vatibus
Digna ſunt, & aſtris dignus eſt
Cœtus inclitorum pectorum.

IX. CALLIOPE.

PRomere voce bonâ laudes,
Voce bonâ doctos cænere
Novi perſtrepitante fide.
Quo te proripis VTENHOVI
Sidera tam citò contingens?
Quo tua proripitur PALLAS?
Neſcius adſpergi maculis
Nempe quit ingenuus CANDOR
Cœli promeruiſſe domos.

IOANNI ROSBACHO
MISNENSI.

Strophe.

IVVENI *modeſtiſſimo quæ canam*
ROSBACHO *melica, quæque lectitet ſonorus Albis,*

Digitized by Google

Albidosque Miſena ſmaragdus, in vertice
Racemoſorum ſita collium;
Mihi (amabo te) paucula dictabis, o Melete,
Antiquiorum Muſarum decentiſſima.
Ille Themin legumlatricem, filiamque
Themiſtos Aſtræan indeſide ſtudio
Sectatus, utriusque a latere
Ne latum quidem receſſit unguem,
Scævolas Sulpiciosque Trebatiosque
Noſtri temporis amplexatus mirificê
Et in Almannis & in Auſonum Lycéis:
Variam unde rettulit ſcientiam.

Antiſtrophe.

INeünte ab ævo politiſſimi
Audivit FABRICII *ora Chemnicẽſis, ora nulli*
Pol ſecunda labris, operâ ſororum novem
Rotundatis. Quæ, bone Fábrici,
Libitina nobis caput invidit ingenuum,
Ne longius doctis eſſet fruiſci dehinc
Emolumentorum, divinæ ex fonte mentis
Scatentum, & humectа torrentibus riguis
Præcordia juventæ cupidæ
Reddentum? dapis ſed Angelorum
Compoti nunc trechedipna humeros eburnos
Ornant; hymniferâ Jovæ pæanas ubi
Modularis voce lyrâque conſonos. ut
Melior rependit aula gratiam!

Epodos.

TEcum ROSBACHE *nunc hilaror, candidate*
Gloriæ, quam tibi lux niveis equis
Propriam ſpondet. Video cærimoniam
Graviſſimam, & Baſilicæ dexterrimæ

Digitized by Google

Scholæ ſuffragia; quibus absente nobis
Tuo decretus eſt honori tiaras
Capitis velamen, digiti verò decus
Annulus auro gemmâque coruſcans lucidâ.
At cuia lingua tibi baſium figet,
Quale nonâ parte ſuæ Charites imbuerunt
Ambroſiæ? o lætum diem! Ecce Rheno quoque
Tua cordi gaudia, Nymphisque Rhenéis;
Ne ſolus Albis Albiadesque triumphent.

ABELO STRASBVRGO SPONSO.

Strophe.

O Te *lepidulum venuſtulumque!*
O gratioſæ Comitatis
Elegantem alumnum,
SIRASBVRGE; *qui Gratias Etruſcas*
Sacrum advoces in thalamum!
Eho, non ſint ad Elyſtrij
Herbiferas fluminis ripas
Aut delicatæ
Charites, aut patulæ Veneres,
Quæ mellilinguem cantillent Hymenæum?
Agedum, non ſine me, non ſine meis
Queant Emmetris tumulticrepæ
Spargi nuces; dum Tomingidi
Rutilis Cupido novum tedis
Ad cubile prælúcet viam?

Antiſtrophe.

BErſmanus, *amor ille Suavitatum, &*
Caſellij dulces Camenæ,
Cum lyrâ Chytræi

Digitized by Google

Tuique fratris, vel hisce si quis
Maior, tuo digna toro
Valebant commodularier.
At numeros Juniæ nostros
Poscunt Calendæ.
Zygia Juno fave; Zygia
Juno fave. Zonam dissolvere castam
Monet albente micans Hesperus equo;
Monent astra, nuptus conjugum
Amica. jam sponse blandulæ,
Hederâ arctius, tener uxoris
Semiclusa pressabis labra.

Epodos.

BAsia rape, rapo basia;
Facinusque virile patra:
Quod libuerit, licuerit.
Exesto quantum est fascinationum.
Joce, Fescennini pater cachinni
Liberrime; quot deliciis
Tot illecebras condiisti?
En, nectareæ sponsa
Melliginis imbuta mulso,
Stillat odorifero
Guttas liquore roscidas!
Matuta vides, ut illa
Se beatiorem Cydippê,
Ille se dicat Acontio?

AD LAVRENTIVM SCHOLZIVM SILESIVM.

Strophe.

DÆDALAS *artificum manûs*

Cum veterum tum recentium,
Animósaque ſigna miramur admodum,
Sive coloribus illa picta,
Sive ebore exacta adfabrê
Indico, lapideve Pario,
Vel ære Cyprio, aliisve metallis.
Cui non notus Apelles ille Cous,
Aut Parrhaſius Epheſius, aut
Zeuxis? Pheidian quis ignorat?
Quem Praxitelis Scopæque ſollertior
Induſtria fámaque latet? quem carus
Lyſippus Calamisque non obſtupe-
facient? cui denique non arriſerint
Et Méntoris egregiæ formæ, & elegantes
Myos erronibus fibris acanthi?

Antiſtrophe.

CErtat antiqua, feracius
Ingeniorum bonorum,
Superare ſagacis ævum artis æmulum
Tot monumenta, ſupraque vires
Tendere nervos. nam quoque &
Pervicax hominis animulus
Traſcendere polos geminos, avet (idque
Haud raro) ſimilis fingi Deorum.
Eſt hoc quidem aliquid, ut arduum,
Mortalique prædito captu
Sublimius. Exſtat, exſtat argutius
Jovæ ſimulacrum opificis, maximè
Quem mireris, homuncio; quomodo
Generetur, quomodo cæleſtem hauriat
Vivax animam, tenera ſub parentis alvo
Latitans, menſtruâque luce creſcens.

Epodos.

NAturæ peritißimo,
Occultiorumque plurimorum ſcito,
Agemi SCHOLZI *fer acceptam*
ARANTIO *ſingularem*
Fetuum indaginem.
Ille cæci labyrinthum regni,
Embryonis domicilium, vigil
Corruſpatus, aperuit hortuli intera
Clauſtra, diuti ßimêque reconditas
Notitias in luce locavit.
Bononienſes hoc ter & quater beati
Machãones, hoc beatæ puerperæ.
Redeat felicitatis huius
Pars ad noſtrates aliquantula;
Gratias ARANTIO *ſempiternas agent.*

AD PETRVM VICTORIVM.

Strophe.

CVNCTATOR *audiam pol crediderim*
Vernas apud tuos bene provisos,
Qui ſuavi ßimis tuis amanti ßimisque,
O dulci ßime VICTORI, *litteris*
Minus reſponderim properiter.
Ignoſce. veniam meretur excuſatio.
Eæ quidem ſanê heic me chlamydatum,
Clipeoque Tritonidos armiſonæ præcordia
Protectum, manumque machærâ Archilo-
chi inſtructum, medias inter tigrides
Offendére, formidoloſas & hyænas
Aprosque torvos. plusquàm immane, quantum
Suſtinuerim heu pericli, cum bellus

Prœliando effrenatiſſimis.

Antiſtrophe.

CRudelis hasce non Hyrcania, nec
Gætúlus aſper, aut Calydonius
Saltus miſit huc, quibuscum atroces gerendum
Pugnas mi foret. atris Hercyniæ
Fugis ſilvæ ſata, ſpuria vah
Portenta latebras nothas reliquerunt, in hos
Profecta limites Euganeorum,
Rabioſius dummodò, ſi liceat, poſſent truci
Inſanire ſævitiâ. aſt hactenus
Supinatus humi nec ſum viſus, &
Immotos pedes acrior robore fixi;
Exungulatis iſtis nempe monſtris
Ora fera lancinavi. En veſtigia
Cladis! hanc nulla ætas obruet.

Epodos.

OPem tulit ipsa mihi patrima virgo
Barbaricis infeſta beſtiis, reminiſcenti nominis unicè tui, VICTORI
Indefeſſe. quin & ſuppetias alacres
Veteribus illis a Camenis ſenſimus,
Thelxiope nimirum & Aœde, & Arche, & Melete; Camenis inquam tibi domeſticis:
Germaniſſimus enim illis es. queis utique
Acuta mihi tela commodo ſubjicientibus
Ex ipsâ Patarei pharetrâ ſagittipotentis,
Impetûs hoſtium facile dedimus irritos.
Juppiter ſervat, qui Jove natis ſerviunt.

Digitized by Google

AD HIERONYMVM WOLFIVM OETINGENSEM.

Strophe.

QVIS *fuit ille*, VOLFI,
Qui primus homines, miſerrimum genus,
Filis Parcarum tenuiſsimis
Vel in alto
Vel terræ propiores
Suſpendit; atque hos quidem filis
Candidulis, illos nigris:
Omniumque eadem ſors
Eſſet, effecit? ſimul atque enim
Inexorabilis Atropos
Pollice linum inciderit atro;
Subito heu decidimus. Bullam
Hominem dixeris, aut foliolum
Arbuſculæ, aut ſomnij
Fumive fugientis umbellam.

Antiſtrophe.

ME bene ventilatum
Ridet Lacheſis, altius profundius
Torquendo furvi vaga licia
Radij. ſed
Clotho mi tamen, ut quos
Fatum efficax conſequatur, ſub-
temina ducturos, nivem
Æmulantia, fuſos
Rite juſſit currere; dum ratas
Poli ſcrutata vices, brevis
Curriculo ævi maxima divis
Bona portendier æquis, an-
nueret. Speribus ut minima pars

Digitized by Google

Reſpondet ingentibus!
Vt frangit animos levis forſex!

Epodos.

ARaneárum pendulis Reges
Se purpuramque involvere telis
Amant, amabuntque ſemper;
Fatali interitum neceſsitati
Ex ſtultæ ſapientiæ penu
Rati poſſe ſubtrahi. nos adeo & hos
Ipſos hercule, & funebri comam
Implicatas cupreſſu
Ridere ſueta cohors ſorores,
Cedrino recens amicti ſubere,
Athanaſiæ regnum occupamus
Vivi; quod illis abnegatur mortuis.

IN NVPTIAS SEBALDI WELSERI, PATRICII AVGVSTANI ET NORIMBERGENSIS.

Strophe I.

ELEGANTISSIMO *Noricorum*
Juvenum, lectiſsimæque puellæ,
Sponſis venuſtiſsimis, agedum
Quæ canam mihi ſubminiſtra
Erato pulcherrima: ſi te
Nec Gratiæ deſtituunt comites,
Aprica ſertis impeditæ myrteis
Timpora; ſi nec Cupidinum
Manûs agilium languent
Præacutis ferire mortalia
Telis corda, ſalubrium
Auctoribus vulnerum.

Antistrophe I.

HOc die nuptiis consecrato
Hymenæus festa gaudia poscit ;
Poscit serenata lætitiis
Pectora , & sine nube frontem.
Procul hinc rugæ , procul ite
Mæsti Catones , tetricæque nurûs ,
Vultum Sabinarum severum , tórvaque
Frustra imitatæ Calabridum
Supercilia. nequaquam
Locus ægræ molestiæ cónvenit ;
Nec fas est animum gravi
Mærore percellier.

Epodos I.

NOvæ ridentia nuptæ labra ,
Puniceis simillima rosis ,
Rhodiisve coraliis ;
Flammantesque oculi , siderum
Æmuli nitidê scintillantium ;
Faciunt pol , ut alacriores
Quisque gerat spiritûs , & hilariore
Sit animo. Decus o quantum
Ab insigni relúcet corpore !
Quantus ab aureo nitor monili !

Strophe II.

HVc ades , patriæ flos SEBALDE ,
Mihi contemplare membra decôra ,
Dotesque raras , quibus solidê
Prædita est tua MAGDALENA.
Viden' ut jam carpere fructum
Suavissimum , ceu libeat , liceat
Ex hortulo succis refecto ? Carpite ,

Carpite vernantis hortuli
Seu deliciolas, seu pro-
lecebras; quâ Lubentiæ vos trahunt,
Vdis non sine basiis,
Nudis vel amplexibus.

Antistrophe II.

MAter ex HALLERORVM *creata*
Genuinâ stirpe, femina præstans,
Amet nurum, non quidem minus ac
Peleo sociatam amasse
Thetidem socrus memoratur.
Tum, vitricus GEVDERIDES *proprium*
Tuis uti se præbuit votis patrem;
Ipse socer, cui propinquitas
Cordi est, in oculis, non ut
Generum, te ferat, sed ut filium.
Adfines faveant tibi, &
Cognata plaudat manus.

Epodos II.

PRecari longa alicui sæcula
Si juvat, ut juvat; precor, uti
Avis instar Arabiæ
Sexcentas tibi messes dehinc
Amplusque seni detur condere,
Vegeto pariter ac valenti.
Dignus enim es, quem Deæ beneficiorum
Onere prægumulent, & quem
Nepotes conspicentur perpetim
Progenie optimâ reseminari.

Digitized by Google

IOANNI IACOBO ET IOANNI LVDOVICO HAINZELIIS, PATRICIIS AVGVSTANIS, NVPTIAS CELEBRANTIBVS.

Strophe I.

APERITE *nunc, aperite mihi*
Totum Hesperidum nemus,
Et odoriferos spargite flores,
O Veneres, quascumque
De pulchritudine certare
Lubido rapit. Conjugio simul
Copulantur, uno eodemque
Die, IACOBVS *&* SABINA,
LVDOVICVS *item &* SVSANNA;
HÆNZELIDÆ *juvenes, par nobile fratrum,*
Cum NITHERTIBVS *puellis,*
Cognatione junctis invicem.

Antistrophe I.

ROseæ genæ & rubicunda labra
SABINAM; *oculi nigri*
Decorant, & honestißima forma
Purpuream SVSANNAM:
Vtramque divitiis multis
Et dote peramplâ. sed & hæc melos
Voce liquidâ figurare
Perita, sæpe provocavit
Nos decentibus in certamen
Cantibus: illa nurûs persæpe Suëvæ
Erubescere heu coëgit,
Pulchram æmulans facem Thaumantidos.

Epodos I.

PROsapiam NITHERTVM

Vetuſtiſſimam quis enunciet;
Cui Triphyllon ſtemmatis
Patricij nota?
Hac ex gente ſibi conjugem
Deligere HENRICVS *amavit*
HÆNZELIVS, *qui ſenator optimus*
Cluet, idemque gnaviſſimus
Familias indagare Vindelicas:
Veſter ille, veſter, o ſponſi,
Frater, unicæque
Pater unicus
VERONILLÆ.

Strophe II.

CApe gaudium, cape lætitiam
IACOBE, *animi integer:*
Cape lætitiam & gaudia copi-
Pectore, facte adſinie,
Mi LVDOVICE, *tui fratris.*
SABINA *age*, SVSANNA *age comptulam*
Explicato largius frontem.
Vobis Amor Jocusque, Amorisque
Et Foci genitrix arridet,
Pollicens intemerati pignora lecti
Filios, avi patrisque
Candorem, & inſitam pronos ſequi

Antiſtrophe II.

Pietatem, & ingenua fidei
Conſortia nam probis
Probitas comes eſt: prava ſequuntur
Stirpe ſati pravorum.
Felix propago, tuam diſce
Sentiſcere laudem, & novum adorea

Digitized by Google

Nosse nomen. Vt bonæ gaudent
Bonum arbores tulisse fructum;
Prole sic bene moratâ ipsi
Exhilarantur honestanturque parentes.
Deme famam & ipsum honorem;
Laudi quid hoc in orbe aut gloriæ est?

Epodos II.

DOctrina clariorem
Vtrumque efficit; velut lumina
Vestra germanos. eo
Gestio vos magis
Celsis Aonidum immittere
Arcibus, ac nomina fidâ
Perpetuis consecrare sæculis.
Sinite exemplar industriæ,
Sinite virtutis vos ego numerem
Munis atque gratus. hac solâ
Pactione pol fit
Hominum genus
Immortale.

AD NICOLEAM ET LOIDEM VIENNÆAS, CLAVDII ANTONII BARONIS CLEREVANTII FF.

Strophe.

AN, *si quid unquàm mihi fuit gratum,*
Subdubitabitis, quin munera vestra
Fuerint mihi gratissma, o NICOLEA
Et LOI *Viennides, nobilissimæ*
Virgines? Sudaria illa duo,
Artificiosissimis picta Mæandris,
Ocularissimisque pervia labyrinthis,

Digitized by Google

Quantâ mi voluptate animum adfecerunt!
Quàm illa miratæ ſunt, ſtudiis
Pallados exercitæ, Noriadum puellæ!

Antiſtrophe.

PVlvillus autem laboribus quantis
Conſtitit, in figuris rite locandis,
Metricâque formâ digerendis! Variis
Huc vellera Seres ipſi coloribus
Attulere, & contulere manûs
Veſtræ opifices admodum rara in hunc ſigna,
Vigilace intuenda mente. Juvat Olympo ex
Celſo prominentem Altitonantis dextram
Lance cum fatali geminâ
Cernere: quo ſymbolo Juſtitiæ admonemur.

Epodos.

OPeroſiſſimi ſalvete digiti,
Limbolariarum acuum magiſtri;
Salvete, & hancce gratiam reportate
Pro diurnis nocturnisque moleſtiis,
Meâ causâ adhibitis. At o quàm
Suavis odor mihi caulas narium
Replet, ex ſtacte caſiâque & amomo
Fragrantiore! Proprius tibi ſit
Odor hic, o mollicule Pulville:
Proprium item vobis, o Clerevantides,
Vincere acu Phrygionisque opere
Sequanicas omnes Gallicasque nurûs.

OBERTO GIPHANIO
IVRISCONSVLTO.

Strophe I.

LYCHNIDIS *hoc quodcumque eſt, ſedentariâ*

Digitized by Google

Consertum opellâ, post irrequietum
Itiner, Rhenus quod me genitor
Naidum, Nicrique confluxe
Amnis, atque adeo Lutrea palûs
Conficere nuper vidit: habe tibi
Tuæque IVSTINÆ *conseeratum,*
O juris interpres cate GIPHANI,
Erycina te leges sub
Alias, aliaque sub jura vocavit,
Non fori nec stlitium propria, sed
Familiæ mutuiter procreandæ.

Antistrophe I.

QVippe tuis unum deerat id commodis,
Vxore fruniſci posse cupita.
Dedit hanc PAMGARTNERVS, *columen*
Noricum, ex sorore natam,
OELHAVO *patre. quem, mi crede, virum*
Nec Themidos Astræque peritia,
Neque elegans unquam promptitudo
Linguæ Latinæ destituit: quibus
HIERONYMO *grandævo*
Socero elepere animum impune valebat.
Quin avus sponsæ eminens erat apud
Capita terna Imperii consulendo.

Epodos I.

VEtere quid juvat editum esse
Stirpe, nisi illam & heróa
Virtus, & excellentis ornet
Præstantia doctrinæ?
Vtrinsque munus indeptasti
OBERTE *dotis, adfinibus beatus*
Largiter patriciis. Tibi NORIBERGA
Plaudere;

Digitized by Google

Plaudere; tibi gratulari
PALÆCOME; *non sine merâ hilaritate*
Et Patrum & Professorum.

Strophe II.

DI facerent, ipso gaudij tempore
DONELLVS *huc Lugduno Batavorum*
Tetulisset, quos vestigo, pedes:
Quàm proinde & ipse ovatu
Cerneret subito lætiscere! quàm &
Tute rapereris pronus in obvios;
Tanti viri amplexûs! quanta porrò
Festivitatem auctaret adoreæ
Cumulatioris fama!
Proceres pol & Academeia & alumni
Vulta præstolantur aurea hominis,
Et avidis ipsum animis expetissunt.

Antistrophe II.

VOs duo in integrum restitutæ scholæ
Vnâ facem prælucebitis almam;
Aderitque ex adscitis aliquis
Tertius, vicissitati
Vtilis. Dabit acclines monitis
Grex melior aures, spónteque previæ
Sequetur auræ fulgétra. Nemo
Præsente vobis non reverentiam
Merito exhibebit Divæ,
Gladium in manibus habenti, Eunomiæque
Vindici legum. tuerier amat
Vtraque tam Gymnasium quàm Senatum.

Epodos II.

ETiam olivifera Minervæ
Præsidio triumphabis

Digitized by Google

Consertum opellâ, post irrequietus
Itiner, Rhenus quod me genitor
Naidum, Nitrique consluxe
Amnis, atque adeo Lutreâ pal
Conficere nuper vidit: he
Tuæque IVSTINÆ *c*
O juris interpres cate
Erycina te leges sub
Alias, aliaque
Non fori nec st NYMVM GROSLO-
Familiæ mu VM LISLÆVM.

Ar Strophe.

QVippe tuis s, impatiens Solis,
Vxor a cera calore
D ur, expositæ
spicitatis torridulis
C *bus; haud aliter meæ*
Diffluxisse medullam
Liquidam LISLÆE *mentis*
Ardore tuo sensi,
Veteres amores in GVLIELMII
Testificante Manes,
Juvenis eruditissimi;
Quem nos plus oculis, plusve oculis si
Carum pote quidpiam
Esse, semper amavimus.

Antistrophe.

INtimo mihi adhuc ingens
Stat torde dolor; stat acerbo
Discidio patulis
Hians cruentum vulneribus
Flâga triplex, miserabili

Digitized by Google

Lamentaria queſtu:
ibique ſauciatis
recrudeſcit
, arctam animæ viam, &
tum
ſtrangulans
& iſtæc
LIPSIO
ludo animi recens.

Epodos.

Ibi quoque exeſtur, HIERONYME,
Luctu jecur anxifero,
Quale ferunt Tityo lancinari
Roſtrantibus in viſcera milviis
Penitiſſima. Væ miſeris! Vter
Vtri ferret opem auxiliarem?
Quis nobis Æſculapius EVMOLPIVM
In auras revocabit ab inferis?
Quis talaripes virgâ redivivum
Tanget aureâ? O amice, fruſtra
Sumus, heu! Nos potius invicem
Amemus, amemur; & dio FIDIO
Dexteras ſacras pagamus
Sinceri, diæque MONETAE.

AD LEONARDVM LECHNERVM ATHESINVM.

Strophe.

PRo *duplici labore*
Gratia duplex
Referenda venit tibi,
LECHNERE *Muſice.*

Vix unum petere
Ausus fueram munusculum,
Compellatione mutuâ
Veteris amici Dyrrhoferi:
Tu geminas idem
Suave meritum, tibîque
Gemino obligans me vinculo
Obstringis irresolubilem.

Antistrophe.

MVsæ tibi faventes
Flumine linguam
Clario, meæ numina
Musæ, imbuêre. dein
Sonos edocuit
Te cantor Apollo proprios.
Te dulces modique, & illicis
Socia fidis vox harmonico
Pectine cónstrepens,
Artificis expoliti
Numeros sequentem, Gratiis
Jungit sodalibus arbitrum.

Epodos.

ATheſi tuo meus adplaudit
Mænus, amnium Francicorum
Latê rex. tripudiant celeri
Nymphæ pede mobiles,
Tereti suras
Pampino vinctæ. Modu-
laminibus rapimur cygni
Olorinæ suavitudinis.
Quid simile, quid par in orbe est
Toto symphóniæ?

AD ROSINAM.

Strophe.

ITA *me Veneres bene ament,*
Et quantum est Cupidinum;
Vt ego te perditê amavi
Semper, amôque, & amavero
Debinc quoque, mel merum
ROSINA, *meumque dulce mulsum.*
Nunquam ego de te hercle vel
Minimum queo cogitare
Quinquelustris amator;
Quin mihi cor tripudians gaudio
Exsiliat, tuumque animo pollicear
Credulo favorem,
Tametsi prius ne semel quidem
Mihi conspectæ.
Tantum potest vis amoris!

Antistrophe.

SImilis (puto) parque mei
Nusquam fors amasius
Dabitur inventus, adæquê
Cui fuerit bona Faustitas
Amica. at in hoc tamen
Inesse aliquid putent siniſtri,
Tam diuturnâ quod heic
Videar remorâ tenéri
Longiusculus, ante
Quam liceat tua meis pupulis
Cernere viva lumina, votique fiet
Compotitus ardor.

Sed huiusce quodcumque temporis
Supereſt, mente
Æquâ libenter feremus.

Epodos.

O Imago ſomnorina,
Oculis meis in monte præſi-
gurata Regio, cum adhuc
Puer eſſem, & mihi nondum
Tegeret lanugo piloſa genas.
Confidens animi fore
Spero, uti (nam quid mihi fraudem
Frauſa ſis?) reapſe tandem
Ueres, ſimulacra
Quod ipſa præ ſe tuliſſe
Commemini. Fatalis enim mihi
Mea (præſciné) ROSINA *eſt.*

Digitized by Google

AD HVGONEM BONCOMPAGNIVM, GREGORIVM XIII. P. M.

In gratiam Germanicæ nationis, quæ erat Bononiæ, Anno 1579.

Strophe I.

QVALIS *in Hesperidum viretis amœnissimis*
Draco pervigili lumine custos
Aurea servabat mâla,
Nihil indulgens sopori
Gelidæ fratri mortis:
Tale tuum, GREGORI *pontifex maxime,*
Ovilia custodientem
Ausonia, insomnem bipatentibus
Oculis, Bifrontem
Lanigeri gregis magistri
Videre mirantur. speculâ is
Desuper ab altâ Vaticani, in urbem
Aciem, totumque obvertit in orbem.

Antistrophe I.

Et Atidicam Themin hoc ferunt singulari modo
Tibi, non sine sanctâ Theobule,
Grande tuis incrementis
Meritumque præmiumque,
Titulos ut maiores
Omine ferres, spepondisse, vestratium

Piè memorem dignitatum;
Splendidiores quæ facerent tuos
Atavos, patremque
Progeniemque clariorem.
Minora sic ostenta poli
Accipere fuerint lumen administrium
Dominatoris de lampade magnâ.

Epodos I.

NObiles Senas, Etruriæ corculum,
Reddidisse memoratur nobiliores
Æneas Silvius ille, cui postmodo
Cognomen erat Pio secundo;
Familiamque Piccolominiam,
Doctissimorum fertilem virorum,
Illustriore posuisse in laude.
Vnde & huic & illis favens
Pennis Fama candidis,
Immortale decus feliciter utrisque
Arrogavit, inque Olympi
Arces beatas sustulit.

Strophe II.

QVid tua Félsina? nonne longê ipsa præclarior
Reliquis caput excelsius efferre
Vrbibus, ultra Apennini
Juga cælo proximi? Quid
Tua gens, BONCOMPAGNO?
Nonne ea multo celebratior ceteris
Honore sacras ob mitras præ-
cellere; viburnorum ut agrestium

Digitized by Google

Humili fruteto
Aeriæ ſolent cupreſſi ,
Cedrive frundentis Libani ,
Aut abietes , Hercynij comantes
Nemoris natæ , antiſtare liguſtris ?

Antiſtrophe II.

TV velut Arctophylax , rotantis poli cardinem
Revolubilibus vertere gyris
Impiger ; obſervas anni
Veteris momenta : juſtis
Vt eant porró metæ
Curſibus , adniteris : Juliis ordinem
Vicesque ratas hinc dioptris
Aſtronomi adſignent petis ac jubes .
Sed enim niſi aptè
Soiſtitij æquinoctijque
Remenſa fixo monſtra gradu
Edocuerint intercalare tempus ;
Medio brumam miſcebimus æſtu .

Epodos II.

ROma curas prædicet tuas , & piam
Prædicet patria mentem ; prædicet Ancon
Inſtauratus per hiulca paſſim vias ,
Fontesque ſalubribus ſcatébris ;
Merita , quæ ſequens opere pari
Æternet ætas , te colens , tuique in-
delebilem memoriam conſervans .
Exterorum in annalibus
Pol ſcribére Teutonum
Fautor , Teutonum amator . quam quidē ego laudem
Faxo , ſi pote eſt , ut alterum
Oblitteret ne ſæculum .

Digitized by Google

Consertum opellâ, post irrequietum
Itiner, Rhenus quod me genitor
Naidum, Nicrique confluæ
Amnis, atque adeo Lutreâ palûs
Conficere nuper vidit: habe tibi
Tuæque IVSTINÆ *consecratum,*
O juris interpres cate GIPHANI.
Erycina te leges sub
Alias, aliaque sub jura vocavit,
Non fori nec stlitium propria, sed
Familiæ mutuiter procreandæ.

Antistrophe I.

QVippe tuis unum deerat id commodis,
Vxore frumisci posse cupita.
Dedit hanc PAMGARTNERVS, *columen*
Noricum, ex sorore natam,
OELHAVO *patre. quem, mi crede, virum*
Nec Themidos Astræque peritia,
Neque elegans unquam promptitudo
Linguæ Latinæ destituit: quibus
HIERONYMO *grandævo*
Socero elepere animum impune valebat.
Quin avus sponsæ eminens erat apud
Capita terna Imperii consulendo.

Epodos I.

VEtere quid juvat editum esse
Stirpe, nisi illam & heróa
Virtus, & excellentis ornet
Præstantia doctrinæ?
Vtrinsque munus indeptasti
OBERTE *dotis, adfinibus beatus*
Largiter patriciis. Tibi NORIBERGA
Plaudere;

Digitized by Google

Plaudere; tibi gratulari
PALÆCOME; *non sine merâ hilaritate*
Et Patrum & Professorum.

Strophe II.

DI facerent, ipso gaudij tempore
DONELLVS *huc Lugduno Batavorum*
Tetulisset, quos vestigo, pedes:
Quàm proinde & ipse ovatu
Cernerer subito lætiscere! quàm &
Tute rapereris pronus in obvios
Tanti viri amplexûs! quanta porrò
Festivitatem auctaret adoreæ
Cumulatioris fama!
Proceres pol & Academeia & alumni
Vulta præstolantur aurea hominis,
Et avidis ipsum animis expetissunt.

Antistrophe II.

VOs duo in integrum restituræ scholæ
Vnâ facem prælucebitis almam;
Aderitque ex adscitis aliquis
Tertius, vicissitati
Vtilis. Dabit acclines monitis
Grex melior aures, spónteque præviæ
Sequetur auræ fulgétra. Nemo
Præsente vobis non reverentiam
Merito exhibebit Divæ,
Gladium in manibus habenti, Eunomiæque
Vindici legum. tuerier amat
Vtraque tam Gymnasium quàm Senatum.

Epodos II.

ETiam olivifera Minervæ
Præsidio triumphabis

Digitized by Google

Tu GIPHANI, *confarreandi*
Ritu licitis sacris
Operate. Jamque (quod faustum sit)
Dea annuit tibi filium paternæ
Indolis similitudine, termitisque
More juvenantem. Vigesces
In hoc nato, natus & (hariolor) in te;
Gloriâ ambo florentes.

AD HIERONYMVM GROSLOTIVM LISLÆVM.

Strophe.

QVALIS, *impatiens Solis,*
Phœniciæ tera calore
Liquitur, expositæ
Apricitatis torridulis
Æstibus; haud aliter meæ
Diffluxisse medullam
Liquidam LISLÆE *mentis*
Ardore tuo sensi,
Veteres amores in GVLIELMI
Testificante Manes,
Juvenis eruditissimi;
Quem nos plus oculis, plusve oculis si
Carum pote quidpiam
Esse, semper amavimus.

Antistrophe.

INtimo mihi adhuc ingens
Stat torde dolor; stat acerbo
Discidio patulis
Hians cruentum vulneribus
Plâga triplex, miserabili

Digitized by Google

Lamentaria queſtu:
Inibîque ſauciatis
Letale recrudeſcit
Terror ille fibris, erectam animæ viam, &
Spiritui meatum
Nimietate præſtrangulans
Sæui cordolij. Gliſcit & iſtæc
Ob funera LIPSIO
Mæſtitudo animi recens.

Epodos.

TIbi quoque exeſtur, HIERONYME,
Luctu jecur anxifero,
Quale ferunt Tityo lancinari
Roſtrantibus in viſcera milviis
Penitiſſima. Væ miſeris! Vter
Vtri feret opem auxiliarem?
Quis nobis Æſculapius EVMOLPIVM
In auras revocabit ab inferis?
Quis talaripes virgâ redivivum
Tanget aureâ? O amice, fruſtra
Sumus, heu! Nos potius invicem
Amemus, amemur; & dio FIDIO
Dexteras ſacras pagamus
Sinceri, diæque MONETAE.

AD LEONARDVM LECHNERVM ATHESINVM.

Strophe.

PRo *duplici labore*
Gratia duplex
Referenda venit tibi,
LECHNERE *Muſice.*

Digitized by Google

Vix unum petere
Ausus fueram munusculum,
Compellatione mutuâ
Veteris amici Dyrnhoferi:
Tu geminas idem
Suave meritum, tibîque
Gemino obligans me vinculo
Obstringis irresolubilem.

Antistrophe.

MVsæ tibi faventes
Flumine linguam
Clario, meæ numina
Musæ, imbuére. dein
Sonos edocuit
Te cantor Apollo proprios.
Te dulces modique, & illicis
Socia fidis vox harmonico
Pectine cónstrepens;
Artificis expoliti
Numeros sequentem, Gratiis
Jungit sodalibus arbitrum.

Epodos.

AThesi tuo meus adplaudit
Mænus, amnium Francicorum
Latê rex. tripudiant celeri
Nymphæ pede mobiles,
Tereti suras
Pampino vinctæ. Modu-
laminibus rapimur cygni
Olorinæ suavitudinis.
Quid simile, quid par in orbe est
Toto symphoniæ?

AD ROSINAM.

Strophe.

ITA *me Veneres bene ament,*
Et quantum est Cupidinum;
Vt ego te perditê amavi
Semper, amôque, & amavero
Debinc quoque, mel merum
ROSINA, *meumque dulce mulsum.*
Nunquam ego de te hercle vel
Minimum queo cogitare
Quinqueliustris amator;
Quin mihi cor tripudians gaudio
Exsiliat, tuumque animo pollicear
Credulo favorem,
Tametsi prius ne semel quidem
Mihi conspectæ.
Tantum potest vis amoris!

Antistrophe.

SImilis (puto) parque mei
Nusquam fors amasius
Dabitur inventus, adæquê
Cui fuerit bona Faustitas
Amica. at in hoc tamen
Inesse aliquid putent sinistri,
Tam diuturnâ quod heic
Videar remorâ teneri
Longiusculus, ante
Quam liceat tua meis pupulis
Cernere viva lumina, votique siet
Compotitus ardor.

Sed huiusce quodcumque temporis
Supereſt, mente
Æquâ libenter feremus.

Epodos.

O Imago ſomnorina,
Oculis meis in monte præfi-
gurata Regio, cum adhuc
Puer eſſem, & mihi nondum
Tegeret lanugo piloſa genas:
Confidens animi fore
Spero, uti (nam quid mihi fraudem
Frauſa ſis?) reapſe tandem
Veres, ſimulacra
Quod ipſa præ ſe tuliſſe
Commemini. Fatalis enim mihi
Mea (præſiſcinê) ROSINA *eſt.*

AD HVGONEM BONCOMPAGNIVM, GREGORIVM XIII. P.M.

In gratiam Germanicæ nationis, quæ erat Bononiæ, Anno 1579.

Strophe I.

QVALIS *in Hesperidum viretis amœnissimis*
Draco pervigili lumine custos
Aurea servabat mâla,
Nihil indulgens sopori
Gelidæ fratri mortis:
Tale tuum, GREGORI *pontifex maxime,*
Ovilia custodientem
Ausonia, insomnem bipatentibus
Oculis, Bifrontem
Lanigeri gregis magistri
Videre mirantur. speculâ is
Desuper ab altâ Vaticani, in urbem
Aciem, totumque obvertit in orbem.

Antistrophe I.

Et Atidicam Themin hoc ferunt singulari modo
Tibi, non sine sanctâ Theobule,
Grande tuis incrementis
Meritumque præmiumque,
Titulos ut maiores
Omine ferres, spepondisse, vestratium

Pie memorem dignitatum;
Splendidiores quæ facerent tuos
Atavos, patremque
Progeniemque clariorem.
Minora sic ostenta poli
Accipere fuerint lumen administrum
Dominatoris de lampade magnâ.

Epodos I.

NObiles Senæ, Etruriæ corculum,
Reddidisse memoratur nobiliores
Æneas Silvius ille, cui postmodo
Cognomen erat Pio secundo;
Familiamque Piccolominiam,
Doctissimorum fertilem virorum,
Illustriore posuisse in laude:
Vnde & huic & illis favens
Pennis Fama candidis,
Immortale decus feliciter utrisque
Arrogavit, inque Olympi
Arces beatas sustulit.

Strophe II.

QVid tua Félsina? nonne longê ipsa præclarior
Reliquis caput excelsius efferre
Vrbibus, ultra Apennini
Juga cælo proximi? Quid
Tua gens, BONCOMPAGNO?
Nonne ea multo celebratior ceteris
Honore sacras ob mitras præ-
cellere; viburnorum ut agrestium

Digitized by Google

Humili fruteto
Aeriæ ſolent cupreſſi ,
Cedrive frundentis Libani ,
Aut abietes , Hercynij comantes
Nemoris natæ , antiſtare liguſtris ?

Antiſtrophe II.

TV velut Arctophylax , rotantis poli cardinem
Revolubilibus vertere gyris
Impiger ; obſervas anni
Veteris momenta : juſtis
Vt eant porrò metæ
Curſibus , adniteris : Juliis ordinem
Vicesque ratas hinc dioptris
Aſtronomi adſignent petis ac jubes .
Sea enim niſi aptè
Soiſtitij æquinoctijque
Remenſa fixo monſtra gradu
Edocuerint intercalare tempus ;
Medio brumam miſcebimus æſtu ;

Epodos II.

ROma curas prædicet tuas , & piam
Prædicet patria mentem ; prædicet Ancon
Inſtauratus per hiulca paſſim vias ,
Fontesque ſalubribus ſcatébris ;
Merita , quæ ſequens opere pari
Æternet ætas , te colens , tuique in-
delebilem memoriam conſervans.
Exterorum in annalibus
Pol ſcribére Teutonum
Fautor , Teutonum amator. quam quidẽ ego laudem
Faxo , ſi pote eſt , ut alterum
Oblitteret ne ſæculum .

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI MELISSI

SCHEDII, FRANCI,

GERMANI

COMITIS PALATINI & Equitis, Laureatique Poëtæ, Civis Romani

MELICORVM

LIBER PRIMVS.

Digitized by Google

MELOS PRIMVM.

SACRA *Numina, fontes*
Quæ tenent Aganippidos, fervidis adoleſcens.
Ad Salania tempe
Dum frequens gradibus ſequor; quâ capace docentis
Mente, nec ſine plauſu,
Stigeli Latia imbibi dicta: nuncius ecce
Mi repens geminam aurem
Verberare novus, novam rebus attenuatis
Indui faciemque &
Formam, ELISA, noviſſimê te favore Tonantis
Occupante patritæ
Regium ſolium Angliæ, & ſceptra avita gerente.
Vt mihi intima raptim
Cordis exſiluere præ gaudio! Vt mihi thyrſo
Pectora excita laudis
Spes agonia perculit! Jam potiris honore;
Jam thalaſſia regnas
Nympha, cui Clarius chorus, Gratiæque decentes,
Quæque Pallas Athenis
Olim habebat idoneas elegantior arces,

Digitized by Google

Præſes ingeniorum ; &
Omne denique cælitum ſiderumque faventum
Mutuis glomeramen
Cuncta munera nutibus , cuncta dona dedérunt .
Jam nec amplius atri
Temporis memorem puto , carceris ve nefandi ,
Nec , protervia Technæ
Quas creare graviſſimas ſuerat , inſidiarum ,
Immeritia colla
Vltimo exitio (nefas) morte præcipe dantium.
Qualis horrida grando ,
Conglobata per aëris ſpiſſa , forte gelati
Denſet agmina nimbi ,
Verticesque hominum obvios, tergaque icta ferarum
Pérferit , nece multâ
Lúgubris pereuntium. Væ jovis malè ſanas
Turbinisque procellas
Jam dehinc requieverit ſphæro , Diva , tuorum
Ver ſerenum oculorum :
Quos ubi in populum tuum patriæque ſalutem
Verteris , meliore
Quippe luce fluent dies , gratiorque nitebit
Aura ; nubibus actis
Splendet auricomi velut pura Solis imago ,
Gaudium atque voluptas
Terræ & Oceani incolis. Aureum, augure vates,
Te ſuperſtite ſæclum
Poſt redibit, & aureos utraque Inſula verſus
In tuam , Dea , laudem
Audiet merito cani , poſteris memorandos :
Queis per hos aliquantus
Cor movebit honor modos , te perenne ſonantes.

AD CAROLVM QVINCTVM, ROMANORVM IMPERATOREM.

SCEPTRO *relicto & fascibus Imperi*
In gloriosam tendis Iberiam,
Vt quidquid ævi transigendum
CAROLE *Quincte tibi supersit,*
Ducas quieto liber in otio,
Ab implicatis rebus omissior.
Jam FERDINANDVS *frater, omne*
Pondus onusque humeris subire
Vt antè promptus, Cæsareum gerit
Sceptrum imperator: jam diademate
Solus potitur, Teutonesque
Arbitrio regit unus æquo,
Tranquillitati perbene consulens,
Pacique cunctis publicitus datæ,
Quacumque degant lege, quæve
Municipi stata jura servent;
Nullis adacti vivere vinculis,
Aut obligati serva pati juga; at
Impune libertate digni
Moribus & patriis fruisci:
Tu vindicandis relligionibus
Nec curam inanem, nec regionibus
Vllos anhelandis licebit
Amplius Herculeos labores
Impéndere optes: attamen haud queas
Vitâ senectâ non reminiscier
Persæpe præclaras Gradivi
Præteritis operas in annis,
Fortique gestas militeres graveis,

Digitized by Google

Toram per Europam atque per Aphricam.
Ex queis PHILIPPVS *rex superstes,*
Progenies tua, plurimarum
Exempla virtutum ut merito potest
Sic debet ultro sumere; non quidem
Ad insolentem (turpe) fastum,
Sed generosam imitationem:
Non ad perenni dignum odio malum
Crudelitatem sive tyrannidem,
Sed lenitatem: non ad arma
Denique caca tumultuanter
Arrepta, & ausu pertemerario;
Sed pacem amicam, & commoda publica,
Sanctamque regnorum salutem
Et bona concilianda quæque.
Res ulcerosa est Imperium, nisi
Labes facessant. Sana bonos duces
Regesque nunquam perdiderunt
Consilia, incolumesque leges.

IN OCCASVM HENRICI SECVNDI, FRANCORVM REGIS.

LVDICRAS *inter volitationes,*
Et figurati simulacra Martis,
Dum ferox HENRICE *ruens caballi*
Terga fatigas,
Impetu crispans frameam trabalem,
Non sine horrendi feritate ludi:
Ecce te Mongommerides necantis
Obvius hastæ

Digitized by Google

Cuſpide heu frontem male ſauciatum
Prœlians dejecit humi. Cadentem
Sublevat feſtina cohors, gravemque
Vulneris ictum
Arte chirurgi medicâ valentes
Irritâ curare operâ laborant.
At néque in fatis erat, ut ſalúbris
Munera dextræ
Robur infirmo famulare ferrent;
Nec ſemel ruptum breve Parca filum
Longius diducere amavit ævi
Lege ſequeſtrâ.
Vidit hoc damnum adproperare multo
Antè REISACHRI *ſpeculantis aſtra*
Mens cata, & prædixit in Auſtriorum
Vrbe Viennâ
Publicê ſcripto (quod & ipſe legi)
Edito, quem rex ſibi Francus annum,
Quem ſibi menſemque diemque lævum
Ipſe caveret,
Grande protélans humeris periclum,
Atque discrimen capulare vitæ.
Heu fidem veram nimis! heu futuræ
Præſcia labis
Signa, divino manifeſta fato!
Sidera haud fallunt. quotus ergo quisque
Eſt in humanis; rata cui docebunt
Sidera mentem?
Sed quid in ſtellis animo occupato
Hæreas penſim, Deus ipſe quando
Et Dei diſpreta jacet monentis
Vox & imago?

AD

Digitized by Google

AD FERDINANDVM ROM. IMPERATOREM.

EN, hanc virenti FERDINANDI *frontem*
Liberalis o dator
Lauris coronas, cœtuique claro
Aggregare nobilem
Nihil moraris Cæsar immerentem;
Arbitratus hocce me
Honore dignum. Tale, Friderico
Dante, contigit decus
Celti poëtæ; tale bellicoso
Martius ad Hadriam
Hutteno in armis, MAXIMILLIANI
Vinciente dexterâ;
Eumque equestres inter altiore
Collocavit in loco.
Vtrique jam me nunc Eoa France
Comparare forsitan
Audebit, altrix nostra; & ipse Mænus,
Me canente lætior,
Superbiore fronte dehinc per urbes
Patriæ eriget caput,
Nymphis amatum, & fertili Lyæo,
Collium cacumina
Et plana riparum usque vestienti
Pampinis virentibus.
Domum reverso jugis ad fluentum
Strœnis, Deo duce,
Vt spero, Melrichstatum amica tendet
Ali meisque brachia:

Digitized by Google

Salúbre Melrichſtatum, ubi ſecundis
Matre ovante nixibus,
Vitalis hauſi ſpiritum medullæ.
Noſcar obvio Lari;
Gratabiturque docta Mergileti
(Auguror) Polymnia
Caro ſodali, candidasque aviti
Ad Salis caput Deas
Cernet faventes: unde noſtra ſeſe
Primum origo protulit
A monte Francum curiâque regum
Ducta. Quantacumque erunt,
Congratulantum perſtrepente plauſu,
Inchoata gaudia;
Hæc inter, ut fas eſt, bone Imperator,
Liberalitas tua
Dignê evehetur, nec ſilebit ætas
Poſtera hancce gratiam;
Quam forte Lethes algido amne tingui
Maximum foret nefas.

AD MAXIMILIANVM SECVNDVM, ROM. IMPERATOREM.

QVID otioſo margine deſides
Heic tot jacemus ludibrium dies?
Jam caſtra protélo movendum,
Cæſar, & in medias riuendum
Thracum phalangas. Regia ſe tibi
Mox deditura eſt Alba, modo impetu
Equos citato, militemque
Duxeris acer eo locorum.

Digitized by Google

Invaſit horrens Strigonium metus,
Budeque muros. Danubius patet
Viis ſecundis. ne morare
Corda animosque mares euntum
Ad fervida ultro prœlia. Cernis, ut
Marti tuo tot millia militent,
Totius Europæ vigentum
Flos juvenum, proceresque lecti?
Fugnata cui tam multa, nec unicas
Per nationes bella, tuum (reor)
Nec tantus unquam usquam ſequutus
Vi patruum numeroſiore,
Nec talis eſt exercitus. Auſtriûm
Te ſtipat omnis nobilium cohors:
Te ſtipat Hunnus cum Bohemo,
Sleſiadûmque ducum catervæ.
Germana promiſſum auxilium tuis
Conjungit armis ecce potentia,
Ceſſura nullis Barbarorum
Viribus. Auſonias videre eſt
Fortique Ibéras pectore copias.
Galli frequentes ſuppetias ferunt:
Ferunt & Angli, Danicisque
Limitibus manus & propinquis
Effuſa Suecis: nec latere a tuo
Abſunt Poloni, gens tolerabilis;
Quos inter illuſtris refulget
LASCVS, *Hyperboreo ſuperbus*
Equo, & monili ſplendidus aureo.
Quid nominatim magnanimos duces
Opus ſit enarrare, quorum
Quilibet eximiâ gerendi

Digitized by Google

Virtute belli præditus? Ergo age
Molire in adversa agmina progredi,
Dum robur invictum juventæ,
Dumque virent genua acriorum.
Ne sit tibi, ne sit facere heic moram
Ad Arrhabónis flumen, ut insolens
Tyrannus attentatam Iūlam
Occupet, ac miseram Sigethum.

AD WOLVFGANGVM COMITEM PALATINVM RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

Occasionem negligere optimê
Rei gerendæ, seque reducere
Suosque in angustum, negarim
Militiæ esse opus auspicatæ.
Agendum apertâ fronte; & in hostico
Confertiori sic cuneos manu
Perrumpere audendum, Scythasque
Agminibus subitis fugandum.
Momenta rerum per celeres vias
Lucrosa sunto; qualia Julius
Cæsar putavit Gallicanis
Anticipanda repens in oris.
Gens nostra semper nescio quomodo
Audit supinis tardior orsibus.
Dum moliuntur, dum parantur,
Annus abit, sine Martis usu.
Tu fers molestê desidem otio
Perire frustra pectora militum;
Ac proinde WOLVFGANGE *nusquam*

Cæſarem ad ulteriora eundum
Monere ceſſas. Dexteritas tua
Evicit, ut ſit Thracibus obviam
Itum, atque conſertis catervis
Ad nemoris juga dimicatum.
Præfixa in haſtis tot capita hoſtium
Relata, prædæ non ſine copiâ, &
Albæ gubernatore capto;
Strenuitatis opus virilis
Teſtantur: unde & ſplendida THVRIO
Merces, equeſtri torque nitens honor,
Virtutis ergo dante ceſſit
Cæſare. Sed nimio camelos
Plus æſtimantem, capta animalia,
Quæ cauſa tanti eſt? Præda juvat, juvat
Rapina: verum ter quaterve
Mille loco dromadum æſtimarem
Si Sollymannus, mœnia qui Getis
Quondam Viennæ cinxerat Auſtriæ,
Noſtram in poteſtatem veniret,
Chriſtiadûm capitalis hoſtis.

AD CAROLVM IX.
GALLIÆ REGEM.

SEV fata ſæva, nemini mortalium
Vitanda, belli incendium
Commune terris miſceant; ſeu Fors nocens
Diſſeminatis jurgiis
Ad arma cives concitet, discordibus
Palmis feroces; ſive Mars
Ex ſe cruentus hoc agens, per mutua

Digitized by Google

Quosvis trucidet vulnera,
Vrbesque viduet, rura vastet, atque opes
Tot subditorum exhauriat:
Miserrimus pol Galliæ est tuæ status,
Rex CAROLE, *atque non modò*
Tuis, sed (heu flagella!) ne externis quidem
Sicco intuendus lumine;
Queis tam beatum, tamque florens funditus
Perire regnum displicet
Doletque valdè. nam quis est nostræ ducum
Germaniæ, vel principum
Exoticorum, ut magnum omittam Cæsarem,
Qui non quietem suaserit?
Eurûm procellis in mari furentibus,
Vim sentiente Nereo,
Gravique tempestate decumanos duplo
Augente fluctûs & triplo;
Navis, gubernatorque, vectoresque item
Periclitantur præmodum,
Salutis incerti. Tenacis anchoræ
Spes fixa nil juvat, juvat
Nil acre robur remigum, nil carbasa
Commissa cæco turbini.
O vela retro, dum licet, lege optimi
Secunde FRANCISCI *nepes,*
Portumque tutum carpe. Sic tibi Venus
Formosam ELISAM *ex Austriâ*
Deducat uxorem, tuâque cum pare
Dulci insenescas otio.

Digitized by Google

Fortitudinis exemplum.

QVANTA *vis hoſtes animi domantis,*
Quæve in heroo duce magnitudo
Mentis, & quantum queat excitatus
Pectore fervor:
Terna declarant ſatis illa bella
Pro focis pugnata, ſacris & aris;
Clarius monſtrat meliusque ſumma
Hora diei;
Omnibus nervis ubi dimicando
Prælians, vires animoſe totas
Exſeris princeps, gravibusque tandem
Occidis armis:
Quippe quem nemo, niſi bellicoſis
Hoſtium ſtipata manus catervis
(Proh fidem!) carâ ſpoliare quivit
Munere vitâ.
Arborem neſcis ita Caure magnam
Solus exſtirpare, niſi irruentes
Mutuis Eurusque Notusque jungant
Flabra procellis.
Tanta pol virtus, domitâ Zigetho,
Tale erat robur comitis Serini;
Cuius heu vidi mutilâ caput cervice revulſum.
Cedite o Bruti, Decij, Metelli;
Cedite hinc priſcis celebres ab annis:
En recens fuſi ſpecimen dat ingens
RVBBO *crueris.*

AD HENRICVM VALESIVM, ELECTVM REGEM POLONIÆ.

HENRICE *Francis edite Regibus,*
Quæ te remotæ in tesqua Poloniæ
Fortuna mittit, qui tot inter
Sarmatiæ populos, rigentem
Sitos ad Arcton, rex novus imperes?
Jam lata Rheni flumina, jam vada
Trajecta Mæni; jamque vestros
Albis habet Viaderque currûs.
Te dives auri Vistula, Carpati
Sub montis ortus finibus, obviis
Exspectat ulnis; destinati
Purpureum diadema regni,
Plaudente cœtu, timporibus tuis
Sacras ad aras impositurus, &
Pro more commissurus omne
Jus in eos necis atque vitæ.
Parum sed istic temporis auguror
Morabere, exsors advena Galliæ.
Nam prole germanus virili
CAROLVS *ecce caret, tibîque*
Successionis legitimæ vices
Debentur uni. Patria cum tuam
Dextram expetiscet, omniumque
Vox erit una, tuæque matris;
Revertere huc, dux magne, revertere,
Frena ut capessas Celtidos inclitæ:
Statumne mutabis, retroque
Vela dabis patriæ in salutem?

Digitized by Google

Næ deſtinata eſt pars thalamo tuo
De Lotharingo ſanguine, lilio
Ornanda regali LOISA,
Spes ſubolis nova procreandæ.

PRINCIPI IGNOTO.

Melos ſomniatum.

EXSVRGE *ſicut Lucifer, indue*
Thoraca; muni tempora caſſide;
Arma lacertos enſe; firma
Róbore quadrupedum cohortes,
Illuſtris heros. naſceris, ut geras
Summi Jehovæ bella, per avios
Traducta ſilvarum receſſûs,
Attonitæ metuenda genti.
Te durus armis Noricus inſtruit;
Vrbs ſubminiſtrat Franca alimonium;
Procúdit Argentina nummos;
Spes animum ſuper aſtra tollit.
Euæ! frementes rauca minis cie
Martis furores pectore concito;
Ceu fauce ſævâ rugientes
Indomitæ catuli leænæ
Olim inſuſurrant. nemo tibi manûs
Opponet acreis; quippe Deo duce
Bellator excíſum profanas
Ibis, ovans animi, catervas.
Rhenum bicornem tu pede dextero, &
Lævo Moſellam Treviricum premes;
Siccéſcet Euphrates Eóus.

Digitized by Google

Pons viridis tremet arxque Mæni.
Quæ fulsit alto stella recens polo
Felicitatem rebus in asperis
Portendit, ob mutationes
Imperij veteris novique.
Victor rebelles tundere pertinax,
Fusis redibis nobilis hostibus
Divina latâ lege jura
Reddere per populos, per urbes.
Tu celsa, cornu scilicet alterum,
Fastigiorum culmina subruens,
Æterna curabis renitens
Stare tropæa tui triumphi.

AD STEPHANVM BATTORIVM, REGEM POLONIÆ.

QVÆ te, Polonûm voce faventium,
Fortuna regem Sarmaticis plagis,
Veloce ab Henrici receptu,
Battoride STEPHANE *inter omnes*
Vnum spepondit: non ea casibus
Subjecta vulgi, nec temerariis
Dicetur eventis; sed ipsis
Sideribus patrioque cælo.
Numen, benignum Numen, in omnibus
Cui Fata parent subdita, proprio
Hæc administravit gubernans
Momine, consilioque certo,
Quo tota mundi machina firmiter
Adnixa fulcro stat. Deus est, Deus,
Qui regna transfert, transferetque

Digitized by Google

Postmodo, queis ea regna cumque
Volet daturus. Desinite, o genus
Mortale, rimari abdita calitum
Arcana. Si noctes diesque
Mille, vel Oedipodis Minervâ,
Mutationis causam, & originem
Cecam repertu, mille per ambitûs
Modosque, vestigetis: illa
Nunquam animo venit exputanda.
Fatale lancis pondus idoneam
Nequit Tonantis fallere dexteram.
Huic jus ademptum est cum coronâ;
Grande alij diadema partum.
Reconditarum tu sapientiam
Electe rerum intelligis, utpote
Quem magna doctrinæ paratæ
Copia, & ingeniosioris
Innata virtus stipet acuminis;
Rectêque agendi dexteritas manum,
Pectusque dium multitudo
Consilij melioris armet.
Rex quippe te uno nullibi gentium
Hoc vivit ævo doctior. Vnicum
Phœnica te cuncti vocare
Quadrifidis poterunt in oris.
Macte eia tantis macte animi bonis,
Fortique dextrâ! Jam mihi Thrax metu
Perculsus horrendo cor alget;
Alget, & in pharetram recondit
Tela heu veneno pérlita Colchico.
Jam te propinquorum (adspice) filij
Septemtrionum partim amore,

Digitized by Google

Partim odio quoque proſequuntur
In arma nati. Tu cape commodam
Occaſionem Marte potentior
Invadere hoſtes, hoſtiumque
Victor agros ſubito occupare
Exercitûs vi præpete, & arcium
Pinnis potiri. Scande age lauriger
Currûs triumphales, rotisque
Ferre novis medium per agmen:
Ceu, plauſitantum fama Quiritium,
Duces in antiquum Capitolium
Quondam vehebantur, corollis
Plectilibus capita alta vincti.
Quid? fallor, an vox Delphiaco ſpecu
Emiſſa lætis inſonat auribus,
Tibique fauſtos pollicetur
Imperio potiore faſces,
Et ampliores ulteriorum opes
Provinciarum? Vade, & alacribus
Cinctus Polonis, ſubjugatæ
Jure tuo dominare Moſchæ.

AD RVDOLPHVM SECVNDVM, ROM. IMPERATOREM.

VIX tribus luſtris ſeries dimidij inſecuti
RVDOLPHE Cæſar terminavit annos;
Quàm Libitina prædam
Splendidam egit, auferens
Carolum patris patruum, dein tibi Ferdinandum
Avum, patremque Maximillianum,
Auſtride procreatos

Digitized by Google

Cæſares origine!
Ponderi quorum juvenis pulcher adultiorum
Deo ordinante nunc ſubis, paratus
Ferre moleſtiarum
Ingruentum onus grave.
Ille te murum Scythicis oppoſitum catervis
Sequeſter obdit, rebus auſpicatis
Imperij, ducumque
Stantibus ſenaculis
Proſterê, palmæque modo niſibus obſtinatis
Pertædioſam ſarcinæ prementis
Te ſuperante molem,
Haud labante poplite.
Arduis geſtu ſuperûm rector ubi valentes
Jehova vires ſubminiſtrat auſis,
Non humeros nec artûs
Robur acre deſerit:
At neget præparcus opem, præſidiumque denat
Manu retractâ; virium facultas,
Cera velut liqueſcens,
Omnis omnium perit.
Macte virtutis ſolidæ, macte animi Imperator;
Præclara geſta fortium virorum
Quos tulit alta Roma,
Æmulare fortior.
Te tot Alcidæ validis, Teutona corda, nervis
Stipant: tot armant Pánnonei, tot Hunni,
Fulmina acuta belli;
Tot phalanges Auſtriæ;
Te Bohemorum ſequitur planta frequens leonum,
Jubâ, ungue, rictu (cernis) horridorum.
Terrificant Moloſſi

Digitized by Google

Beſtias Otmanicas.
Acer huc venator eas ſanguineis verútis
Oportet, ima ſaltuum fruteta
Súmmaque rite luſtrans,
Queis aprugna ſecubant
Roſtra, vinetis nimis heu roſtra inimica Jovæ.
Lupis & urſis tigribusque ſævis,
Idque genus RVDOLPHE
Pluribus (malum) feris
Quantus accrevit numerus! linquitur heu rapina
Ovile Chriſti. Milvij tenaces
Accipitresque aduncí,
Gryphiumque atrocium
Involant cortes miſeras agmina, vulturumque
Manus raponum; qui tuas alaudas
Quique aquilas adhámant,
Vnguibusque aheneis
Semper harpagare inhiant. Reccidimus profecto
Viéta turba, Thracibus domandi
Teutones, in ſenecti
Tempus orbis ultimum.
Sabbathum mundi celerat veſper. ob id monarchis
Volúcre raptim mane cludit ævum,
Curriculo repages
Arguente ferreas.
Tu capeſſendo ſatius publica frena Cæſar,
Diu ſuperſtes vive; vive rerum
Incolumis potiri,
Absque clade patriæ.

Digitized by Google

AD IVLIVM ECHTERVM, EPISCOPVM WIRZEBVRGIVM, FRANCIÆ DVCEM.

VVLGO *quin habeat res ea plurimum*
Momenti, ſpecies cuius in obvios
Incurrit orbes pupularum
Splendida, quis dubitabit unquam?
Miramur veterum jamque recentium
Moles magnificas, áltaque turribus
Ducta ad ipſas usque nubes
Culmina, cælitibus propinqua.
Quid prodeſſe rear talia, ſi vacent
Vſu, ſi populo commoda neſciant
Præbere, & auctorem nepoti
Invideant opera illa ſero?
Inciſum tabulis, aut brevibus typis
Commiſſum, merito plus animos ferit,
Ipſi voluptatemque menti
Suppeditat cupientiorem,
Quàm nudus paries, marmore nominum
Muto nobilium. Quid, rogo, Pántheon
Eſſet, niſi hoc Agrippa ſanxet?
Quidve rigens opus Hadriani,
Ad flavium Tiberim? quidve theatra tot,
Et tot pyramides cum ſtatuis forent,
Ni tanta paſſim proderentur
Conſpicuis monumenta ſignis?
IVLI, *tu gladio, tuque potens pedo*
ECHTERÆ *columen gentis, & incliti*
Antiſtes almus Virzeburgi,

Digitized by Google

Franciacique caput ducatûs ;
Non es, crede mihi, non ſine nomine es
Nomen. Poſteritas (auguro) regiam
Structuram, & excelſos Penates,
Splendidaque ætherias in oras
Magnis tecta adeó ducta laboribus,
Iris perfugium, quod neque diviti
Cræſo pudori ſit Midæve,
Nec ſatrapæ generoſiori ;
Laudare, & meritis tollere honoribus
Nunquam deſinet. At quos Académiæ
Sumptûs recenter auſpitandæ
Non facis, eximios ſequutus
Dextræ Mygdoniæ munere principes ?
Quos non doctiloquos in numerum viros
Legis profeſſorum, ſcholamque
Reddere teque celebriorem
Felix, & patriæ conſulere impiger ?
Rectê. doctus enim es, dóctaque pectora
Amas, & eruditiores
Haud modicæ tibi promovere
Curæ eſt. hoc etenim quisque paratior
Muſas hoſpitio ſuscipere exſules
Decenter, illarumque alumnos,
Quo màgis eſt reliquis ab arte
Inſtructus Clariâ : quæ rude, quæ ferum
Emollire genus ſuevit, & horridas
Domare cautes, ac modeſtos
Mentibus ingenerare mores.
Cœptis macte tuis, dux bone Franciæ.
Dextrum numen adeſt. Surge age, ſurge opus,
Fauſtum Camenarum ſaluti

Præſidium

Præſidium auſpiciis ſecundis.
Te non exſuperet docta Lutetia;
Te non ſeu Patavi ſive Bononiæ
Cultura vincat, nec politæ
Nobile gymnaſium Viennæ.
Cedant ingeniis extera gens tuis:
Francorum veniat promptior indole
Non ulla pubes. Fama noſtro
Propria ſit precor hæcce MÆNO.

IN LAVDEM SEBASTIANI VENERII, DVCIS VENETORVM.

VIRTVTE functos eximiâ duces,
Virosque priſcis laudibus æmulos,
Et pace præſignique bello
Digna foris ve domive geſta
Fari decórum eſt. Si placet, audiant
Hæc ipſa, ſanguis patricius, tui
Legantve gentiles, ſequeſter
Dive, potens maris Hadriani.
Sed doctiorum quis tua, quo decet,
Præclara vincto facta canet pede?
Quis præco duraturum in annos
Condere ſumet opus trecentos?
Venis ut ingens ardor inæſtuet;
Cum plena rerum copia ditium,
Tum magnitudo, finis expers,
Propoſiti monet abſtinendum.
Voſtras minutâ ne mihi ſit lyrâ
Tentare palmas. huc alares tubas,

Digitized by Google

Huc & ſonaturos (ut æquum eſt)
Grandia fer lituos trabales,
Vates novenis alte ſororibus,
Non invidendum qui Veneri ſacræ
Fers nomen acceptum: nec alter
Rector abes venerande Muſis.
Vides, ut amplos ſtrictior in ſinûs
Longê jacentum brachia litorum
FRANCISCE porrectam ſtupeſcat
Vndiſonam ratis Amphitriten,
Nudatâ firmo remige? fas tamen
Favente partam numine, claſſici
Victoris octonis marinam
Idibus inſeruiſſe pugnam.
Fortuna fauſtis ſideribus comes,
Fortuna pennis dextima candidis
Plaudens ovansque, ignara mergi
Voſtra liburna ſupervolavit,
In Chriſtianûm carbaſâ pronior:
Tranſtris ſed inſtans fortiter hoſticis,
Remosque roſtratasque proras
Frangere terricrepis procellis
Turbo repentè eſt viſus atrocior.
Pars ſauciari fulmine ferreo,
Pars diſſipari fruſtulatim,
Pars itidem jugâ ferre ſerva.
Non tum, profundo Thracibus óbrutis,
Victorioſæ munus adoreæ
Impune Naupactéa riſit
Alga, nec indecorem triumphum
Præſagierunt Biſtonides nurûs;
Quum funeratos glandibus æneis

Tinxisse flerent bellicosos
Triste cruore fretum maritos.
Immane, quanto mox fuerint metu
Formidulosi cærula Bosphori
Perculsa, Byzantique fracti
Mœnia! nam Selimo tyrannus
Terrore quassus cor tremulum, retro
Tendebat undis vela dare anxiis,
Periclitari in priva nolens
Damna mares animos Leonum.
Sic apparatûs agmine Persici
Xerxem replentem Dorida, prælio
Quondam Neoclidæ superbus
Fudit apud Salamina Mavors;
Piræa reddens tuta, per Atticam
Firmans quietorum otia mensium
Prolem, renascendis abunde
Palladis hilarata ramis.
Nunc ite Thraces, cæsaque corpora
Debete amaris fluctibus. ite nunc
Phocisque delphinisque naves
Ludibrium. Venetas pol alnos
Lunis cecidit sub melioribus
Felix bipennis; nec tibi flatuum
Adversiorum pugnat Eurus,
Optime dux patriæ triremis.
Quantum valeres arte duellicâ,
Sensit Columnas fœdere particeps;
Sensistis alatæ cohortes
Regis ab auxiliis Iberi.
Ante occupandum Threiciâ manu
Pulchram venustæ Cypridos insulam

Digitized by Google

Præſtò fuiſſes, o ſupremum
Hadriacæ columen ſalutis;
Injurioſi gens animi fugam
Suâpte credo ſponte capeſſeret,
Diſperſa Riphæas per oras
Trans Rhodopæ juga, trans & Hæmi.
Quid nuper? an non, vel ſimul ac tuum
Splendentis inſtar Luciferi jubar
Adfulſit, actutum luisque
Acria, letiferæque peſtes
Fugêre, morbique, & mala noxia
Contagionis, corporibus gravem
Latenter inſpirare diri
Callida ſævitiam veneni?
Reviſit urbes alma ſalubritas,
Camposque frugum priſtina fertiles
Adflavit auræ lenitudo:
Purius inde nitere Soles.
Foti Camenis in Patavi ſinum
Coire rurſum grex ſtudioſior:
Gaudere & Antennor ſub umbris;
Euganeique ſalire colles.
Verona priſcos ſalva colit Lares;
Integritatis Brixia mutuæ
Junxit Penates; ceteraque
Supplicio ſatis expiata.
At nil ab omni ſtat latere integrum,
Exſorsque noxæ. Quei meruit prius
Ille & fidelis veſter heros
(Dicite magnifici) intueri
Palatium atros in cineres prius
Verſum, ſupremâ quàm vetulum die

Finiret ævum? nunc sed heu
Illud & ille jacet; jacentque
Vnâ tot, igni quæ periisse flet
Nereus, & udus Nereidum chorus,
Amissa jacturæque rerum
Irreparabilium, nisi olim
Damnum repensans hora sequacibus
Ahena inauret tempora commodis.
Atqui novatum surget istud,
Et novus ipse resurget idem,
Vocante Manes cælite classico:
Quanquam inclyti ne sic quidem in abditis
Tot facta bellatoris antris
Clausa latent, sed aperta cunctis
Qui sunt, feruntur; quique dehinc erunt,
Ferentur; arcto si tumularier
Heroa nec virtus, nec ævi
Splendida fama cavo potestur.
Sed jam propinquum nostra volans subit
Portum faselus. desine næniis
In pace composto rogales
Musa loquax iterare questûs.

IN NVPTIAS ALPHONSI SECVNDI, FERRARIÆ DVCIS.

FESTAS choréas, & genialium
Ludos jocorum, diaque noctium
Ostenta collucente flammâ,
Et crepera simulacra pugnæ;
Dum Mantuani filia principis
FERRARIENSI *legitimè duci,*

Digitized by Google

Futura lecti pars jugalis,
Siſtitur: Aonio quis ore
Verſuque, tedas qui deceat, canet?
Quæ digna vatum penna recentium
Splendentis exæquabit auro
Ac nitidis radioſa gemmis
Fulgétra Divæ? Diva quibus modis
Dicetur ipſa; aut tu quibus, inclite
ALFONSE *metris, Allemannæ*
Multimodis ſtudioſe linguæ?
Me quippe thyrſo carminis enthei
Jampridem adactum non Hymenëos
Modò apparatûs hac in aulâ,
Regificasque novem dierum
Sollennitates dicere, laus agit,
Et quidquid usquam conſpicitur decens:
Verùm & laceſſitos cupido
Egregiis animoſus auſis
Titillat artûs, non ſine Palladis
Vrgente juſſu, perpetuum tuis
Hinc auſpicaturæ poëma
Laudibus, eximiisque factis.
Olim ſed iſtud. Nil niſi jubila
Nunc audiuntor cum fidium ſono
Tubisque lætis. En ſuperbâ
Mincius imperioſus undâ,
Et fluminum rex Eridanus, potens
Surſum frequenti tollere brachia
Vterque plauſu, nuptialem
Lætitiam tibi gratulantur,
Adfinitatis fœdere mutuo
Non ſejugati. nec mihi cornuum

Prægeſtiendo temperabit
Vber aquis Atheſinus amnis.
Quin ipſe crebris Hadria fluctibus
Elatiori litora verberat
Fragore, Neptuno per æquor
Cæruleis equitante mannis.
Gurges profundo quotquot habet Deas,
Quotquot ſub udorum amne cubilium
Paduſve Nymphas Mincius ve;
Exſiliunt, & in omen unâ
Omnes ſecundum gaudia congerunt,
Tuis fluentem ſidere proſpero
Succeſſum, & exoptata cæptis
Munera rite dari precatæ.
Vides, ut ictûs immemores feri, &
Collacrimati lúgubre ſuccini
Manare deſuetæ piamen,
Heliades quoque lætiorem
Frontem ſerenis vultibus explicent?
At nemo quisquam de populi grege
Veſtri dat atræ mæſta curæ
Signa, hilaris odioſa pompis.
Quem non voluptas excitat æmula,
Commune melli cui neque gaudium eſt,
Nec publicus cordi triumphus;
Vsque fleat doleatque fas eſt.

AD RVDOLPHVM II. ROM. IMP. ET ERNESTVM ARCHIDVCEM AVSTRIÆ.

LAVDES magnificas Auſtriacæ domûs,
Surpisque veſtræ regia ſidera,

Præconis alto dicta versu
CROPACII, *& meritam Viennæ*
Famam, cui potius quàm tibi dedicem
RVDOLPHE *Cæsar, nominis incliti*
Defensor, ERNESTOque *fratri,*
Munia Pannoniæ gerenti?
Divinam Themin, & fatidicæ Deæ
Suadam sororem quippe rogaveram
Consultor. oraclum legendos
Vos dedit ante alios dynastas.
Nimirum patriarum obvia vos uti
Provinciarum sors vice mutuâ
Decrevit heredes, avitis
Régnaque distribuit statuis
Vsurpanda: pari sic glomeramine
Vestigiorum trita capacium
Signa adsequutos, pacta reddit
Gloria participes honorum.
Quanquam semper inest vis generosior
Fulvis jubatâ fronte leonibus,
Virtusque sublimes in altum
Præpetibus volitare pennis
Vrget sponte aquilas, fulmineum genus:
Tamen sequaci sæpe parentium
Docentur exemplo minores.
Non secus arduitatis ipsi
Metis admoniti, quamlibet inviis;
Quo dirigatis roboris insitas
Vires, inexhaustosque nervos,
Ante oculos iter altum habetis.
Alpinis abies edita montibus
Contenta non est vertice montium;

Sed usque se contendit ipsam
Exsuperare, jugumque summum
In quo nata viret; non hiemis modò
Ventique & æstûs, sed quoque fulminum
Sæveque contemptrix procellæ.
Perstat, & aërij Tonantis,
Nusquam mota loco, triste periculum
Vitat, comanti fronde superbiens.
Mirantur hanc salvam jugorum
Numina quotquot, Oreadesque
Et cane Dryades saltibus imperant,
Tutela præsens stirpibus arborum;
Non absque vicinæ minaci
Invidiâ pereuntis orni.
Ecquis non itidem, Dijs sata gens, tuum
Sceptrum & tiaram, quâ pote, maximè
Sublime culmen pertigisse
Dicat, & astra ferire famâ?
Quis vestros apices non meritissimo
Ob nomen ingens suspiciat? Tulit,
Tulit tot ac tantos propago
Nobilis Austriadûm monarchas,
Vt cum præcipuis tótius audeant
Orbis tyrannis laude celebribus
Certare, & insignes triumphos
Emeritamque referre palmam.

AD ISMAELEM SOPHIVM, REGEM PERSARVM.

Incentivum.

METVENDVS *generi Christiadarum*

Digitized by Google

Ferus ille hoſtis, atrox, & capitalis,
Toties jam ſuperatus tibi victricibus armis,
Sibi tandem vada Byzantia nusquam
Fore ſecura timet tutaque; greſſum
Vbi miles tuus intra regionem pharetratam
Tulerit, liberiore exſpatiatus
Equitatu, peditatuque ruenti.
Age porrò, generoſiſsime Rex, perſequere hoſtes,
Nec inabrupta Tyches emolumenta, &
Patrij proſpera magmenta Gradivi
Fuge, quacumque patebit via vi, continuare.
Per apertum tua duc ſigna, trucemque
Othomanni ſubolem fac Tanaim ultra
Gelidum, & Caucaſea ultra juga ſeptemque triones
Procul actam domites; atque ita fundas,
Vt in Europam Aſiamque arma nefanda
Latro nũquam queat audace manu ſumere deinceps,
Licet omnem lapidem moverit, atque
In acutos gladios omne metallum,
Dryadum omnes ſilũas verterit in bellica tela.
Viden' ut te & tua circùm agmina lætis
Volet interrita Victoria pennis?
Cape fauſtum omen, & acri ſociûm robore pollens
Quate muros, quate turres, quate portas;
Per & urbes pede veloce Gelonas
Phaleratis in equis invehere o Perſa triumphans.
Tamen hæc inter honorare memento
Sacra CHRISTI, *venerarique Tonantis*
Grave numen, neque noſtræ fidei jura profeſſos
Loco eodem puta habendos, pariles quo
Agathyrsûmque Getarumque maniplos.
Tibi qui non nocuere, his decet æquam dare legem.

Digitized by Google

AD IOANNEM COMITEM PALATINVM RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

LEGITIMAM *nepotum*
Caroli Magni ſubolem, Teutona corda, lati
Queis data frena Rheni,
Dum Palatinos proceres, & procerum labores
Inſeruiſſe noſtris
Gaudeo vates Melicis: tu mihi præter omnes
IANE, *Bipontis heres,*
Dignus occurris, citharam cui veneranda Cleio
Annuerit libenter,
Principum palmare decus. Dixero comitatem;
Dixero ſingularem,
Quæ tibi cordi eſt, pietatem, ingeniumque ſollers,
Pectus & eruditè
Litteras doctum Latias; non ſine tam recentum
Hiſtoriarum amore,
Quàm vetuſtarum ſtudio. Colligis, undecumque
Dignum aliquid repertu
Se repræſentans oculis, vel ſeriem librorum,
Vel tabularum honorem
Poſſit augere, & graviũm cognitione rerum
Mentem animi per artes
Reddere expertam varias, multiplicemque ob uſum.
Namque virens ut hortus
Stirpibus plantisque novis, arboribusque & herbis
Omne genus refertus,
Sufficit paſſim innumero commoda mille fructu:
Sic penus unctioris
Ingeni, partis opibus divitiisque plena,

Digitized by Google

Emolumentum in amplum
Suggerit carę patriæ consiliorum acervum
Vtilium quotannis.
Hac tuo causas populo commoditate freto
Sors bona prosperavit,
Et salutarem meritis addidit æqua pacem:
Quâ precor ut fruaris
Perpetim, nec laudis egens, nec meritorum inanis.

~~AD ELISABETHAM~~
~~REGINAM~~

HEV, *quæ latrones perniciem in tuam*
Erinnys armat? quis furor efferas
Sicariorum cæde trudit
In scelera exitiosa dextras?
Jam deprehensi sunt toties necis
Diræ administri; nec tamen impios
Deterret auctores, ELISA,
Supplicij genus irrogati.
Divina summi cura DEI *malis*
Tutam periclis præstitit hactenus,
Custode fido nempe vitæ
Apposito, vigilique ocello.
Si quid dehinc discriminis ingruat,
Idem repellet protenus, ac tuis
Defendet adversum imminentes
Pectoribus bene firmus ictûs.
Sic spero certê, nec minus apprecor
Vt fiat. Ipsum nam me equidem lubens
Fatebor unum, qui tui pro
Verticis incolumi vigore,

Digitized by Google

Statuque regni sospite votaque
Precesque fundat pectore ab intimo;
Felicis eventûs præoptans
Gaudia, lætificamque sortem.
Pro te Jehovam non merito rogem,
ELISA, *cultæ clara Britanniæ*
Regina, quâ vel doctiorem
Pristina, vel sapientiorem
Magisque facundam haud tulit, haud feret
Ætas renascens? Nosce animum hunc meum;
Nosce hunc amorem, pluriumque
Præterea, tibi qui tuisque
Sceptris verecundo ex animo favent.
At funeratam qui miserè volunt
Præsente fato, comprehensis
Damna repende, repende fatum.

AD CHRISTIANVM DVCEM SAXONIÆ, AVGVSTI F.

Pro liberatione Casparis PEVCERI.

CHRISTIANE, *potentum*
Clare Saxoniæ ducum sanguis; en tua supplex
Ad genua advolutus,
Grex Poëtarum omnigenûm Teutoniæ, precari
Obsecrâreque nunquam
Desinet validissimis quàm potest precibusque &
Supplicijs, & imo ex
Corde tot desideriis adsiduè profectis;
Vt, miserrima quàm sit
Vinculis rigidissimis tam diu & sine fine

Conditio impediti,
Mente perpendas tacitâ, & commiseratione
Motus, istud acerbum
Mitigare decennium carceremque labores,
Quo malè detinentur
Crura PEVCERI. *Meruit si violentiori*
Manciparier antro,
Leniat diuturnitas fervidam patris iram,
Leniat irrogata
Pœna gliscentes animos. Doctus & eruditus
Ille, & in variarum
Artium penitralibus diligenter, & omni
Cum studio & labore,
Tum fide versatus; item præter opinionem
Multitudinis imæ
Mente præditus entheâ, gratiam prope nullam
Impetret? an scientem
Plurimæ linguæ veterum nulla (quod heu dolendum
Liberare potis sit? [est)
An nihil remedi sagax Æsculapius ille,
Aut opifex Apollo
Calleat portare suo munis uterque alumno?
Prosit ah socerum olim
Quod Melánthona dixerit, principem & coryphæum
Palladiæ cateruæ.
Prosit, exantlasse molestam historiæ exarandæ
Curam, & aurea cum Diis
Gratiisque volentibus consecrasse beatæ
Scripta Perennitati.
Numen AVGVSTI *placidâ proinde roga parentis*
Quæsumus prece, dux o
CHRISTIANE, *oculis piis ut gravissima tandem*

Digitized by Google

Respiciens misselli
Vincla PEVCERI *senis, aut liberiorem in auram*
Missum ad Albidis undas
Ambulare domum sinat, aut (modò ulla petitis
Spes bona restat) illum
Filio nostrisve choris donet. Vbi hocce faxis,
Gloriam tibi summam
Comparabis apud tuos non piæ modò mentis,
Verùm etiam æquitatis;
Exterosque & cuncta penes Castaliæ cohortis
Rara pectora clemens,
Comis, approbus audies. maximas quoque grates
Tam tibi quàm parenti
Rite persolvent Charites, linguaque docta vatum.

AD GVLIELMVM ROBERTVM, DVCEM BVLIONIVM.

VRBES, Teutoniæ quas tenet ambitus,
Lustrandi cupidum te modò Norici
Montis relictâ sede, rectus
Mittet cursus in Austriam,
Divorum patriam, quos colo, Cæsarum.
Spectabis nitidæ mœnia, quàm patent
Latè, Viennæ, Cæciique
Verrucosa cacumina,
Et quodcumque super Pannonij soli.
Hinc te Praga potens, aúlaque Cæsaris
Splendore præfulgens RVDOLPHI
Dignis excipiet modis.
Non te Pierio carmine prosequar,
Excelsi generis sanguine prosatum?

Non vota pro vestrâ salute
Fundam munere debito?
Europæ fluviorum o rapidissime
Amnis, quem metuunt æquora, Dánubi,
Fac salvam & expertem periclí
Navim principis optimi
Tuto flumine tot millia devehas,
Dum sperata pedes litora sospites
Figant in actâ. vosque Syrtes,
Interrupta minacibus
Saxis per medias antra voragines;
Sedate o fremitûs, horribilemque æquo
Spumantis æstum. Spectet insons
Vndantes fluvij minas
Tam pulchrum caput, ac pectus idoneum
Olim pro patriis egregias focis
Adire pugnas, lubricisque
Constantem penitus fidem
Dextris oppositam, reddere posteris.
Si te exempla movent, ut merito movent,
ROBERTE, *maiorum ducisque*
GOTFRIDI *Bolionij,*
Qui bello validos perdomuit Syros,
Atque urbem Solymam fortiter hostibus
Redoccupavit interemptis,
Dignus nomine regio:
Subdant illa tibi calcar, ad inclitam
Virtutem exstimulans acrius. haud minor
Sit cura germano, virile
Heroum decus ingredi.
Quo vos cumque vocant ardua grandium
Rerum, & difficilis militiæ labos;

Vterque

Vterque macti ſite, ut olim
Dulcis vos ſaturet quies:
Ah ſmes utinam cernere Galliæ
Pacatos liceat, donec ab Hunnicis
Domum reuerſus ſoſpes oris,
Sertas indigenis Deis
Votivas memori pectore dedices;
Et tecum redeant incolumes, tuæ
Queis cura demandata vitæ, &
Susceptæ ſeries viæ.
Natæ Borboniæ ſtirpe propaginis,
Suſpirans reditu mater eget tuo,
Quâ Moſa jucundis Sedánum
Lymphis molliter irrigat.
Ecquidnam ſupereſt, quod tibi comprecer
O princeps? Eadem ſit tua ſors velim,
Quam maximê exoptant beati,
Et quâ tute cupis frui.

AD LVDOVICVM DVCEM WIRTENBERGIVM.

ET flore & almi germine báccharis
E vincta flavas Melpomene comas
Greßûs adornabat propinquos,
Inclite DVX, *tibi gratulatum*
Adventum in urbis compita Noricæ;
Et jam Penates triſte petoritum
Intrabat, advectans maritam,
Ægidii prope tecta ſani:
Cum turre ab altâ clangor Iliſſias
Turbat volúcres fúnebres. En malum

Digitized by Google

Omen, malum omnino ac ſiniſtrum
(POEMERIO ore gemente dixi)
Quòd ſigna dantur triſtia mortuis,
Quin immò vivis: ſubjicit ille. Vix,
Vix biduanus tute noſtrâ
Hoſpes in urbe moraris, ex quo
Vinarienſis læta ſororij
Thuringum ad Ilmum gaudia cum tuâ
Vxore liquiſti, Necrimos
Deſubito repetens receſſûs.
Invidit amplæ lúgubris Atropos
Felicitati. nec mora; rumpere
Aggreſſa vitæ longioris
Stamina DOROTHEÆ, Badeni
Celſo creatæ ſanguine CAROLI,
Te reddit orbum, te viduat tori
Conſorte carâ. Solus heu
Solus ages nemore in retruſo
Ævum, dolendo; turturis in modum
Suavi carentis compare, quam nocens
Auceps dolosâ fraude cepit,
Aut celeri feriit ſagittâ.
Audis, ut altos dent gemitu ſonos,
Leſſumque ducant ob Dominam invicem
Orbæ gynæcéi puellæ?
Largiſluoque genas rigatæ
Madore, flentes ut tuditent gravi
Vitale pugno pectus; & inſuper
Heu fata, fata heu dira, mæſtæ
Ingeminent tetricis querellis?
Gemmæ, & nitescens veſtis, & aureæ
(Aiunt) mitellæ hinc ite agedum procul:

Digitized by Google

Simulque prævelare tendunt
Timpora funereâ cupreſſu.
Pegræſſus imo tot querimonias
Vndans ut hauſit gurgite, protinus
Nymphæ ſorores lacrimarum
Flumine delicuiſſe viſæ.
Cum Fama jugem perculerit Necrum
Rumore certo; quid rogo acerbius
Sic derelictæ, LVDOVICE,
Accidere heu patriæ poteſtur?
Quid nationi? quidve Académiæ?
Quid junctiori ſanguine proximis?
Haud defetiſcetur piarum
CRVSIVS *Aonidum ſacerdos*
Chordis ſonorum tendere barbiton,
Et veſtra Graio plangere funera
Cantu, parentalemque mutos
Ad cineres iterare vocem.
Alter quis autem eſt, qui numeroſior
Orationis lemmata fúnebris
Concinnat, & curſum diſerto
Integrat ore, ruentis inſtar
Amnis ſecundo flumine? Diis ego
Diis advocatis ſupplico, queis mea
Sunt usque cordi plectra; donent,
Non homines modò poſſe doctis
Ad condolendum cire melódiis;
Feras ſed ipſas, & lapides rudes,
Totasque ſilvas lacrimoſæ
Frangere carminibus cicutæ,
Et vim cycnéam ſubdere piſcibus.
Hæc norat Orpheus, Iſmarius canor:

Hæc norat Amphion, & ipſa
Vocis Arioniæ facultas.
Stat flere privatam aëre conjugem:
Stat prole caſſam ſimplice conqueri.
At non beatam excluſit illi
Mors animam a ſuperûm ducatu:
Vt nec tibi, DVX o celeber, viam
Obſepſit arctam luctus, ab alterâ.
Qui te (ſed olim) copulandâ
Arceat, ob ſubolem creandam.
Sic ſpero ſanè. nam Venus alteram
Seu Juno fautrix éducat VRSVLAM
Tibi Palatinis in hortis,
Delicias & amœnitates
Lecto ſecundo. Cetera ne nimis
Luge; ſed eventum æquanimus Deo
Committe. Poſt nubes ſuëvit
Auricomus revenire Pæan.

AD IACOBVM MARCHIONEM BADENSEM, CAROLI F.

AVDAX *ingenui pectoris impetus,*
Et virtus, animum vi penitrabili
Ad ſublimia rerum
Inſtigans, & ad arduos
Caſus quottidie gnaviter excitans;
Te ſpondet celebrem militiâ fore,
O exorte Badenæ
Alter Mars & honor domûs.
An te ſic potuit mater amabilis
Ab ſe mittere? ſic patriæ linquere?

Digitized by Google

Sic Durlachia Nymphe
Vultu ſuſtinuit tuo
Privari? Comes is magnanimo duci,
Illum pro patriâ, & pro patriæ inclitâ
Libertate gerenti.
O quantum eſt, facere auſpice
Hoc tirocinium? Nemo adeò tenax
Eſto, vel modicis parcere ſumptibus
Vt malit, Theomneſti
Quàm veſtigia principis
Fortunata ſequi. Dulce humeris labos,
Adfectans ſolidæ præmia gloriæ,
Atque æterna paciſcens
Dignis nomina laudibus.
Ecquem non alacrem reddiderint tubæ?
Eccui non animum tympana roborent?
Heic flos nobilitatis
Germanæ prope totus eſt:
Heic tot conſpicui, quos memores, viri,
Inſignesque manu, & conſilio graves.
Inter quos Fabianum,
Cui gentilitium dedit
Nomen DONA *vetus, ſicubi cernere eſt,*
Aut armos ſodientem acris ad arma æqui,
Aut per caſtra tuentem
Vallos, ut fit, & aggeres,
Aut juſſas obeuntem eximiâ fide
Curas atque operas; non ſimilem Deis
Præſtò ferre adeſſe
Meſſallæ tibi imaginem?
At noſtri merita & facta boni ducis
Cum quo Scipiadarum aut Deciâm queas

Tam florentibus annis
Conferre? Vnus hic omnium
Virtutes superat: nec modo ab omnibus
Hic unus meruit maximê amarier,
Verùm & summus haberi
Inter præcipuos duces.
Huic cum tute frequens ad latus hæreas
Arctê; quis dubitet, quin etiam ipsemet
Longo edoctus ab usu
Fias experientior?

AD FRIDERICVM IV. PALATINVM RHENI COMITEM, BAVARIÆ DVCEM.

EXEMPTVS humanis alienissimo
tempore est patruus,
FRIDERICE Palatine,
Lanificis breve lilium sororibus
Pollice fatali nemibus.
Vix matris umbras reæsta parentaverat
Antiquo flamini
Querimonia; & luctu
Cum Lusitina domestico obrutens, patre
Orbat adhuc impubem, & genas
Læves germinem, necdum adolescentiæ
Incipienda limina
Pene finitimo invectum:
Atque ideo, obtenebrat puerilitiam, imparem
Nec satis instructum propriis
Fusta administrare imperij munia,
Subditosve (ceu decet)

Fortem, utì lubens prem
Monitis tibì formator
Magnum alacer, reliquique nobiles, duces
Ac moderatores emitæ
Tendentis ad virtutem, aliosque insuper
Laudis atque gloriæ
Apices; quibus insignem
Post obitus hodiêque colimus palàm
Principibus famam gliscere,
Ævo perennantem. sed enimhanc tuquoque
Conquére adorea mi,
Vbi non modò virtutes,
Verùm etiam in pretio atque honore te penes
Exstiterint perdocti viri.

AD MAVRICIVM LANDEGRAVIVM HESSIÆ, WILHELMI F.

MAVRICI, proles patris eruditi,
Siderum scrutantis eüntium orbes;
Prona cui submittere amat lubentes
Hæßia fasces:
Anne divinis Sophiæ repertis
Excolis mentem, variisque linguis
Gnavus incumbis, repetisque doctas
Palladis artes?
Principi nil tam bene cónvenit, quàm
Esse versatum in studiis bonarum
Artium, & mores didicisse copi
Pectore dignos.
Huic novæ leges, & adulta parent
Jura: nec quisquam queritur rebelles

Digitized by Google

Subditos contra facere ac vetuſto
More receptum eſt.
Ardui ſi quid regionis ergo
Incidit, non ſemper eget diſertis
Jureconſultis, aliisve, quorum
Conſilia ille,
Ille per ſeſe catus, aucupetur:
Suppetunt largæ ſed opesque resque
Verbaque haud vanas iterata lingua
Verbere in auras.
Rectius terras ſapiens gubernat,
Multa cui libri tribuere docti, &
Multiplex rerum documenta plura
Contulit uſus.

AD GOTHARTVM DVCEM LIVONIÆ.

MAGNANIMOS *inter Teutoniæ duces,*
Regumque clarorum inclita nomina,
Queis dia virtus, atque verax
Relligio pietasque cordi eſt,
Te quoque ſi ponam carmine nobilem,
GOTHARTE *princeps magne Livoniæ:*
Non eſt, opinor, quod recuſes
Ordinibus procerum optimorum
Aoniisque olim cœtibus inſeri.
Nam te quis alter ſit celebratior?
Quis alta ſurſum ad aſtra tolli
Verſibus, ellogiisque laudum
Grandibus ornari dignior? O mihi
Vultum tetrarchæ tam venerabilem

Digitized by Google

Coram liceret intueri,
Munificamque manum oſculari:
Qualibus & quantis adficerer, vices
Sortis recordans, pectora gaudiis!
Quantam voluptatem ex benigno
Perciperem ſonitu loquentis!
Turbida poſt bella, atque agmina Pánnonum,
Uſaſque Martis turbine Gallias;
Poſt nubilum Apenninum, & Alpes
Culmine ſideribus minantes,
Poſt ſuperatum ingens Oceani malum,
Et quod ſiniſtri fert iter inſolens:
Certè peregrinantem adhuc me
Intemerata rapit lubido
Pluria viſendi teſqua, juga, & plagas,
Gentesque, & ampli marginis incolas,
Septemtrioni proximantes,
Non ſine fluminibus locorum:
Materiem cultis nempe darent metris
Rerum exterarum prodigia. hinc reor
Exemplar ornatuque pulchro &
Verſicolore notâ niteret.
Ante alios omnes te mihi ſumerem
O DVX *canendum, & legitimam tori*
Nympham, Megalburgi vetuſto
Semine Saxonici creatam.
Adde tuos natos, enthea pectora,
Poſt te regundis finibus a Deo
Jam deſtinatos: cui ſecures,
Scéptraque, & imperij poteſtas,
Et populi curæ; cuius ad unicos
Nutûs monarchis terminus inſtat, &

Digitized by Google

Letum tyrannis. Ille transfert
Regna ſubinde, novosque reges
Sufficit antiquis, nec ſpeciem aut genus
Curans, nec alti ſtemmata ſanguinis:
Bonos in arcem ſublevare
Promptior, at premere impiatos
Et ſcelere & tinctâ cæde cruoribus.
Vt juſtus eſt, ſic juſtitiæ Deus
Patrocinatur, lancis æquæ
Arbitrium gladiique geſtans.
Te ſtabilem in ſellâ ſoſpitet is ratâ
Precor, tuisque in mutua poſteris
Elargiatur poſſidere
Poſſe diu regionem avitam
Fœdera, & a pactis inviolabilem,
Nec pacis expertem. Hæc rata ſint uti
Vota, apprecari quippe fas eſt,
Quotquot habes animi fideles.

AD PRINCIPEM IGNOTVM.

VIRTVS *nulla quidem laboris expers,*
Nec quisquam potis eſt imaginando
Virtutes adipiſcier cupitas,
Absque labore.
Cur fortuna magis favet labori,
Virtutique minus? Labor ſibi ipſe
Merces: invidiæ meretur inſons
Præmia virtus.
Fortunam pare lance ponderemus,
EVTYCHE, *invidiamque proſtitutam:*
En, quàm Fors levis, & gravis premendo

Digitized by Google

Livida bilis!
Tu, quem sors bona sustulit benignè,
Me, quem sors mala deprimit malignè,
Fortunate leva, bonæque fac me
Participem aurę.
Tum pili faciens ego ipse plenum
Livoris jecur, invidique fellis,
Quod me cumque odium manebit, alto
Pectore temnam;
Virtutesque tuas laborioſus
Æmulabor. Erit, dehinc ut æquos
Mutatâ vice sors mihi rependat
Æqua labores.

PAVLI MELISSI SCHEDII, FRANCI

MELICORVM

LIBER SECVNDVS.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

QVos legis, Regina, meæ libellos
Indolis præ se ſpecimen ferentes,
Quinque luſtrorum, quibus otioſas
Trivimus horas,
Eſſe opus ſcito. Calami laborem,
Quem ſtylus poſcit metrici canoris,
Vt vides, omnem tibi dedicavi;
Docta quòd eſſes,
Atque linguarum variarum ad unguem
Scita, & idcirco raperes amore
Me tui, deſiderioque magno
Nympha videndæ.
Vt loquax intra mediocritatem
Sermo conſiſtat meus, & papyrus
Hæcce non alto nimis expetiſcat
Nomine ferri:
Attamen pervolve meos libellos
Limine in primo, medioque & imo;

Nulla pol clangore tuæ carebit
Pagina laudis.
Idque adhuc deinceps fore pollicebor.
Namque jam totum quia consecravi
Me tibi, Regina, tuæque laudi,
Advena & hospes;
Quis vetet (jussu monitor Minervæ)
Quo minus dextro radio inchoata
Finiam æternæ studio irremisso
Stamina telæ?

AD IOACHIMVM ET HENRICVM ORTENBVRGIOS COMITES ANTIQVOS.

PRÆCLARA res est, omnibus & modis
Summè celebranda, ut puto, principes
Cultis bonarum litterarum
In studiis posuisse tempus;
Primoque ab ævi flore veritiam
Nactos earum, quas modò ventilat
Censura, controversiarum,
Judicio didicisse sano
Dignoscere astum & flexibiles dolos
A veritatis gutture simplici,
Griphosque verborum implicantum
Ambiguos ab apertiore
Planum professi dogmate pectoris;
Tum nigrum ab albo, plumbea ab aureis
Secernere, & technis remotis
Justificas stabilire leges.
Deliberandum si grave & arduum

Digitized by Google

Se quidpiam offert, quo nisi protinus
Fontes recurrendum est ad ipsos,
Ad penitasque rei medullas?
Quàm multa per se principibus patent
Ipsismet ultro, queis sapientiæ
Doctrina profectu beatas
Divite nutrit alitque mentes:
Quum ceteroquin, in medium quod hic
Aut ille juris scitior attulit,
Tanquam peregrino relatum
Auriculas feriet sonore.
At tædiosum est mentem aliam sequi,
Suâ relictâ; quòd neque idonea
Neque apta sit rebus gerendis,
Arbitrio dominata servi.
Accedit huc, quòd sæpe domesticis
Suisque egentes consiliis, eos
Audire cogantur tetrarchæ,
Quorum opera exitij & ruinæ
Cladisque causa est, non modò subditis,
Verùm & sibi ipsis, dum malè consulunt,
Et turbulentas machinando
Sollicitant Acherontis undas,
Chao reducto. Talia persequi
Incommoda, huius non fuerit loci.
Duntaxit hæc nostra eruditos
Calliopę celebrare sumpsit
Viros, Camenis præsidium sacris:
Quos inter altâ te memorem tubâ,
O sanguis ORTENBVRGIORVM
Bavaridûm IOACHIME, *teque*
HENRICE *eodem semine prósatum:*

Vtrumque

Digitized by Google

Vtrumque veris ingenuê artibus
Excultum, & illustres merentem
Nobilium titulorum honores.
Antiquiorum non sat imaginum
Vos usque virtutem, ac decus inclitum
Spirare? doctrinarum abunde
Stemmatibus cumulum addidistis.
Sollerte quales aurificis manu
Gemmæ repostæ versicoloribus
Monilia exornant figuris,
Et lapidum pretiosiorum
Gazam intuentis lumina vivida
Potenter ad sese alliciunt, sui
Amore; quomodo & sub Ida
Culmine forte repertus olim
Magnes, ahenas attrahere efficax
Massas: peræquê vis generosior
Elúcet ex splendore vestri
Nominis, eximioque cultu.
Exsertat acres magnanimus vigor
Dotes, & ingens egregias sui
Mentes in admirationem
Sponte rapit rapietque porró
Virtutis ardor. Fas mihi sit tuas
Cantare laudes o IOACHIME, *qui*
Vt sortis adversæ premaris
Fluctibus, haud tamen opprimêris.
Fu & mihi sit te celebrem meo
HENRICE *versu reddere, qui novem*
Phœbi sororum amare cœtum
A tenero puer ungue suesti.
Nimirum adepti munera gloriæ

Digitized by Google

Cum ſitis ambo, veſtra age quis dehinc
Vetabit immortalitati
Nomina perpetuo ſacranda?

AD IVLIVM COMITEM SALMÆVM.

Feliciores ſunt aliis aliæ
Temporibus Muſæ. ſpretus honor jacet
Interdum earum, nunc in altos
Splendidior levat ille pennas
Tractûs Olympi: qualis in ætherias
Remigiis alæ præpes ovans Jovis
Liberrimê ſe librat auras,
Fulminis haud metuens triſulci.
Cuiâ ſit iſtud, dic, operâ? an Genio,
Aut poſitu ſtellarum, aut hominum & Dei
Fatis, vel æquâ ponderatis;
Impare vel trutinâ, imputandum?
An forte culpæ quisque ſuæ faber eſt?
Quôque magis Famam prenſat, eo magis
Illi ipſa vertit terga; ſicut
Fluxa capillitio recalvo
Fortuna, cæcis fallere imaginibus
Immeritos gaudens, & variabili
Exponere irriſos abunde
Ludibrio, & rudibus cachinnis.
At non laborum vilis inutilium
Decipitur quondam Chœrilus, inclito
Auſus malè ortis ac ſiniſtrê
Verſiculis (ut ineruditi
Solent) Alexandro obſtrepere improbiter:

Digitized by Google

Scipitibus dorſum ſcribier ulmeis,
Regale quàm gratis nomiſma
Dignior accipere hei Philippos.
Exactori tu bone cenſor agis
Judicio; ac vivos pectoris impetûs,
SALMÆE IVLI, *candidosque*
Rite cycnos ab inerte gansâ
Atrisque corvis (quâ cluet ingenium
Arte tuum, multis nobile dotibus)
Secernis acer: Cilnij inſtar,
Regibus Oenotriis creati;
Cui Plotius, cui Flaccus, itemque Maro
Et Varius, ſuavique ore Propertius
Doctas replebant ſemper ædes,
Flos Latij dominæque Romæ.
Spretos procul ſe Mevius & Bavius
Cernere. Suffenis nil pretij ſuper,
Vt nil Aquinis Cæſiisque,
Et genus hoc aliis ineptis;
Quorum cicutas nil niſi de trivio
Arcadicum quiddam ſtridere inaudias.
Certamen at Phryx impudenter
Marſya cum Clario inchoabit
Deo. nec abſunt, heu, ruditate ſonos
Qui cuculi inſuaves turpiter æſtiment
Præſtantiorês eſſe dulcis
Atthidos artifici canore.
Quonam patrono, quam mea Muſa parat
Suscipere, ſtabit FRANCIADOS *labor*
Defenſus? aut cuius dynaſtæ
Præſidium calor invocabit,
Mentem excitatam non niſi ad arduum opus

Quottidie inflammans? non ego virium
Inops, nec a venæ scatébris
Pauper, Apollineove dono.
At sive plectri Pindarici numeros,
Seu citharam lenem vatis Horatij
Sequi, aut Poëtam Mantuanum,
Mæoniæve tubæ canorem
Conabimur: te, queis pote cumque modis,
Magnanime o Heros, concelebravero,
Tuamque virtutem atque famam
Perpetuis memoraro sæclis.
Certê id meretur summa tua & pietas,
Vtiliumque ingens cognitio artium, &
Doctrina: quæ vel sola magnis
Te queat æquiparare Divis.

AD IOANNEM WARMVNDVM SCALIGERVM, VERONÆ ET VICETIÆ DOMINVM.

Ecquis vetustæ progeniem domûs
Insigniorum Scaligerûm legit,
Virtute quorum bellicosâ
Historiæ superant refectæ;
Nec incitatur pectore vivido
Ad prædicandum, quam tot inóbrutis
Heroës illi Marte factis
Perpetuam meruere famam,
Decusque clarum nominis enthei?
Quid comparandum sit Canibus tuis,
WARMVNDE, *Mastinisque magnis?*
Marmora queis operosa servas

Digitized by Google

Verona veſtro dedita numini,
Reducta quamvis ſub Veneti jugum.
Haud vorticoſis actus undis
Eluet ipſe Atheſis perennem
Laudum inclitarum congeriem, quibus
Avita clarent ſtemmata. Cæſares
Vobis honorem, non ſine alto
Munere, purpureique reges
Quondam obtulérunt haud modicum: & ducum
Vigens propages in pretio genus
Illuſtre tanto comperitur
Vsque habuiſſe; toris ut amplis
Occaſionem conciliaverit
Seu Juno regnorum æmula, ſeu Venus
Cuſtos maritæ ſanctæ tedæ.
Vnde ſuas Aquila altiore
Pennas volatu ſidera in arduæ
Librare, & auſa eſt tela Jovis ſibi
Conceſſa in hoſtes contumaces
Imperij vehementiore
Torquere niſu: veſtra Aquila illa ovans
Victo rebelli, & Cæſaribus fide
Perenne ſervatâ triumphans.
Veſtra Aquila illa celébris, inquam,
Claras (niſi obſtet ſors violentior)
Ipſoque dignas ſanguine res dehinc
Porrò patratura, & recentem
Imperio paritura famam.
Non tu (Minervæ numen adeſt tuæ)
SCALANA *proles o generoſior*
WARMVNDE, *tantam tamque fortem*
Spem foveas animo irremiſſo?

Næ tempus inſtat, cum Nemeſis grave
Rerum potito disjiciet jugum
Fatalis ultrix, inque fundos
Reſtituens veterem locabit
Heredem avitos. nam titulo málo
Quod poßidetur, ſit licet integrum,
Succeßionem roborato
Cardine perpetuare neſcit.

AD IOSEPHVM SCALIGERVM

Lutetiæ degentem.

Quæ vallis, aut quæ te juga detinent,
Ocelle Phœbi SCALIGER? *aut quibus*
Abſtruſus antrorum latébris
Subtrahis ora maſtûsque luci;
Quòd nulla planè, ceu prius, ad tuum
Volans MELISSVM *fertur epiſtola*
Gallis ab oris? pœnitetne
Dulcis amicitiæ, pigetque
Franci poëtæ? Septem abiere jam
Meſſes iniquo ſidere, dum tacens
Oblivioſum colloquendi
Harpocratem nimis æmularis.
At ſive lucem purpuream refert
Aurora, ſeu nox et comes Heſpero;
Tu pol profectò, qui in medullis
Inque oculis mihi totus hæres,
Nunquam ſinis nos immemores tui
Traducere ævum, blándaque cum quiet
Humectat artûs, ipſa nobis
Somnia te vigili reducunt

Digitized by Google

Is mente præsentem. usque adeó tuæ
Impressa forma est obses imaginis
Hoc corde. Contra tute pectus
Imbuis effluitante Lethes
Fortassis undâ: cuique prius fuit
Melli recentis (credo) sapor favi,
Gustanda nunc felli est palato
Inveterata apium saliva.
Novem o sorores, vos quoque Gratiæ
Causam roganti dicite; dicite,
Quânam impiatus voce læsi
Numina? quâ meruive culpâ
Abominatis cœtibus addier
Vulgi profani? non ego sontium
Censors, nec ausus deprehendar
Aomidum temerasse sacra, aut
Sprevisse vates, optima pectora,
Varumque amicos: quin potius viros
Doctos amore prosequutus
Eximiè colui, colamque
Posthac, vigescens dum meat halitus
Pulmone ab ipso per labra sospitis,
Sensimque nativo calore
Incolumes vegetantur artûs.
Magnum aio quiddam, polliciti tenax;
Nec quisquam aberrantem ore redarguet
Justo, nec accusabit astu
Dicta vafro quasi lubricantem.
Tu quæso mores indue pristinos
Diserte fandi; neve recrastina
Pacale responsum, sed ultro
Pythagoræa silentiorum

Abrumpe decreta, & ſocialibus
Laceſſe chartis SCALIGER, *unicè*
Tibi faventem, & quem mereris
Vsque tui ſtudioſum honoris.
Splendeſcit uſu mucro, ſitu pigro
Rubiginatur. vox ita cóndita in
Torpente vaginâ Angeronæ,
Continuis hebetatur horis.
Loqui decórum eſt: muta minus decent
Muſarum alumnos. exitio eſt, diu
Muſſare, amori; & quondam Amyclæ
Damna luunt taciturnitatis.

ADAMO DITRICHSTÆNIO
BARONI, CÆS. PALATII PRÆFECTO.

QVAM *mihi Phœbe ſacer materiam dabis,*
Et luculentam & dignam Aganippidum
Choris, celebrandi decoro
Præſignem meritis virum
Carmine? Cæſarei cui vigilantior
Commiſſa ſanctè eſt cura palatij;
Cui multa præfecto ſagaci
Debent Auſtriaci duces,
Aúlaque conſiliis illius intimis
Prudenter uſa, ad grandia publicarum
Augmenta rerum, principumque
Nervos, adque ſalubria
Tótius imperij commoda. Clarior
Hinc fáma pridem, non modò Teutonum
Oras, ſed Europam univerſam
DITRICHSTÆNIA *laudibus*

Digitized by Google

Gens replet innumeris. Limina Cæsarum
Regumque magnorum hoc sibi nomine
Congratulari visa, sese
Felicissima prædicant,
Cum generose tui passim ea sentiunt
ADAME vultûs lumine prævio
Multum frequentata, & beatis
Tacta tritaque calcibus.
Ille etiam paries, ille etiam angulus,
Secretiorum qui penitralium
Consulta secum ruminantur,
Aures acrius arrigunt
Ad tua proposita & scita. Vides, uti
Demissus ordo te reverens colat
Subsellliorum, teque fantem
Causæ ultro bonitas juvet?
Utinam, eximium quæ rogo Cæsarem,
Favore vestro consequar! Est tibi
Meis facultas annuendi
Votis: est ea Cæsaris
Gratia, quæ precibus sponte suâ locum
Cedat; petiti reddere compotem
Paratior, quàm denegandi.
Velum obtexere nubilum.
Spero equidem facilem, quam peto, rem fore, &
Mollem impetratu; si mihi Dij favent:
Quorum benignâ fretus aurâ
Immortalibus inseram
Cælicolarum adytis Cæsaream domum, &
Domûs columnas inviolabiles.
Has inter, o illustris heros,
Stabis præcipuo loco.

Digitized by Google

AD RICHARDVM STREINIVM BARONEM.

STREINI *Camenarum eximium decus,*
Clarumque ſidus nobilis Auſtriæ;
Sollerter ætatem quibuſnam
Te rear in ſtudiis tot annos
Triviſſe, præter quæ prius edita
Inſigniores, Auſtriacum genus,
Mirantur, ut debent, abunde
Suſpiciuntque domûs vetuſtæ?
Non otioſam credibile eſt ſatum
Quemquam ad voluptatem, aut Aſiatica
Plumas, vel ignavi veterni
Pigritiam, reſidesque ſomnos;
Qui digna ſeſe non modò, & inclito
Quondam ſuorum ſtemmate ſuſcipit,
Verùm & labores usquequaque
Poſtgenitis probat abſolutos:
Quales ſecundo numine Palladis
Vulgaſſe conſtat te nitidis typis;
Quales & Herberſtæidarum
Illum oculum columenque gentis.
Tanto profecto pluris habendus eſt
Rerum retruſarum auctor idoneus,
Ac laude maiori ferendus,
Quanto animi generoſioris
Virtute famam ſcripta per ardua
Illuſtriorem reddere amat. Prout
Enim decórum eſt vel minutis
Sideribus, radiare cælo

Digitized by Google

Flammâ coruſcâ ; ſic quibus eſt datum
Prægrandiori lumine ceteris
Anteire, eo ſublimiori
Aſtrica monſtra poli minora
Splendore adornant, quo magis ipſamet
Natura vires exſerere ardet, &
Seſe vel exæquante Divos
Ingenio ſuperare tendit.
Divina quisquam, o ſumme virûm, tua
Reperta mentis carmine pérbrevi
Comprendere auſit ; teque inanis
Speret ad aſtra migrare penna ?
Olli potes ſunt, abietis in modum
Excelſum ad auras tollere verticem
Sueti ; vetuſtatique multo
Proxima Romuleæ ferentes
Veſtigia, in Pindum aut Heliconios
Contendere ocres, quum libet, impigri,
Et non niſi immortale Phœbi
Aonio canere ore carmen.
Muſis amici nos tenue ac leve
Quiddam ſonamus, ſerpere tantùm humi
Docti : ſed interdum, ſequacis
More hederæ, ſuper eminenti
Seſe applicantis dentibus arbori,
Per alta ſurſum ſcandere nitimur,
Fortes maritatæ ſupremum
Tangere Hamadryados cacumen.

Digitized by Google

AD SIGISMVNDVM VIHEVSERVM, IMPERII PROCANCELLARIVM.

QVANTA *mole negotiorum*
Vrgeare, novimus;
Nec me fugit, quot in dies & horas
Preſſus conficiare curis
Ac laboribus, novo
Subinde adauctis ſarcinarum acervo.
Aurem quippe oculumque magni
Te quis eſſe Cæſaris
Neſcit? quis æqui vindicem bonique
VIHEVSERE *negat? Recurrunt*
Ad domeſticos Lares,
Tuumque vultum ſupplices adorant
Legati, & comites ducesque, &
Vrbium potentium
Selectus ordo: jura quos petentes
Blandê adfaris, amiciterquè
Advenas ſinis loqui
Tecum. inde juſtus promoves ſecundis
Cauſas auſpiciis, relatas
Intimum ad ſenaculum,
Et ponderatas æquitate lancis:
Quam, dum ſidera ſeſe in alta
Ferret olim idoneis
Aſtræa pennis, liquit his in oris
Normam, legitimamque amuſſim
Rebus expeditius
Dijudicandis. Illa lanx, ut æquum eſt,
Germanos hodiêque noſtros

Digitized by Google

Invicem tenacibus
Firmat ſtatutis ; regna quæque ſancta
Reddit téctaque : tum dynaſtas
Resque publicas fovet ,
Et cuique tutos inſtruit Penates .
Hæc meum trutines libellum
Oro ſupplicem , & notas
Libellionis. ſpero namque priſca
Confirmanda novis RVDOLPHI
Litteris diplomata
Et FERDINANDI & MAXIMILLIANI:
Quæque CAROLVS *ille quartus*
Imperator annuit
Genti vetuſtæ , nobiliſſimorum
Ex origine procreatæ
(Vt vides) Amadium ,
Iri impetratum , ut jure ſanciantur
Recenti , & mihi filioque ,
Si quis unicus patri
Obtinget heres. Dicam ego perenni
VIHEVSERE *lyrâ (poëtæ*
Si qua vis adhuc) tuas
Laudes ; itemque Cæſaris futuram
Celebrabo lubens Camenâ
Perſonante gloriam ,
Famamque verê regiam ex triumphis .
Non me carmine luculento
Cuipiam ſit æmulo
Anteire : non ſi Pindarum , gravemque
Alcæum , Rhodopeïumque
Factitabit Orphea .
Magnum quid hiſco. ſed dabis minora

Digitized by Google

Sperrenti veniam benignê.
Magna Cæſaris cani
Magno meretur barbito corona.

AD EITELFRIDERICVM COMITEM ZOLLERANVM.

INTERCIDERVNT ſtemmata plurium
Summatum, & amplas progenie domos
Privavit heu Clotho, ſiniſtrê
Fila ſecans venientis ævi.
Stirps veſtra durat hactenus integrâ
In flore ſummo. Traxit originem
Gens Brandeburgorum vigeſcens
A generis gravitate veſtri,
Vos a Columnis. Arx Zagarolla adhuc
Antiqua ſervat nomina: nec fidem
Tu demis EITELFRIDERICE
Rebus in hoc atavisque primis.
O quanta laus eſt, hiſtoriis novis
Priſcisque clarere, & veterum inclitam
Famam propagare in nepotes,
Non ſine numinibus Deorum!
Vobis decórum eſt, perpetuoque erit,
Quòd eruditos diligitis viros,
Sacrosque vates Muſicósque
In pretio atque in honore habetis.
Te præter omnes enthea vis movet
Ad verê amandum Pieridas Deas,
Melêque Muſæa, & cycnorum
Vtilium reſonos canores.
Nam quorum (amabo, dic age) ſumptuum

Digitized by Google

Te pæniteret, quos facis in catam
Symphoniarum disciplinam,
Artis & harmonicæ magistros?
Quapropter & me scito, Comes, tui
Amore ductum; non minus in meis
Sedem relicturum libellis
Jam tibi, jam suboli virenti;
Quam maximorum verticibus ducum,
Sceptrisve regum. Quos celebrent enim
Magis Camenæ, quàm Camenas
Qui magis ante alios amarint?

NICOLAO COMITI OSTROROGIO.

VT sæpe magnum, fontis ab únius
Parvis scatebris, fluminis alveum
Dilátat augens, ampliatque
Naugeras aqua prona vires:
Hinc copioso gurgitis impetu
Adacta passim, brachia longius
Extenta non unas abunde
Porrigit exsuperans in oras:
Bene auspicatus sic Académiæ
Vix institutæ cursus, ob uberes
Crebrosque cœtûs adfluentium,
Ordia prima sui & frequentem
Celebritatem non modò vincere
Amat; sed altê, quâ pote, comua
Ornata vexillis honorum
Tollere, & ulterius subinde
Protendere audet. Munere Norica

Digitized by Google

ALTORFIANVM *gymnasium viget,*
Vigentque alumni, quotquot illud
Adsiduo studio frequentant.
Dij liberales, queis decus artium
Curæ est bonarum; sint, date, perpetim
Hæc dona florenti juventæ
Propria, & utibili senectæ.
Infesta Musis hinc procul exsulet
Rictu canino Barbaries minax,
Tætramque defensare si quis
Barbariem paret advocatus.
Bene est. Inauratam arcupotens pater
Movit pharétram, télaque in hosticum
Vibranda pectus viperini
Fellis acore cruenta tinxit.
Quin ipsa sollers mille operum Dea,
Torvique virgo luminis, ægida
Concussit, horrendam videri
Gorgonei feritate vultûs.
Pro te induérunt arma duellica;
Pro te parati & pro grege Delio
Pugnare, & ipsum te, relúcens
OSTROROGI *decus optimatum,*
Inferre cæli sidereis plagis:
Quâ rebus actis maximus Hercules,
Vel clarus Oriónis ensis
Fulget, Abantiadesve Perseus.
Jam te (bonum sit) purpura dignior
Reddit decórum: jam tibi gymnasi
Rectoris adsignantur alta
Munia, præcipuæque partes.
Jam præferuntur sceptra Palatij

Aurata;

Digitized by Google

Auerata; ſicut CHRISTOPHORO, *Auſtriâ*
ZERNEMBLIORVM *gente nato,*
Cui merito ante alios Polonus
Succedis. Ecquâ lætitiâ tuum
Fratrem IOANNEM *crediderim fore*
Hoc nunciato delibutum,
Batthoridæ STEPHANI *peramplâ*
Verſantem in aulâ, & regia providê
Juſſa exſequentem, non ſine maximâ
Æqualium admiratione, &
Nobilium, procerumque regni?
Quæ gratulanti gaudia pectore
Teſtabitur vox STVRMIA, *quum tuæ*
Virtutis antiſtare famam
Omnibus audierit? Beatum
Hoc Sturmianum nomine prædium
Sæclis futuris indigitabitur;
Ex quo triumphalis profecta
Ellogij tuba perſonarit,
Auresque non læva anteferentium
Clangore dextro, nominis in tui
Laudem, replerit. Te profecto
Te bonus ille ſenex, tuumque
Amore germanum usque tenerrimo
Eſt proſequutus: vosque Academicum
Suſpexit agmen ſingulari
Officio, pietate, curâ.
Nunc auſpicatos tam popularium
Plausûs tuorum; quàm bona Teutonum
Congratulantium, & hæc Meliſſi
Conſona verba libenter audi:
Tum rectionem magnificam ſchola

Digitized by Google

Sic administrandam accipe, ut omnium
Vnus satisfeciſſe votis
Nomine reque feraris ipsâ.
Abs te hoc Senatus ſanctior, ac Patrum
Exſpectat ordo: teque adeó tua
Ipsius ultro præparatum
Excitat ad benefacta virtus.

IN DISCESSVM IOANNIS CHRISTOPHORI BARONIS TSCHERNEMBLII.

CHARITES, Charites decoræ
Cerebroque Jovis nata virago,
Vosque novem ſorores,
Heliconis incolæ,
Tuque præſes artium
Intaminate bonarum:
Comites, comites adeſte
(Pede ſoſpite quocumque feretur)
CHRISTOPHORO venuſto;
Generoſa quem tulit
Stirps ſub Auſtrio polo,
ZERNEMBLIDVM decus ingens.
Eat hinc, eat hinc precamur,
Genio bene defenſus; & urbes
Teutonicas, & oræ
Loca vaſta Belgicæ
Viſat: hinc Britanniam
Cum Gallia populoſa.
Petat inde petat Pyrénen,
Et Iberiaci regna Philippi:

Digitized by Google

Nérea findat æquum ;
Latio nec invida
Sors vetaßit hoßpitem ,
Byzantioque vetuſto ,
Videor , videor videre
Vt ab omnibus his excipiaris
Cum ſociis benignê :
Vt item periculi
Liber , explices iter
Impune ſanguine junctis .
Age nunc age , cum reverſus
Fueris , peregrinate ; memento
Munera grata Divis
Preculas humillimas
Ferre. Grata pectora
Depoſcit ipſe Jehova.

AD CLAVDIVM ANTONIVM VIENNÆVM, BARONEM CLÆREVANTIVM.

VT fama triſtis perculerat mihi
Aures acerbo córdaque nuncio ,
Vixiſſe FRANCISCVM *Viennam*
Eximiæ juvenem ſtaturæ ;
Quo nemo ad amnem pulchrior aureum
Erat Moſellæ , némoque fortior
(Ni ſurva rupſet Parca vitæ
Stamina) Sequanicis in oris :
Ex cordis interno ingemui cavo ,
Dolens juventæ robur idoneæ
Viresque contra dira ſævæ

Digitized by Google

Tela nihil valuiſſe mortis.
Primis in annis o puer óccidis,
Ceu malva, curvæ dentibus invidis
Succiſa falcis, ſive aratro
Aſphodelus graviore tactus.
At ne cadentem funere filium
Tu bellicoſum plus nimio geme,
Præluſtris ANTONI, *tuumve*
Pectus ede inſolito dolore.
In laude ſummâ vixit, & integrâ
Re Gallicarum ſigna cohortium
In Belgium aſtu militari,
Auſpice ALENSONIO, *gubernans*
Duxit, ſupremis functus honoribus,
Priſcorum avorum dignus. An inclitâ
Burgundiæ vos ſtirpe regum
Progenitos negitet vetuſtas?
Negent minores? Nil juvenem tamen
Antiqua virtus juvit. Eum duces
Luxere, luxerunt tribuni, &
Centuriæ peditum recentum
Heu ter quaternæ, queis erat anxiê
Præfectus. Illi dant tumulum Brygæ,
Brygæ quiritantes, GEORGI
Marmoreo in tritavi ſepulcro,
Thalaſſiarchi munia Galliæ
Qui geſſit olim ſtrenuus. I modò, &
Quid grande patri pollicere
Nate. Faces nova præda leti,
Facentque tecum geſa duellica,
Enſesque duri, non ſine ferrei
Thoracis uſu caſſidesque.

Digitized by Google

At tibi qui GEDEON *superstes*
Est, longioris firmior impleat
Ætatis annos, deliciæ tuæ
Matrisque, CLAVDI, prorogetque
Cum seniore senex propagem.

AD ANDREAM WOLVFGANGVM POLHEMIVM, BARONEM.

QVI litterarum spretus honor jacet,
Vitare contemptum impos & insolens
Vulgi profani; sæpe cristas
Erigit ille tamen, novisque
Pennis in altum tendere cernitur,
Siquando quanto sis celeber satus
Illustriori stirpe, & auctus
Divitiarum opulentiori
Splendore; tanto te generosior
Bonas ad artes ardor & impetus
Vltro propellat persequendas,
Artificesque animas amandas.
Videre talem CYRIACVM, *tuum*
Gentilem & adfinem, Aonides Deæ:
Videre talem Teutonesque &
Aúsones, o POLEMI: *viroque*
Superbierunt Danubius pater
Oenumque flumen, queis nova gloria
Surgebat. Invidit repentè
Huic Libitina, trucemque Parcam
Secare jußit stamina tam brevis
Ævi. nefastâ sic metitur manu
Flos Solis, aut scævâ securi

Digitized by Google

Laurus odora feritur olim,
Non ſponte vitam cum viridi comâ
Ponens, ſed ictu perdita noxio.
Nos fama ſi quâ luculentis
Carminibus ſinat ire in ocres
Muſarum, & auguſta ilicet ingredi
Templa erudito cum GVLIELMIO,
Creſcentis adſertore linguæ;
CYRIACVM *eripiemus atris*
Orci tenébris, inque aditi poli
Vivum ſuprema ſede locabimus,
Æternitati conſecrantes
Tam generoſam animam, caputque
Stellis decorum: qualibus énitet
Auſtrali in orâ dexter idemtidem
Et lævus Oriónis alti
Aureolis humerus mitellis.
Tu laudis huius, quâ pote, particeps
VOLGANGE *fies, teque Adamántinis*
Genusque per tot ſæcla priſcum
Scribier in tabulis videbis.
Mirata veſtrum poſtera gens decus,
Virturem apiſci præteritis parem
Certabit, æternumque nomen
Non ſine vate ſibi parabit.

AD GEORGIVM RVPERTVM BARONEM POLHEMIVM.

RAPTÆ *ſub antrum funere lúgubri*
Matri parentat rite POTENTIÆ
RVPERTE, *ſuffuſamque dignis*

Fert lacrimis ANOMOEVS *urnam,*
Scirpisque veſtræ progeniem refert,
Antiqua clarans POLEMIÆ *domûs*
Augmenta, & ALTIDIA CAMPI
Stemmata nobilibus trophæis.
Debemur Orco, quotquot humo ſatis
Vita fruiſci munera contigit:
At non Averno mancipatur
Spiritus; ætheriæ ſed oræ
Petit receſſûs, unde reciprocam
Auctore Jovâ duxit originem:
Quâ nec pote unquam Thrax potiri,
Nec recutita cohors Hebræûm;
Niſi efficacem Chriſtiadûm fidem
Amplexa, & albo deinde fidelium
Inſerta mortem vincat, & ſic
Participet rata regna cæli.
Tu luctuoſæ ne dato prænimis
Locum querellæ: ſed grave mitigent
Fomenta præconcepta vulnus
Temperie moderatiori.
Patrem SIGISMVNDVM *ante oculos tibi*
Ponas oportet. Cernis, ut obvios
Et ipſe & omnis veſtra pubes
Fert animo patiente caſus!
En patruelis, ſi ſit opus, virum
Fortem æmulatus pectore maximo,
Solamen ANDREAS *gementi*
Addet: idemque alacer SCHIFERVS
Præſtabit ultro. non ego queſtibus
Deero levandis, quem prius additum
Vobis per Apennina noſtis

Culmina difficiles ſalébras
Sermocinantem reddere mutuis
Depreſſiores vocibus, ac magis
Planas. Sed iſtæc mitto: quanquam
Haud fieri pote, quin, peractæ
Mecum juventæ dum reminiſceris,
Quâ celſa Romæ Sena colonia
Turrim Camilli, quâque monſtrat
Vrbs Patavina cavum ſepulcrum
Anténnoris; te colloquij trahat
Jucunda noſtri gratia, & Attici
Sodalium adſperſi lepóres,
Non ſine Pieriâ ſalivâ.
Vt lætus olim & tecum habui & tuis,
RVPERTE, *feſto tempore: ſic nefas,*
Mærente te, non velle tanti
Luctibus indoluiſſe amici.

AD FABIANVM BVRGGRAVIVM DONÆVM.

VIVIDA *divinæ mentis alacritas,*
Ex oculorum acie quæ tibi rélúcet,
Faciesque digna principe,
Conſpicuum reddit te magis Heſpero,
Æthera per nitidum candidis micante
Radiis, ſub ipſum, cum dies
Oceano merſa eſt ſuda, crepuſculum.
Quis FABIANE *tui claritatem honoris*
Memoret? quis alti munera
Ingenij, & priſcæ ſtirpis originem
Carminibus celebret, mortis invidendæ

Digitized by Google

Carie & ſitu carentibus ?
Eximit humanis te decus artium ,
Quem alios ſuperas , ſingulare planè
Decus ; atque plurium ſciens
Eloquium linguarum , ámplaque divitis
Conſilij penus : ex quâ ſubinde promis
Bona multa in uſum publicum ,
Nec bona pauca in rem principis optimi :
Fique adeo innumeris dotibus locúples
Meritisque abundas largiter !
At licet & comi ſis & amabili
Indole , nec juvenum mitior ſit alter :
Tamen inſonante claſſico
Arma fremens apro fis truculentior ,
Forte canum rabidis morſibus petito ;
Simul inſtar urſæ murmura
Rauca cies , antro cui latitantem Hylas
Suſtulerit catulum furtim , eoque ſilvam
Viduarit , ornis obſitam .
Quin igitur pullum Martis idoneum
Te , generoſe , probes , cui poteſt oriri
Dubium ? Euge Donæum genus ,
Macte tuo fervore , & domini tui
Inſequere egregiâ laude Callidori
Poplites , apiſci debita
Percupidos palmæ præmia. Mox erit ,
Fortis ut ex acie bellicâ ipſe partem
Referas triumphi maximam .

Digitized by Google

AD IOANNEM TSCHERNEMBLIVM BARONEM.

QVÆ veris almi temperies novam
Portare mæstis lætitiam solet,
Tepore frigus leniente;
Hæc tibi nunc hiemem pudicâ
Orbo maritâ rettulit, o decus
ZERNEMBLIDARVM IANE potentium
Carnis in oris, Sclavonumque
Finibus, Austriacumque ad Istrum.
Quàm multa præter spem temere accidunt,
Casuque fluxo! sic tamen, ut DEI
Nutu voluntatique fixæ
Credideris nihil eximendum.
Quòd si comato nec pilus unicus
Mortalium de vertice labitur,
Divina quem non, teste CHRISTO,
Prænumerarit ibi potestas:
Quantæ ipsa curæ membra adeo integra,
Totamque compagem (adspice) corporum
Esse arbitreris conditori,
Nos homines ita prosequenti
Ardore magno, ut non nisi mortuis
Vitam redónet? Sat fuerat quidem
Superque, lucis huius usum
Immeritis tribuisse gratis:
Æterna porró præmia cælitum
Resuscitatis annuit artubus;
Beatque Olympo, quos nec aurea
Munere norat, humove dignos.
Lecti jugalis tu nihilo minus

Digitized by Google

Consortem ademptam sic viduus gemis,
Vt furtur amissæ ob rapinam
Comparis anxifero dolori
Incumbit æger, nec patitur gravem
Luctam levari. Tot tibi filios
Enixa partu est, totque natas:
Vnius anne animæ evolantis
Jacturam iniquo ferre animo decet?
Superstes illa est in generûm toris.
VRESINGVS id SCHOENBERGIVSque *&*
STREINIVS *ille* RICHARDVS *(at qui*
Viros?) haud sanè inficias eunt.
Quin STAMHEBERGI *pagina* GVNDACRI
Solantis adfinem, in sororis
Funere, pondus habere debet.
Accedat huc, quod vix tulit Austria
Pares amores conjugio pari.
Hoc solum & unum est nempe, quod te
Macerat, atque animi recessum
Mœrore findit non tolerabili.
Sed forte pectus frangitur haud malis.
Hoc robur, hanc mentem perenni
Posteritas feret ipsa laude.

AD PHILIPPVM HVRALTVM CHEVERNIVM, REGNI FRANCIÆ CANCELLARIVM.

HVRALTE *magnæ gloria* FRANCIÆ,
Cui summa rerum prægraviumnimis
Commissa post Regem secunda:
Dum tibi luctifico replevit

Dolore Clotho pectora contumax,
Fallentis ævi licia præsecans
Dulci maritæ, plus medullis
Luminibusque tuis amatæ;
Lugere tecum me sinis, an vetas?
Sed quei vetares? Carmine mortuam
Resuscitari, si pote esset,
Discuperes; modulante sicut
Plectro profundis Eurydicen suam
Orpheus ab umbris exciit, entheo
Melodiarum suave mulcens
Infera regna sono, trucemque
Fatale in ipsas jus animas Deam
Habentem ab ævo. Præstitit hoc idem
Adfinis AVGVSTVS, *verendæ*
Clara senis suboles THVANI,
Caram sororem non modò, sed patrem,
Quo fulta viguit curia præside,
Fratremque defunctum sonoris
Tot numeris animare doctus.
O si potenter vis eadem meis
Roburque inesset par modulatibus;
Quid non piorum ipse in parentum
Funere, sacra ferens, fuissem
Molitus æquè? dein patruelium
Casu optimorum? post aliorum item,
Quos hacce vitâ cariores
Hisque oculis habui gregales?
Quòd si qua doctis vox inerit tamen
Vivax Camenis; pollicear fore
Posthac ut in nostris perennis
ANNA THVANA *legatur odis.*

Digitized by Google

AD AVGERIVM GISLENIVM BVSBEQVIVM, CÆSS. CONSIL.

PROSPECTVS *ille pulcher edito e loco,*
Amœnitasque collium
Juxta adjacentium, quos habitans colis,
Quem non adficeret beatiorum?
Vineta passim Libero turgentia
Feracis ostentant gravem
Vindemiam anni. Messis opimior,
GISLENI, *locuplete fruge plena*
Distendit horrea: ante pratorum æquora
Feni juvencis atque equis
Sat educarunt, hornaque pabula
Spe venturam hiemem lacessierunt.
Vicina silva non tibi feras negat,
Canum domandas rictibus.
Stat in propinquo celsa LVTETIA,
Stant circum oppida civiumque villæ,
Pagique & arces, & Deorum culmina
Sancta. at colonorum casæ
Augustum & ipsæ quid referunt situ
Quantumvis humili, sed oppidanis
Feliciori. Quâque SEQVANAM *vides*
Ventre, tanquam circino
Per prata & agros, perque novalia
Circumductus oberrat, & recessûs
Ambage curvâ limitatos prænatat;
Merces deorsum navibus
Ac ferre sursum haud indocilis pater.
Quid fontes referam scaturientes,

Digitized by Google

Venasque aquarum limpidas salubrium,
Ad usque Reginæ novos
Ductus in hortos, per tria passuum &
Plura millia? Pons tubos, secundo
Refectus HENRICO, *libenter sustinet.*
Vel illa lympha, vineæ
Subjuncta vestræ, quàm nitidissimis
Manat gurgitibus, strepens ab antris
Virente musco circùm, & udo Naiadum
Toso decenter obsitis!
Ædes supernæ cum speculâ eminent,
Ædes ætherio Jovi propinquæ;
Umbrisque gaudent arborum vestirier:
Hortique odoratum nemus
Amat pudicê virgineâ manu,
Neptis nempe tuæ, seri colique.
Hanc CLODOALDUS *dat voluptatem tibi*
Non absque Divûm munere.
Rident Penates, ridet adorea,
Et quantum est opulentitatis almæ;
Heroque Genius gratulatur ipsemet,
Avens celebrari meis
Perenne metris. Tu cave BUSBEQUI,
Ne quis, quæ tibi consecro, profanet.

AD GUALLIOTUM TURRIANUM, LYMOLII DOMINUM.

SATIN' *antehac rear haud esse cruoris*
In humo Gallide per bella profusum,
Nisi rursus fera Martis soror armare nefandis
Paret ausis madidas sanguine dextras?

Digitized by Google

Coierunt ſociæ fœdera turmæ,
Et in armis gerere ardent, quod in altâ requiete
Dare fini nequiere antè negotî.
Miſerorum labefacta indigenarum
Trahet horrendam iterum res opis incerta ruinam,
In utrimque cruentâ nece partis,
Spoliorum populatrice rapinâ,
Et edacis face flammæ, domuum exurere tecta
Malè promptæ. Timet incendia flavus
Liger, & Sequana rex uber aquarum;
Timet incendia præceps Rhodanus, ſtágnaque lentans
Arar undis: nec Aquitana Garumnæ
Vada magni, neque Dordonnia regna,
Quibus o clare LYMOLI *propiores cœlis arces,*
Sibi tutas poterunt improbo ab igni
(Ita ſors fert mala) promittere ripas.
Nihil expers manet eheu vitiorum ſcelerumque,
Vbi mores, ubi leges, ubi jura
Sacra peſſum pedibus lixa profanis
Premit impune, vel audax calo proculcat inultus.
Violatur Themis, æquique bonique intemerati prius acerrima cuſtos;
Violatur Themidis nata, ſatellesque Minervæ
Clariarumque ſororum innumeralis
Alienas profugis calcibus oras
Terit exſul, rediturus patria ad limina nunquam:
Adeo immitis & atrox & acerbus
Furor exaſperat hoſtilibus iras
Animis, ceu Leo raptor ruit in bucera ſæcla
Animantum, rabioſo ore famêque
Stimulatus. Sed enim res nova non eſt,
Vt in infirma & opum expertia robur validasque

Digitized by Google

Aliquando exſerat athletica vires,
Gladiatorve alacri verbere nervos.
At iniquum mihi valdê GALIOTE *hocce vi-*
Sua cives ſibi ſævire cruentum [*detur,*
Rapido in viſcera per prælia ferro, &
Aliud nil niſi cædes meditari & lanienas.

AD IOANNEM CHRISTOPHORVM TSCHERNEMBLIVM, BARONEM.

MAGNORVM in aulis qui ſibi principum
Regumque vitam ducere commodam
Proponit, & præſtantiores
Inter habere locum expetiſcit:
Non ille morum exempla nefantium,
Non luxum inanem, non meretricias
Sequetur eſcas; non bibendo
(Quo proceres vitio laborant)
Teret dierum lóngaque noctium;
Nec ventrioſo deditus otio
Tantum, ac voluptati ſupinæ;
Dilapidabit opes paternas,
Lusûs avari corda cupidine
Accenſus: & quodcumque aliud nefas
Vulgo ſibi applauſum videtur
In ſpeciem, ſceleumque fuco
Captare palpum, non imitabitur
Illud: neque iſtis adſtipulabitur,
Queis turpe pulchrum, probrum honeſtus,
Crimen bonos, vitiumque virtus
Falſo æſtimatur. quin ita ſe geret,

Vt recta

Digitized by Google

Vt recta per ſe tam ratio, ipſaque
Natura poſcit, quàm decórum
Splendidaque eximiæ parentum
Stirpis propago poſtulat. haud enim
Quisquam, juventæ qui malè perdidit
Adflictor annos, lábeque omni
Turpificatum animum ſenectæ
Transmiſit amens, laude aliquâ ſtatum
Prioris ævi tollere cogitat;
Sed exſecrando tætra ſecum
Flagitia innumerasque noxas
Abominatur, poſtgenitos monens,
Non ſic agendum tempus, ut egerit
Ipſemet abnormis, bonæque
Mentis inops, animique cæcus.
Nequicquam adulti, CHRISTOPHORE, *hæc vident,*
Senesque facti. Moribus integris,
Probâque vitâ, ſobrioque
Pectore, & ingenuo pudore
Juventa vernans gaudeat, ut pium eſt,
Deoque amicum. Trita paræmia
Exterminetur, cum lupis quæ
Te miſeris ululare juſſit,
Aut more eodem vivere, quo ſolent
Aulæ. Bonus ſit mos, bene cónvenis
Bonis. ſed inter perditorum
(Quo mihi cumque loco morĕris)
Conſortia, ægrè lactea caſtitas
Servatur. actutum attrahitur nefas,
Parumque fermenti in farinæ
Se valet inſinuare maſſam.
Aſt exterorum cencoquere expedio

Digitized by Google

Nævos : tametsi gratius est, domi
Manere contentum suâpte
Sorte, opibusque sibi relictis ;
Quàm spe bonorum tot mala & impia
Arcessere ultro. Qui pius esse vult,
Excedat aulâ. namque raro
Dia habitat pietas in aulis.

AD GEORGIVM ERASMVM ISCHERNEMBLIVM, BARONEM.

ERASME, nulla est gloria lauream
Exhauriendis quærere poculis,
Novamque potando triumphi.
Materiem aut genus aucupari,
Vt heluonum colluvies solet,
Falerna Bacchi perdere munera
Natorum, Eleusinæque coctum
Igne avido Cereris liquorem.
Non bos arator, non equus impiger
Ingurgitat se flumine largius,
Natura quàm poscat repugnans.
Non asinus ; rudisve brutum
Infert sibi vim sponte suâ, sitim
Restinguere ardens. Solus homo, D II
Vivax imago, ceterisque
Nobilius, rationis atque
Mentis vigenti lumine præditum,
Heresque cæli natum animal, bibit
Plus sæpe, quàm vel sit ferendo,
Vel bibuli patiantur ora.

Digitized by Google

Si vulgus audit ſtultum adeo & carens
Tenore recti judicij, nimis
Inebriari immane: quanto
Stultius eſt, alieniusque
Virtute ab omni, magnanimos ubi
Reges, & alto ſanguine Principes
Vrgere ſe cernas Lyæi
Rore capedinibus repletis,
Miſcéreque amplis prœlia faucibus,
Non ſolum avitæ ſemper egentia
Laudis, ſed almæ ſanitati
Perpetuo facientia ægrê?
Proclive multo nunc magis eſt, domi
Græcationis luxum imitarier,
Moresque Alexandri nefandos,
Quàm duce geſta foris Gradivo.
Indignor, abs ſe ſpernere tam procul
Plerosque verâ cum Sapientiâ
Frugalitatem, ſeque ventri
Dedere, more Epicuridarum:
Quales Vlyſſis de ſocio grege,
Circæa vina audacter ut hauſerant,
Narrantur in verres aprosque
Degeneraſſe, pecus probroſum.
Tu pulchra honoris, tu decus imbibes
Virtutis, atram non vitij luem,
ERASME, *quâ paſſim ferê omnis*
Jam ſcatet aula potentiorum.
Te namque prudens tot Sophia artium
Sanctis repertis imbuit; ac quidem
Culpata nunquam eſt ipſa cuiquam
Sobria vita, pijque mores.

Digitized by Google

AD EDOARDVM STAFFORDIVM, REGINÆ ANGLIÆ APVD GALL. REGEM LEGATVM.

PRINCIPVM Regumque frequentat aulas
Multus orator, decorantque crebris
Ora legati, prout alta rerum
Munia poscunt.
Cæsari hic vicinus adest RVDOLPHO,
Ille Amurathen Asiæ tyrannum
Mollit; Hispanæque alius profundit
Verba Pyrenæ:
Quosdam in Arctoas jubet ire partes
Sermo consultus, Daniæque tractum.
Te frequens populis, EDOARDE, *nunc* LVTETIA *cernit*
Regem apud Francûm vigili labore
Munus injunctum studiisque obire
Debitis, curæque vices Britannum
Mittere in orbem.
Nam nisi in primis celebri fuisset
Nota Reginæ gravitas fidesque
Pectoris, candorque probatus; & STAFFORDIA *virtus;*
Quam tot in bellis etiam per annos
Plurimos dextrâ metuente vinci
Sole prælustrem mage reddidisti
Splendidus armis:
Non tuis commissum humeris ferendum
Pondus hoc ingens; neque tanta, dignè
Cui præes, mandata foret tuo provincia Marti.

Digitized by Google

Plura tu ſecreta vicesque rerum
Noſſe præſentium catus, intimasque
Providò cauſas oculo intueri,
Non ſine laude
Gratiæ magnæ cumulum reportas,
Conſequuturus meritos honores
A triennalis ſpatij laborum
Fine peracto.
Jam quaſi coram videor videre,
Vt voluntati placidoque nutu
Conſonas Divæ licito papyros
Tempore nactus,
Proſpero cum DVGLASI *Æ nitore*
Inſulam ſoſpes repetas paternam,
Et redux matrem bene adhuc valentem
Rite ſalutes,
In tuæ caſto dominæ cubiclo
Proximum lecti latus occupantem,
Grande Nympharum decus, in ſuëtis
Quas hodiêque
Educat ripis Thameſinus amnis.
O dehinc præclara negotiorum
Expedi momenta, gravesque firmo
Robore moles
Suſtine; quantas oneratus axe
Terga cæleſti ſubit acer Atlas.
Quo minus ſuccumbis, eo parata eſt
Gloria maior.

Digitized by Google

AD NICOLAVM COMITEM OSTROROGIVM.

CVI navigata est nulla Thetis, Noti
Nescit procellas, nescit amara aquæ,
Et nauseatum, fluctuosi
Quem ciet unda maris, tremorem.
Huic nemo pallentem incutiet metum
Pirata prædans, vulturij genus
Rapacis; huic nemo latronum
Ad jugulum fera cultra ponet.
Secura tuto quisquis in otio
Domi expetiscit degere tempora,
Periculosas continentis
Ille vias quoque præcavebit.
At nulla virtus, nullus honor pigros
Sectatur unquam: strenuitas decus
Meretur ingens, NICOLAE
Sanguinis Ostrorogi propáges.
Externa laudi est visere gentium,
Et nationum discere proprias
Cum more linguas, pluriumque
Rerum adeó sibi comparare
Vsum. Absoluto per mare per solum
Cursu, reversum te tua sospitem
Polonia exsultante demum
Excipiet peramica plausu.
Te cara mater femineum decus,
Te frater, aulæ fama Polonicæ,
Prensabit amplexu osculoque;
Gensque tibi reditum propinqua

Digitized by Google

Congratulandio, lætitiæ genus
Omne apparabit. Denique te gravem
Adsciscet aulai in senatum
Rex STEPHANVS, *metuendus heros*
Ob bellicosæ robora dexteræ;
Cui sceptra regnum Moschica destinant,
Digno omnium qui jure princeps
Sarmaticis dominetur oris.
Tu carpe salvus, quod reliquum est iter;
Quóque ibis, unâ cum superorum ope
Tecum ire per gentes remotas
Vota mea atque animum memento.

Navigaturus in Angliam.

FLVCTVS *Oceani vagi*
Et vos Oceani numina fluctuum,
Tuque o flatibus imperans,
Perque altos equitans, Æole gurgites;
Navim, quâ vehor, obvium
Ad portum properis ducite cursibus.
Sic & Nereïdum chorus
Vobis mille ferat serta virentia, &
Grati signa animi locem
Ipse in gramineo margine litoris.
Pande o pande sinûs, Dromo:
Venius prosequitur vela secundior.
LONDINVM *memorabile, &*
Insignem cupio visere Regiam,
Reginamque Britanniæ,
Quâ nil splendidius, nil generosius
Orbis totus habet, nihil

Admirabilius. Non ea ſeminis
Humani genus eſt, neque
Mortali ſimilis (credite) femine:
Cælo duxit originem.
Divorum ſubolem nam polus Arcticus
Teſtatur. Via lactea
Exſpectat reducem. Cedet ei lubens
Sellam Caſſiope auream:
Ipſi quâ rutilos fúlgere candida
Vidiſtis radios facis,
Ante annos tredecim. quippe ibi Perſeo,
Lævâ Gorgoneum caput,
Et dextrâ nitidum qui gladium tenet,
Vicina eſſe amat. Interim
Qui Cantabrigiæ gymnaſium vetus,
Quique optrabilis Oxoni
Jucundo teritis limina in otio,
Vates, optima pectora,
Divam nobilium pectine carminum
Tantiſper retinete, dum
Poſt ævi hocce ſenex inchoët alterum
Sæcli tangere limitem.
Exin, more Aquilæ, ſe juveneſcere
Formoſis videat genis:
Ac nobis reliqui copia temporis
Laudes ſufficiat novas,
Amplam & materiem donet, idemtidem
Reginam celeberrimam
Ornandi numeris uberioribus;
Cuius fortiter inclitis
Virtutum ellogiis luctor inémori.
En jam proxima portui

Digitized by Google

Sulcantur vada ; jam carbasa contrahit
Nauclerus. Lyra tu fides
Alterno cohibe flexanimas jugo .

AD THAMESIM FL.

PARENS *olorum flumen herilium,*
Flumen Cayſtri nobilius vadis ;
Dic, unde per regna hæc aquarum
Vnde tot innocuæ volúcres,
Recente lacte & Parrhaſiâ nive
Candentiores? Ales Apollinis
Nusquam locorum tam libenter,
Tamque frequens habitare amat, quàm
Tuo gregatim creber in alveo .
Nempe iſtud augurium ominis eſt boni.
Excludere his ripis minores
Gens ſolet inviolata pullos .
Antiqua fama eſt, poſt Phaëthontium
Caſum, & ſorores cortice populi
Albentis obductas, & udis
Succina de lacrimis fluendo
Concreta ; Cycno, qui Ligurum oppidis
Regnavit, album pectora in alitem
Fuiſſe mutata : atque nato
Regis idem maris accidiſſe,
Quem concitati robur Achillei,
Quia enſe læſum non poterat dare,
Proſtravit, adfixitque terræ :
Tum pater in volucrem ipſiusmet
Mutaſſe natum nominis, & manûs
Vertiſſe in alas dicitur, & cutem

Digitized by Google

Candente prævelasse plumâ.
Crediderim celeri volatu
Ambos decoras huc per inania
Librasse formas, & generis decus
Auxisse multâ prole, quâ (nec
Deficient) Thamesinus amnis
Adhuc abundas; non sine maximo
Amœnitatis delicio, & gregem
Castum voluptate intuendi:
Vix ita pulcher erat, ut isti,
Ledæus anser, duplicis elegans
Creator ovi; de quibus inclitus
Castor Clytæmnestræque fulgor,
Cumque sorore Helenâ coortus
Pollux in auras. O mihi gutture
Cycnéa vox, aut lingua simillima
Scitê canentum, personaret
In numerum: cuperem Britannæ
Splendorem ELISÆ *dicere regium,*
Formamque summis cælitibus parem,
Vultumque maiestate plenum,
Non sine fulgidulis ocellis,
Stellæ gemellæ lucem hebetantibus.
Oris diserti mellifluam adderem
Facundiam, & sermonis usum
Indigenâ locupletiorem.
Quot illa linguas callet, Achaicam
Præter Latinamque, ingeniosior!
Quot illa fortunæ & Minervæ
Dotibus, eximiisque pollet
Virtutum acervis! Dij facite, illius
Ex parte saltem mellea flumina

Loquentis adſectare Cleio, &
Dulciculam lyra ſuavitatem
Blandè æmulari poſſit amabilis
Linguæ, bonarum vindicis artium.
O quàm beatas hanc & illam
Illecebræ memor æſtimarim!
Quàm me beatum, cui venerabilis
Heroidos tam ſplendida munera
Diasque virtutes canendo,
More cycni, licet immoriri!

AD THOMAM BROMLEVM REGNI ANGLIÆ CANCELLARIVM.

QVO tu munere fungeris
Pleno ſollicitis usque moleſtiis,
O BROMLEE, *Britannici*
Lanx æqui, & patriæ conſilium Dices:
Illud non hominem, reor,
Naturamve hominis, ſed potius Deum
Poſcit, vel genitum Deo.
Tantis ecquis enim poſſe laboribus,
Tantis poſſe negotiis
Solus ſufficere, & prævalidiſſimum
Æquis ferre humeris onus
Dicetur, graviumque ardua molium
Firmis pondera cruribus
Suſtentare? Vides, ut nec Atlas quidem,
Quamvis corpore maximus,
Vaſtam ſignifero cardine machinam
Præfulcire queat, niſi
Artûs ſuppoſitos ſenſerit Herculis:

Digitized by Google

Nec faſtigia turrium, &
Templorum valeant alta cacumina
Durare inviolabili
Compagis ſerie; ni Telamonibus
Fundamenta cohercitæ
Structuræ ſociis nixa ſuperſtitent
Pinnarum incolumem ſtatum.
Sed res ſe bene habet. Te Themis enthea,
Teque Aſtræa polo redux,
Te fida Eunomia ſtipat, & integrum
Præſtat, ceu Caryatides
Salvos ædificî cum cameris tholos.
Jura hinc ſárctaque téctaque
Servas, & ſtabili regnum ope roboras;
Reginamque Britanniæ
Fulcis in ſolio ſtrenuus aureo,
Gaudentem meritiſſimis
Securas populis reddere ferias,
Pacalique fidelium
Exornare oleâ limina civium.
Quæ vobis bona Fauſtitas
Plus uno maneat propria ſæculo.

AD GVLIELMVM CÆCILIVM BARONEM BVRGLEIVM, REGNI ANGLIÆ THESAVRARIVM.

EVROPÆ *varios cognite* CÆCILI
Per tractûs, celeber non modò in Angliâ,
Aut Germaniæ terrâ,
Aut per Frantida nobilem:
Virtutesne tuas, & ſapientiam,

Et ſummam graviorum experientiam
Rerum, non ſine magno
Doctrinæ cumulo, quaſi
Hoſpes mirer in hac externus inſulâ,
An tanquam proprio jure domeſticus?
Quum Regina potentis
Circumſpecta Britanniæ
Tantum promeritis attribuat tuis,
Et tantum fidei credat idoneæ,
Vt cunctis in Olympum
Tollare ellogiis ſenex:
Solus ſim reliquus, dicere qui tuas
Laudes ore pigrer, ſponte aliâs viris
Dignis laude parato
Ac prompto memorabilem
Æterno Aonidum carmine gloriam
Propagare? Etenim ſi pietas tuæ
Mentis, cautiesque
Incorrupta & ab integro
Manans corde fides, núllius óblita
Pigmenti ſpecie, nec ſimulamine
Infucata doloſo,
Spectetur: ſatis una erit
Quæque harum ſuperis reddere te parem
Poſſe, & perpetuis gentem apud Anglicam
Conſecrare papyris;
Quas & CÆCILIDÆ tui,
Sincerâ memores poſt tria ſæcula
Famæ, perquàm avidè diſcere gaudeant,
Venturamque nepotum
Easdem per loceant domum.
Quid præclarius eſt aut generoſius,

Digitized by Google

Quàm partum meritis eximiis decus
Derivare sequacium
Clara in stemmata posterûm?

AD CAROLVM. HOWARDVM, SVMMVM ANGLIÆ THALASSIARCHAM.

NORTFOLCIORVM *progenies Ducum*
HOVVARDE, *vestram dum vagus insulam*
Hospes pererro, regiamque
Visito quottidianus aulam;
Non te salutem, non reverentiâ
Te dignor, altum quæ deceat statum?
Tu mitis humanusque præ te
Non modò fers mihi comitatem,
Et singularis lumina gratiæ;
Hanc re sed ipsâ contiguê probas,
Probas & illam. Summa certê est
Laus procerum indigenûm, subinde
Adfabiles sese & peramabiles
Præbere in externos & in advenas.
Natura id ipsum liberalis
Vos docet, ingeniusque morum
Politiorum candor, & aureæ
Benignitatis temperies, lita
Liquore mulsi, melleique
Nectaris, ambrosiæque guttæ.
Hanc suavitatem, & lenia pectorum
Fomenta, linguæque illecebras meras
Sic usque amamus fascinati;
Vt simulata etiam probemus

Digitized by Google

Et ficta nonnunquam, ut fieri solet
Plerumque, verborum innumeralia
Soni profusa prodigorum,
Obsequijque operæque largæ.
Contra tumores odimus admodum, &
Fastidiosæ corda superbiæ,
Ritûm ferarum præferocem
Et rigidas imitata cautes.
Inflata mansues & placidus fugis;
Fugis modestus CAROLE *turgida.*
Hinc præter omnes te Camenæ
Te Charites celebrare sumunt.

AD ROBERTVM DVDLÆVM, COMITEM LEICESTRIVM, REGIÆ IN ANGLIA HIPPOCOMIÆ PRÆFECTVM.

REGNORVM *stabili sorte potentiam,*
LEICESTRE *Comes inclite,*
Nervosque Herculeis non sine viribus,
Felicemque hominum statum,
A quo præcipuè, aut unde petendum erit,
Divino superûm nisi
A nutu? Superis sceptraque & arduæ
Fasces imperij graves
Curæ. Per superos stat, rata cardinis
Firmi robora quo minus
Languefacta ruant. Res ea numini
Accepta est referenda; quæ
Fortunante, potens inviolabili
Rerum se moderamine

Digitized by Google

Exſertat capulus, prævalidæ manûs
Geſtamen, rigido inſciens
Tangi Barbaricæ more tyrannidis:
Cui nec quod merito pium
Æquumve eſt oculus aut animum adficit,
Nec lenimine pectoris
Mollit ſævitiam mollea comitas;
Sed vis intolerabilis
Pro deſiderij cunctabilidine,
Effreni inſtar equi, malis
Suadet conſiliis aut agere, aut agi
Curare exitioſius, &
Subjecti populi perniciæ ultimâ.
Tolle o lumina tolle per
Gyrum, & trans vitreos Oceani vagi
Porrò reſpice gurgites:
Exemplumne petes? Dij melioribus
Proſpexere Britanniæ
Fatis, quam ſtudio pacifico regit,
Tranquillamque regat precor,
Pollens magnanimæ dextra viragimis
Dignæ, cui favor annuat
Cæleſtum patriis e regionibus
Plures poſſe colonias
Transmigrare novos orbis in extimi
Tractûs, atque alium inſuper
Mundum veliferis quærere navibus,
Auſtrinæ attiguum plagæ
Et flabris Zephyri mitibus. Occupet
Illas fortis & adſerat
Gentes præſidiis virgo Britannica,
Noſtrum numen; & a ſuæ

Zonæ

Digitized by Google

Zonæ flore recens indigetata humus
Nomen VIRGINIÆ *gerat.*

AD PHILIPPVM ET ROBERTVM SYDNEIOS, VIROS ILLVSTRES.

PHILIPPE *Musarum nitor*
Phœbique, & arti Pleiade;
Honos ROBERTE *Palladis*
Flos Gratiarum germinans;
Anglicæ decora aulæ:
Ambo Deabus omnibus
Cari Deisque singulis;
Ambo Dionæ suavibus
Digni reperti basiis,
Amplexuque Dianæ:
Lenem favoris halitum
Meis Camenis obsecro,
Vestræque molem gratiæ
Adflate mi Favonium,
Dignus sim modò, & illa.
Nata verecundo genas
Pudore suffusa, timent
Vulgi sub ora publica
Prodire nondum puberes,
Necdum amoribus aptæ.
Pater veretur, ne satis
Cultæ politæque læve sint.
At purpurisso, polline,
Fuco, æsipove succido,
Aut Achæide cretâ,

Vnctæve ceruſſæ litis
Adulterari pharmacis
Vultûs puellares negant,
Pigmenta cuncta reſpuunt,
Adſcitosque colores.
Ac proinde nativæ magis
Amabitis formæ decus;
Magis figuras has ſine
Colore comprobabitis,
Sinceræsque probæsque.
Natura naturæ æmula
Quæque eſt ſuæ. Si filiæ
Sui Minervam ſimplicem
Parentis exprimant, ſat eſt:
Sat eſt, ſi nihil adſit.

AD FRANCISCVM WALSINGHAMVM ET ROBERTVM BEALVM REGIÆ ANGLICÆ FAMILIARES.

PEREGRINAS *potuiſſe in regiones*
Penitrare, & ſine damno ſuperare
Maris alti fremebundas rate durante procellas,
Genitalemque in humum denique ſalvum
Ad amicos tria poſt luſtra reverti
Quatuorve, innumerarum experientiſſima rerum:
Generoſi eſt, animique ad mala fortis
Bona ſors hæc quibus accepta ferenda eſt
Poſituris, rata portans ab Olympo omina fauſto?
Neque Proteus, neque Vertumnia Morphe,
Neque caſus, neque Fortuna, rotæve

Digitized by Google

Temere Ixiona volvens dubiâ ambagine gyrus,
Genium addit comitem impune ducemve
Bene natis; ſed amicabile Numen
Superûm rex, ope cuius ſtipulatoque favore
Mala cedunt, fugam adornantque pericla;
Sibi primas meritò poſcit in omni
Tribu reque locoque, & pariter tempore quovis.
Tibi WALSINGHAME *præclare, tibîque*
BEALE *ornate, ſat iſtocce ſuperque*
Manifeſtum eſt. Ego veſtras ubi luſtravero terras,
Prope feſſus ſtatui quando viarum
Mihi metam, variorumque laborum;
Loca quæram peramœna & bene ſecura Camenis:
Modò, quæ pectore multumque diuque
Agito, reſpicient vota volentes
Superi, nec meliorem mihi Fatum reſecet ſpem
Requiei potiundæ vel in arvis
Proavitis, vel in oris alienis.
Quid enim tam diuturno ſpatio creber oberrem?

AD DANIELEM ROGERSIVM, REGINÆ ANGLIÆ LEGATVM.

DVM vitâ fruar hac ſuperſtes,
ROGERSI decus Angliæ,
Reginæ meritas Britannæ
Laudes ore hilari canam:
Digne, cui mea neque totum
Vni devoveam lubens,
Mancipemque, per huius ævi
Quidquid mi fuerit ſuper
Sum facturus idem, ſupremo

Postquam tempore vixero ;
Cum velocis arena Fati
Vis , & Parca valentior ,
Divûm munere commodatum
Me reposcet anhelitum .
Quei facturus idem? rogabis .
Supplex ætherium Jovem ,
Supplex Aonidumque patrem
Deprecabor Apollinem ,
Vt post fata meus remigret
Vivax in niveos cycnos
Spiritus , Thamesim incolentes ;
Limpidum Thamesim , meo
Factum carmine clariorem .
Nam quo perpetuus gregem
Plurium Thamesis cycnorum
Alet , plectraque perstrepent
Rostra ; eo quoque lætiore
Divam gutture continens
Clangam. Quisquis & hos olores
Inaudiverit oscines ,
Videritve ; Meæssus , aiet ,
In his vivit oloribus .

PAVLI MELISSI SCHEDII, FRANCI

MELICORVM

LIBER TERTIVS.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

O DIVA, *claram quæ regis Anglian,*
Potens beatos reddere quos velis,
Dignosque regali favore:
Accipe fronte precor serenâ,
Quæ dedicamus carmina Numini
Tuo volentes. sic Genius tuus
Vigescat æternum canoræ
Suavibus in numeris Thaleiæ:
Sic ipse perpes præco tuus ferar
Laudis per orbem: quâ Boreas strepit
Sonorus, & lenis flat Auster;
Quâque oriens micat occidensque
Titan, Olympi perpetuum jubar.
Testes meorum sint volo carminum
Vterque SYDNEIVS, ROGERSque;
Quique tibi mea verba reddet
GILPINVS; *Augustâ mihi cognitus*
In urbe, Suevi cæruleis aquis
Lyci rigatâ: quo RVDOLPHVS

Digitized by Google

Imperij proceres frequenti
Manu evocatos consulere invicem
Communis interem jusserat arbiter
Statûs, & incrementa latis
Publica subsidiis tueri.
Me gratiosum te penes hac chely
Spero futurum. sit precor o meis
Bono Camenis, velle plenum
(Si jubeas) opus exarandum,
Regina, de te suscipere, omnibus
Perfectum ad unguem, quâ potero, modis;
Prositque, de te Diva nullas
Ter duo lustra tacere chartas.

AD ROSINAM.

ROSINA *bella, floridis apricior corymbis;*
ROSINA *pullulante lætior myrto,*
ROSINA *liliis rosisque pulchrior,*
Perenne virginum decus;
Sereniore dum mihi coruscus auspicatum
Nitore Sol diem quater decennalis,
Fluentem ab usque primulâ recentium
Crepundiorum origine,
Reducit, aureis micans jugalium quadrigis:
Bene ominare. sic & ipsa ab Aurorâ
Et imminente salveas ab Hespero,
Agens diurna lustrici.
Bene ominare; meque ter quaterque nominatum
Jube salute prosperâ frui tecum,
Licebit exteris ob illa regia

Digitized by Google

Duella in angulis vager.
Quis autumasset? en adhuc, per octo lustra, cælebs
Et hunc morante cerno Marte natalem:
Tamen virente mi comam induit nigram
Pudens Oliva termite;
Etruriæque corculum volens honesto Senas
Oreadasque perlibenter adspecto,
Modestiore fronte & ore præditas.
Benigna bruma post iter
Latinum, & urbis Ausonum perambulationem,
Viasque cognitas, amœnius præbet
Poli sub huius axe, præ quod expetit
Domi queat, triclinium.
Feros tumentis Hadriæ dehinc timere fluctus
Supersedebo, seu fragosa Pœnini
Gelu rigentis expavere præcipitia. Vt reducta vallium,
Vt hæc ce collium juvant reflexa, fontiumque
Scatentium ad ima lene murmur! heic lauri
Virent, viretque silva Palladi sacra,
Citrisque consitum nemus.
Cupressus atque pinus heic stat; iliceesque frundent;
Fragrantiisque myrteis odorati
Replentur halitu decenter hortuli,
Et usque ver novum tepet.
Domus canore Musico, & sonore nabliique &
Lyræ resultat. Istiusmodi vivant
In otio ac quiete Lipsius, precor,
Et ipse Dousa nobilis,
Et ipse Carrio, & Graphæus, & ipse Giselinus
Novans vetusta sæcla; vosque Lernuti
Modique, pectora absoluta, non sine

Typos amante Goltzio.
Idem precabor, ac lubens, & Vtenhovio ipsi,
Et eius intimis: idemque Mellero,
Colonienſe quo celebrius cluet
Canente territorium.
Idem hocce Gulielmium tagat Decembre votum;
Amore qui roſarum Adonidum captus,
Trecenta cum roſis caniſtra mollibus
Deæ ſacravit entheæ.
Ibére Mars faceſſe, Mars Iber faceſſe: tuque
Redoccupare Belgium vel invita
Memento Pax, quietis exſulis ſoror,
Alumna dulcis otij.
Eamne, & optimam alloquar ſodalium catervam?
Vetor. Sit ut nimis remota, ſalvere
Tamen per ora vos jubebo prodromi,
Amata Cynthio cohors:
Et inter hancce ſymbolam, memor gregis diſerti,
Scypho litabo ſepties coronato:
Simulque faxo coram adeſſe te, mea o
ROSINA, *melle dulcior,*
Fragrantiorque balſamo, nitentior liguſtro
Cycnique plumulis. Adeſſe te præſtó
ROSINA *faxo opinione, & abditam*
Trahace hiabo carmine;
Idemtidem o cupita bis decem irrito per annos
Proco, ſed usque mi negata; quin nunquam
Potis vel uno ocellulo viderier,
Niſi ſemel per Ideæ
Imaginariæ, polo ſilente, conſpicillum.
Inanis hinc amator exſtiti formæ
Haud, virago. Mantis inde plurima

Mihi futura Christius,
Neque hoc rogatus, immo vi manus intuens prehensam
Palam omnibus, sed invidenda prædixit;
Fore auguratus, ut Diana vicies
Rotante circulo prius
Meare signa cerneret per obviata fratris
Citum Phlegonta, quàm tuæ virum Zonæ
Hymen doceret arcta vincla solvere.
Abisse terminum hunc scias;
Propinquat hora debitæ statuta pactioni.
Quid immorare? quid meos in obliquum
Repellis ambitûs? quid ægrimoniis
Jecur miscllum acerbius
Premisque & angis? Euge, seu Britanna vel Batáva
Meum tenetis, aut Etrusca, desiderium, vel Hadriana litora, aut novæ
Beata rura Franciæ,
Lacûsve ripa cogniti minus minusque; seu vos
(Libentius quod hercle crederem) casto
Deæ fovetis in sinu Melannides;
Paterve Rhene eam tuo
Ab amne, Naidum sacro vides choro aggregatam,
Hymettio ore dulce nectar haurire,
Catumque pectus Attico imbui favo:
Ad illa quæso commodum
Pedes euntis advenas loca apta sistitote,
Vbi illa degit, anxiumque fors exest
Sibi ipsa cor, medullulamque tabidam:
Amore tum vicario
Præadligata nemini, pudica corda Nymphæ
Ad hoc meum cor, o Cupidines, strictim
Eatenus ligate, quâ cohæreat

Digitized by Google

Fugalis usque copula.
At ipsa non minus flagrans ames tuum Melissum, & Colas ROSINA, *quàm perusta Thaumantis*
Amasse fertur alma Memnonis patrem, aut
Diana pulchra Virbium.
Vtrimque faxit hoc Venus, tot invocata votis,
Decensque Juno, prónubæ gerens munus;
Bonusque Lucifer diem advehat bonum:
Vlysse ero beatior.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

TANTINE sum, Regina, de me
Vt rogites volens,
Vbinam locorum victitem?
Tantine sum, Regina, Musas
In penetral tuum
Vt amanter acceptes meas;
Mihîque magnas proinde grates
Sic jubeas agi,
Quasi quid merenti gratiæ?
Fortassis & ROSINA quæ sit
Nostra, rogaveris.
Equidem ipsemet (credas velim)
Ignoro. nunquam enim Rosinam
Vidi ego, quam cano
Cecinique, quamque post canam.
Vmbram ergo captas o Melisse?
Omnimodis: quia
Procul hinc abest corpus Rosæ;
Nec sat scio, quonam sub axe

Digitized by Google

Euterpiæ. Peris
Ignitur Rosinam, & perditum is
Et tempus & te France? quid tum?
Dummodo non meæ
Pereant imagines ROSÆ.

IN NATALEM ROSINÆ.
AD FLORAM.

VIRGO, *quæ florum studiosa cultis*
Præsides hortis, decus herbularum;
Sive tu Chloris, Dea, sive gaudes
Flora vocari:
Candidæ natalis adest ROSINÆ;
Fac tuæ pulchris manibus Napææ
Mille jam nectant maris ex virenti
Rore coronas.
Naiades castæ, Dryadumque vernans
Turba, cum Nymphis aderunt pudicis;
Gratiæ & Musæ quoque, Oreadesque &
Pura Diana.
Sparge pulsandam pedibus Dearum
Mollibus terram violis rosisque;
Alba Junoni foliis tenellis
Sparge ligustra.
Dum choros ducent mea cura Divæ,
Præcinens Clio, præiensque Pallas
Rite festivo nova temperabunt
Gaudia plausu.
Phœbus aurato residebit arcu,
Personans leni citharâ. ROSINAM
Myrtus inciniget, mihi digna crines

Digitized by Google

Laurus obibit.
Adfer huc unguen puer, ac Lyæum:
Adfer huc ſtacten, genus omne ſucci,
Magma, paſtillos, Syriisque vecta
Balſama ab oris.
Hæc dies ſollennis erit: quotannis
Hanc diem, & te Flora, meamque Nympham
Annuo noſtræ celebrare pergent
Carmine Muſæ.

IN FONTEM HORTENSEM ELISABETHÆ REGINÆ ANGLIÆ.

O ARGENTEOLIS *lucide rivulis*
Fons, & frigidulis limpide glareis;
Ecquæ Nympha loci te gelido cavæ
Rupis ab antro
Limphis tam riguis elicit uberem?
Vt perſæpe tuas margine in herbido
Miratur ſcatebras gemma Britanniæ
Dulcis ELISA!
Vt perſæpe ſitim languidulæ cies!
Tu candente oculos paſcis imagine;
Aures tu ſatias murmure, tu rigas
Labra liquore.
Os, aures, oculos devoveo tibi,
Cryſtalli Cypriæ ſplendidior vitro
Dulcis fonticule, o, fontis Iliſſij
Dulcior undis.
Monſtra quæſo mihi, quæſo tuam mihi
Nympham monſtra, agedum. Nobilium lubens

Digitized by Google

Illam Naïadum præficiam choro,
Nobiliorem
Quàm vel Cymodoce, quàm vel Erotion,
Vinis vel niveis candida Amyntias.
Sic nunquam tua nec ſicca, nec arida
Vena debiſcat;
Sic herboſa tibi gramina veſtiant
Ripam; ſic viridis pomus opaculâ
Defendat rapidum frunde Caniculæ
Deſuper æſtum.

IN HORTVM ELISABETHÆ REGINÆ ANGLIÆ.

VERNE Reginæ decor o Britannæ,
Summa præſentis dominæ voluptas,
Arborum denſis fruticumque ſilvis
Hortule florens:
Quis tibi vatum neget eleganti
Elegans carmen? quis Apollinari
Frunde velatus tibi cantitare
Pauca recuſet?
Hauriat virago potens volenti
Aure ſedatos modulantis orsûs;
Heic Roſas inter medias, & inter
Lilia cana,
Ductili puris ſaliente limphâ
Fiſtulis; & luſciniâ, ſonori
Gutturis doctâ, melos integrante
Lucis & umbræ.
Dum cano ſeptos nemoris receſſûs,
Aut parum o frigilla ſilens quieſce,

Digitized by Google

Dauliam ſuavi cata provocare
Voce magiſtram ;
Aut ſimul dignas celebrate mecum
Hortuli laudes : ſed ut hæ per ævum
Omne creſcentes in heræ benignæ
Vota redundent .
Qualiter vix Heſperidum fuiſſe
Caſpites cultos puto , vixque Cyri
Penſiles hortos , & amœna Adónis
Alcinoique
Frundeo ornatu decorata tempe :
Tale pol maius ve decus canemus
Areas ornare tuas comatis
Hortule ramis .
Heic odor , quali fruitur Sabæus :
Heic nitor , quem Semiramis petiſſat :
Heic color , quo ridet hians beato
Copia cornu .
Dulce prælustri ſpatiari in aurâ
Mane ; jucundumque meridiari ;
Veſperi ſuave eſt abeunte Sole
Paſcere viſum .
Heic bonum eſt dormire , bonum eſt morari :
Cultui gnavo melius vacare :
Optimum , cantûs hilares jugare &
Dulce poëma .
Cultor herbarum memor atque florum ,
Atque radicum ſub humo latentum , &
Stirpium priſca & nova ſingularum
Nomina ſignet .
Tum ſalutarem propriamque & aptam
Omnium , Macer quaſi quis renatus ,

Digitized by Google

Vimque virtutemque potentiamque in-
dagine prodat.
Non opis noſtræ frutices ad unguem
Perſequi cunctos, variasque plantas:
Præſtet hoc malim indigenæ reſultans
Muſa poëtæ;
Cui per abſtruſos vaga corda gyros
Scitus errorum labyrinthus urget.
Pieri o feſſo liquidum canenti
Porrige fontem.
Hæc ſat eſt tentaſſe levi ſub umbrâ
Pampini. Salve mihi ter quaterque
Hortule, & Regina vale trecentos
Soſpes in annos.

EVPHROSYNÆ HÆNZELIÆ AVGVSTANÆ.

QVÆ tam candidula eſt manus,
Ebur Indicum
Niveo colore
Alabáſtraque vincens;
Cuius littera ductibus
Calami integris
Nitidam ſalutem
Operoſa Meliſſo
Adſcripſit Latio ſono?
Manus iſta pol
Manus eſſe pulchræ
Mihi prodita certis
Signis EVPHROSYNÆ; *quòd hæc*
In epiſtolâ

Digitized by Google

Meliore fratris,
Animi indice, multum
Me ſalvere ſibi jubet.
Quid ego tibi,
Tibi quid rependam
Meritiſſima virgo?
Grates dulciculæ feram?
Nimis hoc parum eſt.
Reſalutem? id ipſum
Minus. attamen ipſi
Grates EVPHROSYNÆ *lubens*
Ago maximas
Habeoque; porrò
Sed agam, ſed habebo
Semper; quin referam. ſed &
Ita nunciis
Reſaluto verbis,
Magis officioſo
Hanc ut pectore non queam:
Ita blanditer
Reſaluto blandam,
Vt amantis amorem
Conteſtetur Erotion.
Quid enim tibi,
Tibi quid rependam
Meritiſſima virgo?
Te formoſa quadrimulam
Ego noveram
Viridi ſub ævo,
Charitumque dicatam
Muſarumque ſacris choris.
Tua bis novem

Prope

Digitized by Google

Prope finit annos
Modo grandior ætas,
Jam te Melpomene leves
Docuit fides
Celeri increpare
Digito, resonosque
Vivâ voce, per ambitûs
Modulaminum,
Iterare cantûs,
Medio in grege Phœbi.
Jam te Pallas adinstruit
Phrygiis opus
Geniale telis,
Dubio Labyrinthi
Septo texere cónditum,
Et acu recens
Variata molli
Bene pingere fila.
Sic & parvula dum foret
Ariadna, sic
Pudibunda gnavas
Solita Icariotis
Exercere frequens manûs.
Ibi nec lyræ
Aberant, nec odæ:
Aderantque laboris
Salamen citharæ. Fuit,
Tua cum mero
Labra melle tincta
Licuit mihi coram
Audire, & modulos simul
Canere. En erit,

Digitized by Google

Vt in Italorum
Diuturnior oris
Lentê commorer incolâ,
Viridem Lycum
Procul ingemiscens
Nitidamque videre
AVGVSTAM, *decus urbium?*
Erit, ut mei
Speciosa somni
Per inania frustrer?
Absens cerno ego cerno te
Lepidissima,
Propriam figuram
Oculis animoque:
Nam non mentem animi modò
Rapit impetus,
Sed & ocyores
Rapiuntur ocelli
Ad quæ diligimus loca,
Licet avia
Penitus. Tametsi
Igitur procul absum
Vestris corpore finibus,
Tamen Alpium
Juga verticosis
Prohibere timebunt
Dorsis, quo minus hospiter
Propior Lyci
Aliquando Nymphis,
Nemus inter & hortos;
Vsus nempe volucribus
Avidæ Spei

Taciturnus alis.
Siquidem omine dextro
Spes vltroque citroque iens
Beneſuada, mox
Fore pollicetur,
Vt amœna ſub horni
Opportuna Favonij,
Et hirundinum
Reditûs apricos,
Iterum ipſe redux ſim.
Hanc vt Lucifer advehat
Roſeus diem,
Niveis notandam
Ab vtroque lapillis;
Votivâ EVPHROSYNE *roga*
Superum patrem
Prece. Virginali
Prece flectitur æther.

IN BARBARAS HÆNZELIORVM.

A SVAVITATE *Suevica*
Gentis alienum, quid putem
Aut unde nomen barbarum
Duas habere fratrias,
Hænzelliorum conjuges,
Vos dicitote Suevides
O dicitote Nymphæ.
An uxor Henrici fera eſt?
An nupta Baptiſtæ ferox?
Vtrique nomen Barbaræ eſt;

Digitized by Google

Non barbaris quod vultibus,
Aut barbaris ſint moribus,
Non quòd Minervâ barbarâ,
Aut barbarâ loquellâ:
Quæ Nicomedeiæ data eſt
Juſſu Dioſcori patris
Ob Chriſtiana dogmata
Virgo tyrannicæ neci;
Transmiſit in Suevas plagas
Martyr beata exoticum
Sed liberale nomen.
Quid fratriâ hac formoſius?
Quid fratriâ illa pulchrius?
Vtrâque quid pudicius?
Non mitis hæc illâ magis;
Non illa comis hac magis.
Hanc rarior dos ingeni,
Illam indolis venuſtat.
Ambæ niſi ſuaviſſimæ;
Ambæ niſi dulciſſimæ
Fuere, ſunt, & poſt erunt;
Adeſte: diverſam omnibus
Teſtetur Henricus ſuam,
Baptiſta teſtetur ſuam.
Tacete, ni poteſtis.
Henrice muſſas? non ita eſt?
Baptiſta muſſas? ſic pol eſt,
Vt diximus; nec dixerit
Falſo celebrator palam
Veſtrorum amorum candidus,
Et dona quisquis obvius
Hæc Zelliana laudat.

Digitized by Google

Bene o valete, & vivite.
Bene, optimi fraterculi,
Vosque optimæ sororculæ.
Cæpto secundentur pari
Vestræ familiæ; queis Hymen
Fraterculare pectus &
Sororiare sentit.

IN LABIAS ROSINÆ.

QVALIS renidet florida Punici
Fissura mali, quod numerosior
Vtrinque granorum rubentium
Copia subter operta rupit:
Tali decenter mollia diffluunt
Labella risu flexanimæ RHODES,
Inter canendum suave, & inter
Dulce sono patrio loquendum.
O delicatis ora coralliis
Rubentiora, & purpureis rosis,
Formosa quas sputo cruoris
Ipsa sui Cytherea tinxit;
O sive Pithûs sive Cupidinis
Liquore gratæ sparsa medullulæ,
O plena divinis beati
Nectaris ambrosiæque succis
Labella; quàm vos gestio vel semel
Dissuaviari, si licet, ut libet:
Quo nempe Celtæ, quove Belgæ
More solent teneras puellas.
Castê ac pudicê sic tamen, ut nihil
Præter salutem tetricitas gravis

Sentire dicatur Catonis ,
Aut anuis vigilax ocellus .
En adfluentis rore ſalivulæ
Humeſcit udo lingua ſub angulo ,
Pellecta flammantes rubore
Has labias propiore labri
Compáge junctis tangere baſiis .
Si maior eſſem , Carolidûm ſatus
E ſtirpe ; ſanê non vererer ,
Quale dabat Salomon venuſtæ
Prudens Sabææ , tale etiam tuis
ROSINA *malis figere ſavium .*
Quin ipſa tu quo celſiore
Nata loco es , ſeriemque veſtram
Tot rebus anteis , hoc gere tè precor
Submiſſiorem , ſi tibi diligor :
Et antevertens appetentis
Oſcula , me prior o ſculare .
Mea antevertens oſcula , me prior
Exoſculare , inquam , & thalami fidem
Promitte. Promitto viciſſim ,
Baſiolum fore tale gratum
Æquê , & beatum non minus , atque quod
Haud aio raptæ Tyndaridi Paris
Dat , ſed quod aut lentê reverſo
Icariotis amans Vlyſſi
Indulſit , aut regina Britanniæ
Statura lecti fœdere (quod quidem
Sperare nunquam nec queat nec
Debeat , Hectoreus niſi heros)
Sponſo futuro non bene deneget .
Quid o moraris bella ROSINA *? qui*

Cunctaris? Aut tu basia me,
Aut mihi te sine basiari.

AD TVRTVRES SVOS.

TVRTVRES, *sacri Veneri pudicæ,*
Qui pares unis animis, & unis
Mentibus, concorde toro beatum
Degitis ævum;
Ecquid auditis gemitûs Melissi?
Ecquid hauritis querulas loquellas,
Mane quas primo gemo, quas anhelo
Vespere sero;
Conscios vos esse mei sonoris,
In dies quo canto meam Columbam,
Novi, & hoc ipsum mihi testis æquè
Novit Acanthis;
Ægra curarum resonante cantu
Scita lenire, & sociâ accinente,
Tempus ut fallant grave, milleformes
Promere voces.
Ructus en creber magis aggemiscit
Ingemiscenti, neque rariore
Vester obtutu labra anhela visus
Spectat hiantis.
Nostis apprimè, mea Turturilli
Cura, quàm constanter amem colamque
Vnicæ fato mihi destinatum
Pectus amicæ.
Nostra erit tandem, licet octo menses
Luna complerit nova transigendos;
Vosque post escæ satie cupitæ
Pascet alumnos.

Vivat o mecum pariter ROSINA
Invicem ſicut bene victitatis !
Talis o regnet mihi mutuo con-
cordia lecto !

AD AVRORAM.

AVRORA, *Solis ſplendor ille pulchrior,*
Quo purpurare cernitur
Et mane cælum & veſperi ſerenum ;
Formoſa nata lucidiſſimi Jovis,
O ter quaterque & amplius
AVRORA *ſalve. Te meis venuſtam*
Quoties ocellis lætus adſpexi, palam
Videre ELISAM *ſum ratus,*
Britanniæ illam doctam & eruditam
Reginam, in illiusque vivâ imagine
Meam ROSINAM, *tot libris*
Tot luculentis carminum involúcris
Claram ; poëtarumque mille verſibus
Pridem celebratam, in mei
Tantum favorem, gratiamque Nymphæ.
AVRORA, *quid te in orbe toto eſt pulchrius,*
Formoſius, venuſtius ?
ELISA, *quid te ſplendidum magis, quid*
Illuſtre regificumque te mage uspiam ?
ROSINA, *quid te dignius*
Celebriusve aut notius per orbem ?

IN AVICVLAS SVAS.

REGVLI *quondam genitalis auræ,*

Digitized by Google

Aëris nati, & nemorum potentes
Alites; ſed nunc caveæ inquilini
Corpore ſervo:
Omen acceptum canitote quæſo
Oſcines dextris mihi gutturillis:
Tuque nil lævi cane ſis ROSINÆ,
Dulcis Acanthi.
Ecce Sol ætherque ſimul puellæ
Hortulum favente meridianum
Lumine adſpectant, bona pollicentes
Quæque precanti!
En Dioneam niveam columbam,
In meum quæ ſe gremium, volando
A domûs caſtæ propiore tigno,
Sponte receptat!
Jam diu vinclis ego mancipatas
Vos manumiſſas dabo, ſingulisque
Aureum anellum pede complicabo,
Cum titulo iſto:
LIBERA HÆC VOLO SIT AVIS MELISSI.
Ibitis, quo vos per inane ducet
Aura, quo frundens nemus incitabit
Prepete curſu.
Antè continget tamen eximendis
Oſculum. roſtella rubris labellis
Blandiens vobis hera baſiabit
Terve quaterve.
Aucupum nulli hinc ſubitura viſco
Præda cedetis, neque captioſas
Sentiet fixo pedicas adhæſu
Mobilis ala.
Si tamen fors incideritis in rem

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA MADRID

Digitized by Google

Non bonam ; fraus omnis abesto , rite
Cognito , vobis merito obtigisse
Libera jura.

AD NICOLEAM ET LOIDEM VIENNÆAS, CLAVDII ANTONII BARONIS CLEREVANTII FILIAS.

MVSIS amicæ ,cáraque Gratiis
Binæ sorores pectora , germinans
Stirpis Viennææ propago ,
NICOLEA o mea , tuque LOI;
Sic in Minervæ & Pieridum choro
Teretis ævum ? sic animum entheis
Pascetis in Floræ viretis ,
Et veterum Sophiæque libris ?
Sic Graia passim cum Latiis aquis
Exhaurietis flumina ? Quàm bene
Factum ,quòd in doctis puellis
Malueritis habere nomen ,
Fruique famâ , quàm vel acu levi
Pollere tantum , vel radio aut colu ;
Tramâve telæ multiformis
Pallada Cecropiam æmulari !
Quid , quòd rotundos cogitis in pedes
Sonos Latinos ? & calamo duce
Quascumque formas luculentê
Pingitis , effigiesque rerum ;
Vestri sequutæ rite per omnia
Manum magistri , & dia domestici
Reperta BOISSARDI : *neque ipsa*

Textilis in bicolore lino
Pictura fallit? Dic mihi, dædala o
Natura rerum: Quis potuit Deus
Perfectum ad unguem tot beatis
Artibus imbuere elegantum
Pectus sororum? Quæ Dea tot catis
Rarum replevit dotibus indolem?
Quæ pulchritudo, quæ venustas
Emicat ex utriusque vultu!
Cui præferamus Nicoleam Deæ?
Cui comparemus Loida numini?
O dignam Olympi sede matrem,
Sidereoque comas perennes
Honore cingi; cuius ab ubere
Duxere natæ lactea flumina!
Nimirum equestris Clærevanti
Haud alias potuisse virtus
Dicetur olim gignere filias:
Avita virtus, quâ nihil exstitit
Maiorum in ævo nec minorum
Nobiliusve celebriusve,
Amœnum ad amnem Sequanici Dubis.
Nam vester, o Nymphæ, eximius parens,
Vt ille Mæcenas Etruscis
Regibus ortus eques, perinde
Burgundiorum sanguine proditur
Regum creatus. Quale fuit decus
Quantumque non solum propagi
Magnificæ, generique vestro,
Sed Christiani nominis ordini;
Quæ Clodovæi sponsa iniit torum
CLOTILDIS *heroina, regi*

Digitized by Google

Francigenûm capitalis auctor,
Gauderet ut Baptiſmate tinguier
Sacro, & ſalúbrem Chriſtiadûm fidem
Amplecteretur? Non BEATRIX
Illa ferax quoque, Friderico
Quæ Barbaroſſæ nupſit, ab inclitâ
Veſontione traxit originem,
E ſtirpe veſtrâ nata mater
Cæſaribus ducibusque claris?
Hæc cogitando mecum, & in intimas
Res intuendo mente ſagacius,
Præconia & famam decusque
Mirificê rapior vetuſtæ
Cantare gentis: nec queo percitis
Oeſtro Camenis ora ſonantia.
Jubere muſſare, & retrorſum
Propoſiti revocare habenas.
Sinetis ergo dehinc vel idonea
Quæ tento, vel ſaltem ab minus apta me
Fari, o ſorores, bina Phœbi
Sidera, Caſtalidumque ocelli.
Quòd ſi parum uni forſan & alteri
Amor ſatis ſit noſter: in hoc tamen
Scitote veſtri neminem usquam
Vivere me ſtudioſiorem.

AD CATHARINAM HEVIAM CLEREVANTIAM.

O FILIARVM *nobilium parens,*
Ex Heuïorum creta propagine,
Matrona, non Junone magnâ,

Digitized by Google

Non Ope primigenâ, neque Hebê
Minor: quid est, quod carminibus meis
Defers honorem tantum, ut & ipsamet
Nataque, dono unâ tributo,
Mi niveis manibus salutem
Adscripseritis? Non ego maximi
Talem favorem muneraque æstimem
Transmissa, præstantisque gratæ
Intemerata loco reponam,
Perennis indicium (auguro) gratiæ,
Quâ prosequutæ me estis, ob unicum
Melos, Mosellanas in oras
Non sine consilio sagacis
Missum Minervæ? Vivat id omne per
Ævum; atque Metis, inde Grymontio,
Arcique Montoæ decórem
Splendidiusque subinde nomen
Æternet. Atqui digna es, item tua
Sunt digna sanê pignora, de quibus
Nunquam obticescat Fama, nunquam
Posteritas sileat futura.
Virtus VIENNÆ *sanguine regio*
Burgundiæ sub limite originem
Traxisse, longævâ nepotum
Per titulos serie feratur.
Gens HEVIORVM *(sæcula quinque jam*
Fluxere) claris ex Eburonibus
Metensem in urbem prædicetur
ROGERIO *duce commigrasse.*
Quin ipse de me sic meritus bene
Robertus ille est Heurius, ad lacûs
Versante secessum Mehanni;

Digitized by Google

Sic etiam tuus ille natus
Franciſcus ultro notitiæ meæ
Adſuevit, ad Nitci hoſpita flumina,
Suaſore Boiſſardo & Trelæo:
Vt nec amicitiæ me eorum
Vnquam, nec illos pæniteat meæ.
Ac proinde quodcumque hæc proficiſcitur
Ex mente, ſic in vos profectum
Credite, uti faciam tibique
Tuisque rem gratam, ac memorabilem
In omne ſæclum. Si mereor, tuum eſt
Hoc nomine uno me meosque
Perpetuo CATHARINA *amare.*

IN NVPTIAS NICOLÆ VIENNÆÆ CLEREVANTIÆ

RIPAS Moſellæ, & patria cæruli
Linquit Grymontis culmina, Oreadum
Feſtiva cultrix Naidumque
Aurea NICOLEA, *propago*
Divina matris, flos Clerevantidum,
Itura in arcem Sequanicæ plagæ,
Jam COVRTIO *que optata Nympha*
Purpureos thalamos marito
Stratura. Nymphæ tu Venus i comes,
Salvamque duc per difficilis viæ
Longinqua, cum ſorore binâ
Et numero genitricis almæ.
O quàm flagranti pectore & intimis
Exſpectat illam ſponſus amans fibris,
Burgundiorum ſtirpe regum

Digitized by Google

Editus ! Eia agedum ſer, inquit,
O Diva lætis omnibus meo
Sperata voto gaudia : da toro
Videre partem deſtinatam,
Nomen ab eximiâ Viennæ
Domo trahentem nobile. Sic ait,
Ternasque juxta pro meritis tuo
Vovet corollas ipſe fano
Aureolas, totidemque Amori,
Fratrique Amoris. Tu Dea munere
Contenta voti reddito compotem
Et hunc & illam, liberosque
Conjugij facito auſpicati
Formoſa tollant pignora ; quâ genus,
Quâ nomen altum, quâ celeberrimam
Semper propagatura famam
Per decus & titulos equeſtres.

AD LOIDEM VIENNÆAM.

LOI verecundi flos illibate pudoris,
Virgineæ tutela Minervæ ;
Sequanicisne domum rediiſti ſoſpes ab oris,
Cum genitrice ſoróreque carâ ?
Sic mihi BOISSARDI *veſtratis epiſtola nuper*
Rettulit ingenioſa Poëtæ.
Adventu ſublime tuo caput extulit altis
Gurgitibus pater ipſe Moſella :
Naiades & quotquot viridantis in amne Moſellæ
Humida regna colunt, & ad amnem
Quotquot vicinum Nymphæ loca grata frequentant,
Et faciles tua cura Napæa,

Digitized by Google

Nec non cum Dryadum tenero agmine Oreades ipſæ
Vnâ omnes, ſacra per juga Bacchi,
Excepere tuos reditûs plaudentibus ulnis,
Ad numerumque canente melódo
Et citharam pulſante leves duxere choréas;
Non quales gens ruſtica Volſcæ
Conſuevére, ſed Aonidum de more ſororum
Aut Charitum, quoties Hymenæum
Vel Pæana canunt feſtivâ voce ſonantem.
Audiit hæc viditque Grymontis
Montoæque arcis cuſtos, genus indigenum, Lar:
Nec mora; & hic exſultat & ille
Lætitiâ plauſuque fremens. tum certat uterque
Te prior in penitralia avita
More receptare inſolito, feſſamque fovere
Ex longarum ambage viarum.
Ipſe tibi paries gratatur ſuave remidens,
Splendeſcensque tapetibus aureis:
Januaque ipſa adeó gemino cum poſte ſuperbit
Te præsente. Focum Geniumque
Inſimul heic videas conjunctos cum patriis Diis
Nube carentem expergere frontem.
Angulus heic omnis ridet, ridentque Penatum
Gens maiorum, & turba minorum.
Ipſe etiam, o Muſis cariſsima virgo mihîque,
Lætor ió te ſoſpite; & oden
Hanc jubeo de te ſcriptam veſtrâque ſalute
Francigenas ediſcere Nymphas.
Quid potius faciam? Nomen ventura nepotum
Sæcla tuum volo, Loi, loquantur.

AD

Digitized by Google

AD MARIAM VIENNÆAM.

MARILLA, *delicatule*
Virgunculorum ocellule,
Quas nobiles Metenſium
Matercularum Zonulæ
Luminis aureolas in auras
Tulere: creſcin' jugiter,
Præ teque ſucci plenulum
Vigensque fers corpuſculum,
Cuiusmodi hac ætatulâ
Candidulas vegetat puellas?
Pulchella ceu ſurgit recens
Myrtus tenellis ramulis,
Comisque odora criſpulis;
Adflata leni ventulo
Roſcidulisque rigata lymphis:
Sic tu MARILLA, *floſcule*
Puellularum, te exſeris
Erectulis cincinnulis,
Demulſa veris halitu, &
Fonticuli Charitum ſcatentis
Perfuſa rore limpido.
Tui micant ocelluli,
Vt noctilúcæ ſtellulæ.
Tibi labella purpurant
Æmula flammeolis corallis.
Perlævigata marmora
Eburque candidiſſimum
Manûs tuæ puriſſimæ
Vincunt: manûs inquam tuæ

Digitized by Google

Lacteolo niveæ decóre.
Morum insuper decentium
Politula elegantia,
Et blandicella suavitas,
Venustioribus poli
Cedere nescierint Deabus.
Ante omnia est, quod me allicit;
Loquella, liquidissimo
Dulcissimoque nectare
Omnique melle dulcior,
Atthides ambrosiis quod olim
Ex herbulis apiculæ
Legére. Delibutus his
Tibi est palatus guttulis,
His delibuta guttura,
Linguaque, & ipsa labella bella.
Quòd si ipsa tu uno & unico
Me suaviere suavio;
Aut osculeris osculo,
Aut basies me basio,
Dulcisonum tibi cantitare
Melos parantem: nectaris
MARILLA *pol dulcissimi;*
Tuique mellis optimi,
Tuæque liquidissimæ
Particulam imbiberim medullæ.

AD CAMILLAM MORELLAM.

CAMILLA *doctarum inclita virginum*
Alumna, sacri gloria verticis,
Quem Phœbus augur cum Camenis

Digitized by Googl

Incolere ante alios ſuëvit :
Quænam auſpicati munere te poli
Produxit Eos ? quæ tibi candido
Fulſere in ortu tam benignê
Sidera ? quod genitale ſignum
Naſcentem amavit tot nitidiſſimis
Ornare donis ? Haud ego te genus
Mortale, MORELLA *que cretam*
Stirpe reor, ſed Olympiorum
Sanguen Deorum. nam niſi conſpicer
Divinius quiddam ac generoſius,
Suprâque vulgarem Minervam
Plebis, ineſſe tibi GAMILLA:
Vnum infimorum me, licet, æſtimes;
Vnum invidorum me ſimul arguas,
Qui te, quod uno omnes tibi ore
Dant facile, ſpoliare partæ
Præconio alto laudis, ut æmuli
Solent, malignê coner, honóreque
Privare digno, debitisque
Ellogiis, celebrique famâ.
Sed tantum abeſt, ut noxia quæpiam
In me residat talis; ut obviis
Hoc pectus ultro amplexer ulnis,
Hoc venerer caput, oſculerque
Manum, atque ſanctam te veluti Deam
Supplex adorem. Quod niſi ab intimis
Præcordiis manare credis,
Ex animoque loqui MELISSVM
Sentis: amorem cui fatear meum,
Facesque amoris ? qui vehementior
Tanto eſt pol in te, Diva; quanto

Digitized by Google

Suſpicio magis expolitam
Doctrinam, & artis Piriæ decus.
In queis perenni non ita floruit
Honore Sappho culta, nec ſic
Filia Sulpicij diſerta;
Vt tu vigeſcens carmine nobili
Puella præſtas. Non ego te colam,
Germana Muſarum CAMILLA?
Non ego te Charitumque ocellum,
Tuique Phœbi delicias vocem?
O viva imago Palladis! o catæ
Medulla Peithûs! o renati
Flos redivive CAMILLA *ſæcli!*

AD ROSINAM.

VIRES *ingenuæ, cúraque virium*
Quæ ſanitatem in corpore temperat,
Te cedro faciunt parem
O ROSA *vere tepenti.*
Nunc lauro ſimilis, nunc tiliæ mihi
Vidêris. ultro te Melituſides
Cingunt rore thaláſſino;
Bácchare Flora coronat.
IN CVRA *Charitum* FLORIDA *ſemper* ES:
Cultu Thaleiæ maſcula roſcidæ
VI FRONDES ALACRI: *comæ*
Luxuriantur in auras.
Flores quale furens Auſter amygdalis
Decuſſit, ævi flos cecidit mei; aut
Ceu bruma aſpera vineas
Deſpoliavit honore.

Digitized by Google

Arentes refove lux mea amygdalas,
Siccosque succis imbue palmites:
Gemmas palmes aget novas,
Trudet amygdala flores.
Tunc vel sub medij triste Capri gelu,
A VI *vigoris perpetuo tui*
FLORENS DICAR, *& altior*
Abiete sidera tangam.

AD CAMILLAM MORELLAM.

VIRGO *Castaliis nomen ab artibus*
Æternum merito nacta; decentior
Horis, pulchrior Hebê,
Scintillantior Hespero:
Quam quinas aveo per trieteridas
Cum desiderio cernere maximo,
Ex quo prima diserti,
De te scripta tuisque item
Musis, VTENHOVI carmina legimus.
Ni te Teutonici subtrahis oribus
O MORELLA *poëtæ,*
Aut semotior invides
Nostris luminibus lumina: fac tui
Spectandæ liceat, si pote, copiam
Impetrare, tuisque
Tandem colloquiis frui.
Si non dura geris pectora cautibus,
Si non difficilem dant aditum fores:
Hos ipsos rogo saltem
Ad dextram niveam lubens
Pervenisse sinas, simplicis evidens

Digitized by Google

Argumentum animi, non adeò malos
Versûs, quos meus ardor
Jucundis citharæ modis
Expreßit, Latij pectinis æmulos.
Ah quei dura fores, quam teneris piæ
Eduxere Camenæ,
Vatum numina, ab unguibus?
Ah quei dura fores, cui labra primitus
Mitis Leucothea, labra corallijs
Decertantia rubris,
Rivo lactifluo imbuit?
Ah quei dura fores, nectare cui ſcatens
Lenes lingua ſonos edit, Hymettio
Tinctos rore, favisque
Hyblæarum apium litos?
Quid multis moror? en ſponte ſuâ patet
Indivulſa bonæ janua gratiæ,
Et poſtes ab amico
Se gaudent venerarier.

AD ANNAM PALLANTIAM.

ECQVID ſub patrios Lares
Redux ab adſuetâ VTENHOVI *domo,*
O PALLANTIA, *doctis*
Invigilas Muſis, & amœniorum
Oblectamine carminum
Deducis ævum ſtrenua, nunc diem
Fallens, & modò noctem
Præcipitans inſomnis? Vt hoc utrumque
Ex te audire lubens velim!
Ne linque, amabo te, ſtudij ratum

Digitized by Google

Istiusce tenorem ;
Neu patere inceptis aliquid, quod obstet
Forsan, cursibus injici :
Velut ruentes sponte suâ obviam
In laudem arcta jugales
Frena retrorsum urgent, rapidoque vector
Dat sufflamina currui.
Natura præstans, arte valentior,
Te præclariter auxit
Dotibus excellentibus, ac Minerva
Concertare dedit catæ.
Huic tu palæstræ jam valediceres?
Non, non sic erit. Vltra
Quin jubeo te pergere, progredique
Quàm longè potes. Artium
Campus renatarum usque amat excoli.
Te verò decet, ANNA,
Tam celebri quod nomen adepta famâ es
Semper reddere clarius ;
Nam quo puella es nobilior domi,
Hoc illustrior atque
Splendidior virtus tua post cluebit.

AD CAMILLAM MORELLAM.

LIMPIDOS ab uberi
Scaturientes fontis amne rivos
Si quis inæstuanti
Heu viatori negitet, nonne magis magisque
Aridam negans sitim
Accendet ; ut quæ Tantalo appetenti,
Famque ferè bibenti,

Digitized by Google

Rursus a labris fugitat conscia lympha culpæ?
Hoc idem mihi hospiti
Celtarum in oris forte commoranti
Accideret, CAMILLA;
Si flagrans adsecla tui, quod tibi dulce pleno
Manat ore, nectaris
Privarer haustu, queisque per tot annos
Discupij irrigare
Corda, sermonum placidis abstraherer fluentis.
Ah resolve, amabo te,
Resolve labrorum illa eburna claustra,
Et sine delicatas
Melleæ venæ scatebras jugiter exsilire
Protenusque fundier;
Libare tantum quas pudenter optem,
Si (quid enim recuses?)
Prolui totis vetitum est. Numquam etenim remissâ
Mente conquievero,
MORELLA, *quin (quæ summa postulati est)*
Dulcibus Hippocrenes
Ex tuæ lymphis riguos eliciam liquores.
Euge suave corculum!
Euge o voluptas blanda Gratiarum!
O geniale mulsum!
Roscido fauces aperi sáccharе dulciores,
Atque floridissimum
Emitte succum, quem siticulosæ
Lambere apes Melissi
Gestiant, circùm alveolos murmure bombilanti
Stridulisque pinnulis
Densê volantes. Nil tibi est periculi:
Namque favi CAMILLA

Digitized by Google

Mille post ad te redient fenore cum ter amplo.
Interim satis tibi
Superque sit, si, quâ frui laboro,
Scripsero mellilinguem
In tuis Suadam labiis usque tenere sedem.

AD FRANCINAM.

FRANCINA, *Divarum ætherium genus,*
Quæ fronte rectâ conjugium IOVIS,
Bellis Minervam æquas ocellis,
Et roseis Venerem labellis;
Quid pro beato nunc tibi basio,
Jubente quod non ferre BAIFIO
Nobis recusasti, rependam?
Quid tibi retribuam merenti?
Vt illud ipsum nectareum osculum
Spes expetivit nulla, nec ad meum
Votum vel optatum venire
Mens mea tale aliquid cupivit;
Sic fortuito te mihi dante, eo
Jucundiusque & gratius accidit,
Quo pulchriorem te necesse est
Confitearque venustiorem.
At forte ne te pæniteat dati,
Hoc scito, nullam mi neque in Ausonum
Oris, neque in tellure Gallûm,
Quos iterum ecce adij, dedisse
Vnquam vel unum (juro ego) suavium.
O virgo, labias credito virgines
Libasse, nullis antè tactas
Feminei labij salivis.

Digitized by Google

Vates pudicis vatibus ac piis
Adscribor, & castum Aonij gregis
Frequento cœtum, queis perenni
Nomen honore tuum sacrabo,
FRANCINA; *ut ætas postera tam diu*
Miretur illud, quàm tibi carmina
Hæc nostra duratura verê
Auguro perpetuos in annos.

AD CAMILLAM MORELLAM.

TITAN *Erigonæ propinquiores*
Admorat radios, iubâ relictâ
Vapidâ Leonis rapidi;
Cum tua se dedérunt mihi limina
Perlibenter aperta, teque vultu
Et blandis facilem CAMILLA *verbis:*
Tetigique dextram, labiis
Mollibus osculandam; simul obtuli
Meæ primitias tibi Camenæ
Vates. grande etenim nefas putabam,
Sine debitis carminibus
Tam celebrem alloqui velle poëtriam.
Nam mentem subiit, fuisse moris
Hoc antiquitus, ut sacras Deorum
Aditurus ædes, aliquid
Muneris exhiberet, reverentiæ
Ergo, numinibusve numinumve
Signis. Tu Dea viva, tu Minervæ
Suboles, recepisse nihil
Frugis ab hocce cultore Heliconidum
Feraris? nihil aut tulisse honoris

Digitized by Google

Ab illo, tua qui perinde magni
Facit, hacque fecit tenus, ac
Post faciet pius numina, quàm diu
Vivet? Famque abiere, virgo, bini
Menses, dum nimium silentis altam
Taciturnitatem tacitâ
Mente fero; vocatam nihilo minus
Te sperans aliquando reddituram
Par pari, simul ac venustiores
Elegos amicum est tibi, vel
Hendecasyllabos scribere floridos,
Seu quocumque modo lubet sonoras
Increpare lyræ fides canendo.
Avidissimo certê equidem, o
Culta CAMILLA, *desiderio melos*
Exspecto geniale. Quid moraris
Cunctabunda? quid in dies & horas
Tua differens scripta meis
Auribus atque ocellis manibusque item
Subtrahis? quid maniter fatigas,
Suspensumve animum tenes hiantis?
Anime o fatigate morâ
Spem modo maximam concipe. Distulit
Respondere meis eo CAMILLA,
Compensaret ut hancce tarditatem
Locuplete penso, & modica
Uberioribus carmina versibus.

AD CLEREVANTIAS, TREM ET FILIAS.

SVRGIT *exortu novus ecce Titan,*

Candidas jani decorans calendas,
Luce Jucundâ faciente lætos
Rursus ocellos.
Qui recens stellis oritur secundis
Annus, eventum precor auspicatum
Proferat vobis, mea cura Nymphæ,
Non sine plausu.
Proximus felix eat; inde prosper
Tertius, quartusque dehinc; itemque
Quinctus, & quatquot volet ordinato
Volvere Parca
Stamine exactis iterata fusis
Pensa. Vos nunquam bona derelinquat
Faustitas: mentem sit habere sanam
Corpore sano.
Te tuus conjux CATHARINA *salvam*
Salvus offendat, reducem ad Penates
Regis ex aulâ proprios ubi illum
Fors cita sistet:
Sospites & vos GIDEONA *fratrem,*
Spem VIENNÆI *generis, reversum*
Sospitem ex Chattis, videatis almæ
Opto sorores.
Maior hinc natu niveam parentem,
Facta maturis genitrix beata
Nixibus, reddas aviam tenellæ
Pignore prolis:
LOI *tu sponso sociere pulchro,*
Virginum flos intemerate; tuque
In modum myrti generosa crescas
O AMARYLLI.
Summa quæ voti? nihil ut siniſtri

Accidat vobis vel inauſpicati.
Hæreat BOISSARDVS *in hac amicus*
Parte bonorum.

AD ROSINAM.

HÆC *labella, quæ rubebant pulchriora ipſis roſis,*
Punicæque flore mali, flammæo papavero,
Et purpurantibus corallis:
Hæc labella, ſuaviando vellicata centies;
Hæc labella, morſicatim baſiata millies,
Fragrantiora odore myrrhæ:
Febre nunc adflicta acutâ, & horrido (malum) gelu
Tota livent, tota pallent. Luror ipſa reddidit
Pallentiora frunde buxi.
Jam genarum honos, & omne evanuit circùm decus:
Jamque ocellorum albicantes hirquulos auriginis
Infecit heu crocus malignæ.
Me miſellum, qui tui ſic ora vultûs intuor!
Te miſellam, quæ levari mi nequis tanto malo,
ROSINA, *crux mea, & gravamen!*
Ah ſi acerba hæc ſuſtinenda pœna vênit, cur mihi
Suſtinenda potius illa non venire maluit?
Pro te ægritudinem tuliſſem,
Tot paroxyſmos ſubiviſſem. idque nunc faxim lubens,
Te modò iſtac liberatam peſte bella Sanitas
Reviſat, adferens ſalutem.
O bona adſis ſoſpitatrix, & meam tali illico
Fac puellam febre ſolvas: quam meo ipſe in corpore
Ni ferre ſentiam, dolorum
Me caterva vexet omnis, arguatque criminis,
Protuliſſe falſa. ſed tu lux mea, & vita o mea,

Digitized by Google

Me vera non negas loquutum.
Nam paratum sic habes me (quod quidem sæpe hactenus
Ipsa es experta) ut necessum si sit, & Fata urgeant,
Pro te haud mori uspiam recusem.

AD CAMILLAM MORELLAM.

VT silet, vocisque suæ sonorem
Abdit arguto Philomela cantu,
Donec adversæ glaciale brumæ
Fregerit algu
Veris adventus, spatioque tento
Creverint dies Zephyris aprici:
Sic diu quæ continuit, suæque
Plectra Thaleiæ
Distulit seras quasi muta in horas,
Virginum MORELLA *novem perennis*
Fama, jam novas reserente Jani
Luce Calendas,
Verticem & flammâ propiore nostrum
Sole tacturo, labra melle dulci
Pasta sesamoque, dehinc suâpte
Sponte resolvet.
Auribus voces bibulis amœnas
Hauriam curâ vigilantiore,
Quàm lyram Sapphûs teneræ canoram
Lesbia pubes
Audiit, Phaonve canentis ardor;
Aut Tanagrææ modulis Corinnæ
Favit applausor, criticusve censor
Sub Jove nudo.

Digitized by Google

Non ego importunus in hoc, ut ægrè
Aut tibi aut tuis faciam Camenis;
Admonens, tandem reseranda clausæ
Vincula linguæ,
Nec per ambages remoramque tantam
Esse suspendendum animum peten is,
Qui tuæ dignis Genium Minervæ
Provocat ausis.
Candidè tecum loquor, o CAMILLA:
Candidè mecum loquere ipsa contra, &
Pauculis desiderio flagrantem
Versibus exple.
Quanta enim fibris avidis cupido in-
Æstuet tuos numeros legendi,
Tutemi testis. cave nostra porrò
Vota moreris.

IN OBITVM PETRONILLÆ CAMPANICÆ, VXORIS IACOBI COMITIS MONGOMERII.

NYMPHÆ Mâtronides, vosque, propinquior
Sanguis Dearum Franciadum, Deæ
Primos trahentes stirpis ortûs
Lympharum a patre Sequanâ;
Adsitis, calidasque ubere lacrimas
Manate fletu, nec laceris genis
Comisque parcentes, nec ipsis
Crudo verbere cordibus.
Ecquæ funereum lex facere heu vetet
Lessum eiulantes? Inclita (proh dolor!)
Concessit Heroina fatis,

SVZÆI *comitis ſoror,*
Et MONGOMMERII *conjugium tori,*
CAMPANICÆ *flos atque decor domûs,*
Haud inter illuſtres locandæ
Poſtremâ ſerie loci.
Ah luges merito tam caput aureum
IACOBE, *Gallûm ab rege vetuſtior*
Origo deſcendens Gomêro.
Bis binas trieteridas
Tecum pacifico lux tua, quam gemis,
Vixit cubili; te cupidiſſimo
Amore ſemper proſequuta,
Quanto nec pia Julia
Pompeium, ſolidæ nec fidei memor
Alceſtis Admetum, aut teneræ viros
Lacænæ amarint, ceteræque
Matres, hiſtoricis libris
Auctorum veterum quàm celeberrimæ.
Gliſcente belli turbine civici,
Adverſa contempſit virili
Fortis mente pericula,
Præſtans magnanimæ corda viraginis;
Seque ipſa conſtantem inſuper arduis
In rebus, imperterritamque
Præbens quottidie magis.
Non illam Oceanus gurgite naufragro,
Non prædo in undis, non aliena humus
Deterruerunt; quin remotum
In longam usque Britanniam
Sectaretur, amans usque adeó tui:
Qualis refertur ſponte ſequuta vel
Hypſicratéa Mithridatem,

Vel

Vel rariſsima Lentulum
Virtus Sulpiciæ. Quid, quòd & ultimis
Oſtendit auſis, quam tibi fida, quàm
Pertæſa non eſſet laborum;
Prægnas cum properaret in
Hanc urbem, celeri vecta malè eſſedo,
Dijudicandæ ſollicitans rei
Proceſſum? ubi ſemeſtrem abortum,
Motu quaſſa uterum gravi,
Chirurgiùm medicis auxiliantium
Commiſit hei fruſtra artibus: unde ei
Fatalis intenta vit hora
Mortem, non ſine maximo
Plorantium gemitu, & numina præmodum
Crudelia unâ voce vocantium.
Heu ſortem acerbam, o PETRONILLA,
Sexûs feminei decus!
An non te potuit ſolvere noxio
Diana partu? non potuit Cypris
Succurrere ægræ, Cypridisve
Mater? non potuit Dea,
Cuius tu Genium atque ingenium catum
Referre noras? non opifex potens,
Scitusque Latóus medendi,
Inventor melicæ lyræ?
Nec Muſæ comites? Heu pudor omnibus
Vobis probrumque eſt, tam quòd amabilem,
Quòd tam pudicam, tamque caſtam
Et pulchram, atque adeó piam
Nymphen, Francigenas inter Amá Zonas
Excelſiori pectore præditam,
Paſſi eſtis o Divi perire:

Digitized by Google

Nam quæ gratia moribus
Et dictis inerat! quæ reverentia
Ad se trahenti quosque modestiæ!
Astris refulgentes ocelli,
Rubris ora coralliis
Certabant. Aderat rectior entheæ
Statura formæ: tum gravitas decens,
Et plena maiestatis altæ
Jucundissima comitas,
Mentes pelliciens ad studium sui
Verumque amorem; scilicet invicem
Sic temperata, ut nescias pol,
Vtra excelluerit magis.
En unquam melius labra loquentia
Audisse jures, sive disertius?
Suadæ medullam quippe dixes:
Tantum dædala mellei
Natura addiderat nectaris ádfatim
Linguæ. Fluebat sermo domesticus,
Scaturientis limpidum instar
Fontis, purus & integer,
Nullo luxurians laxius ambitu:
Id quod, soluto quæ numeris pede
Scripta exaravit, at ligato,
Testatum faciunt satis:
Ob quæ debet ei Gallia plurimum,
Dignæ profecto, cui tumulum optimi
Quique & Poëtæ rhythmicique
Ornent versibus aureis.
Nos saltim attigimus pauca; locum, ut decet,
Primum annuentes indigenis. tamen
Post fata qualicumque lætos

Digitized by Googl

Officio hoc fore credo Manes.

IN NVPTIAS IAQVELYNNÆ CHARRVÆ AVRELIANÆ.

IAQVELYNNA *Celticarum*
Flos decusque Naidum,
Pulcher quas Liger amnis
AVRELIÆ *pulchro in sinu*
Progenuit speciosiores;
Ades huc ades, tuumque
Intuere blandulis
Æstuanter ocellis
MAILLARDVM, *& ex Hymettiis*
Mellea verba refunde labris.
Tua forma cepit illum,
Cepit elegantia,
Et dulcedo loquellæ,
Morumque grata suavitas,
Et lepor ingenij decorus.
Viden' ut calore magno
Tostus ardeat? viden'
Impotentia flammâ
Cor eius ut sæva ustulet,
Æstus & interiorem ad ossa
Rapidè exedat medullam?
Digna es ipsa amarier:
Dignus is redamari.
MAILLARDE *gaude. lux tua, &*
Vita, pari calet igne amoris.
Veneris favor benignus,
Mutuisque nexibus

Digitized by Google

Muſarum Charitumque
Devincta utrinque gratia
Conciliavit opus jugale:
Opus ad quod æqua Juno
Colligandum adingerit
Lentæ vimina vitis,
Nec non glycyrrhizæ utilem
Virgam, ederamque tenaciorem.
Niveam Cupido ceſton
Matris implicat lubens,
Cingulum geniale:
Quo nupta primum innexa, fit
Athereis ſimilis Deabus.
Thalami ad fores pudici
Cantitate Adonides.
Hymen o Hymenæe;
Æquale par accopulas
Mitis Hymen, Hymenæe mitis.
JAQVELYNNA *amat maritum*
Caſto amore CLAVDIVM.
Hymen o Hymenæe;
Promitte patri filium
Comis Hymen, Hymenæe comis.
JAQVELYNNAM *amat maritam*
Puro amore CLAVDIVS.
Hymen o Hymenæe;
Promitte matri filiam
Dulcis Hymen, Hymenæe dulcis.

AD CATHARINAM PVISIAM CHAMEROLLIAM.

CVM lata noſtris ſemideæ parem
Greſſum intuliſti Nympha Penatibus,
Tuoque conſpectu ſereno
Exhilarare novem ſorores
Dignata es, ingenio CHAMEROLLIÆ
Decus propagis PVISIA; ne ſiem
Salvus, niſi altâ Nonacrimam
Fronte ſuperbam Atalantan eſſe
Præſtò putarim: quippe viraginem
Illam ſtaturæ magnificæ refers
Proceritate, & bellicoſam
Vertice Amazonio Camillam.
Te forma præſtans nobilium trium
Laudi Dearum, queis Paris addatus
Et cenſor & judex, adæquat:
Te gravior Tyriæ Eliſæ
Inceſſus ornat: te Charitum decor
Et gratioſam & reddit amabilem:
Te lingua facundam diſerto
Arguit eloquio, paremque
Pithûs, rigentes flexanimo ſono
Ducentis ornos, diraque marmora.
Adhæc (quod admirantur omnes)
Tanta pudicitiæ tibi usque
Eſt cura, pulchræ quanta nec Helchidi
Fuiſſe, nec caſtæ Icariotidi
Comperta quondam, quas ſacrâque in
Hiſtoriâ legis & profanâ

Digitized by Google

Celebriores. Sed pietas tua,
Verique cultus numinis, haud sinit
Te non honestatem verendam
Assiduê ante oculos habere:
In quâ jugalis quin thalami velis
Cara educandas pignera filias
Domo paternâ, quis negabit?
Præcipuê tibi LANCELOTVM,
Raræ puellum juppiter indolis
Verê institutum moribus aureis
Sanâque doctrinâ politum
Rite dabit CATHARINVS *ille*
DVLCIS, *loquellæ quem decorus lepos,*
Suavique manans pectore comitas,
Rerumque multarum per orbem
Cognitio, variæque linguæ
Hunc nacta, de caro optima filio
Promitte patri quæque. Adoleverit,
Vobis & illi haud pœnitendo
Reddiderit memor ore grates.

Digitized by Google

PAVLI MELISSI
SCHEDII FRANCI

MELICORVM
LIBER QVARTVS.

AD ELISABETHAM
ANGLIÆ REGINAM.

LEGISTI *numeris quas dedimus Pindaricis strophas:*
Legisti Melicon treis alios libros;
Quorum primus ELISA,
Magnorum inclita Cæsarum
Et Regum atque Ducum, quos celebro, numina continet,
Alter se Comitum nomine venditat,
Illustrique caterva
Clarorum anne alios virûm.
Castis virginibus tertia, nec non Heliconis
Consecrata vigil pagina feminis:
Inter quas tua virtus
Tanto splendidior nitet,
Quanto nobiliùs laude novâ promerita es decus,
Nymphis præ reliquis sic radians, uti
Stellis endo mutatis
Scintillante Venus face.
Quartus nunc sequitur cum sociis legitimo liber
Comprendens serien temporis ordine,
Annorumque juventæ;

Vt quemque Aonijs aquis,
Non Zytho cecini, vel Bromij potibus ebrius.
Namque & Nephalie ſobria ſobrio
Puram e fonte bibendam
Lympham Clitorio dedit,
Suadens indolis atque ingenij vim moderariet
Leni temperie. Quæ ruit impotus,
Ceu torrentibus undis
Spumas ſáxaque multa agens
Transalpinus Iſax præcipiti volvitur agmine,
Hæc oblita ſui ſæpius obvios
Intus vena liquores
Inconſultior eg gerit,
Buccæ quo vacuum cumque modo prompta repleverit,
Et vano ſtrepitûs obtuderit ſono
Conturbatior aures:
Qualem gutture ab improbo
Anſer clangit iners aërias per nebulas volans,
Cygnorum opprobrium ſuave canentium.
Tu REGINA *ſuſurris*
Sic adplaudito næniis,
Vt non tam numeres, quàm trutinâ, quæ cano, ponderes
Veſtras Auſonio carmina barbito
Divulgantia laudes,
Europæa per oppida
Non ſolùm celebres, verùm etiam (ſi Genius favet
Cœptis) perque Aſiam, perque Libyſtidis
Oræ tesqua, novique
Orbis multiplices plagas,
Famæ præpetibus remigiis, atque adeo omnium
Vatum judicio ſic memorabiles
Cuncta in ſæcla futuras,

Digitized by Google

Vt fauſtiſſima poſteri
Hæc, queis vivere te contigerit, tempora prædicent,
Ævi participes nonnihil aurei,
Adſcribentis Olympo
Te æternis graphiis Deam.

AD ITTACVM.

TANTIS *Amores me ſibi vinculis*
Accopulariunt, ut neque fortius
Cauti Prometheus, nec retortis
Arctius Andromedæ catenis
Sint alligati. num mihi Gordios
Impune nodos irreſolubiles
Ancep: Alexandri machæra
Diſcidio fragili reſolvat?
Conſtringe VOLFI *mutua valdius*
Hæc fibularum labra tenacium,
Hamoque circumda trilici
Brachia Amicitiæ fidelis.
Annecte firmos candide circulos;
Quales Olympi Jovæ domeſtici
Nec firmiores nec tenaces
Cardinibus magis applicavit,
Hinc te per altas ætheris orbitas
Sublimis infer, Mæonio pede
Momenta natalis diei
Pandere Francigenæ Meliſſo.
Te, quid figuris Zodiacus ferat
Obliquus, & vim noſcere ſiderum
Fixorum, & erronum meatûs,

Digitized by Google

Vranie docuit magiſtra .
Inſomne , dices , ut caput ignei
Draconis ortu ſurgat , & albuli
Horoſcopo ſit juncta Cycni
Cauda , viâ in liquidâ volantis :
Juxtâque apertas Pegaſus inferat
Sublimis alas ; Pegaſus , arduâ
Qui calce rupem verberanda
Aonias reſeravit undas .
Dices , ut Orphei Threïciæ lyræ
Stellam miniſtret Cypria dexteram ; &
Devexa præceps ima cæli
Occupet Oarion ; ſed alto
Victor triumphet Phillyrides polo ,
Senex ad anguem qui citharæ ſcieïis
Præceptor inſtruxit canentem
Æaciden. Referes , ut almo
Soli Veneſque & Mercurius comes
Sint inquilini Eudæmonis ædium ;
Quâ curvipoples limitatis
Ægoceros ſtabulat ſub antris .
Porrò minaces Falciferi manûs
Canes , ariſtam qui prope Virginis
Exſpicat : hinc Martem cruentum ,
Verberaque anguinei flagelli ;
Hoſtes profeſſos conjugialium .
At non omittes retrogradi Jovis
Robur , poteſtatemque Lunæ
Proſperiore loco micantis .
Tandem explicatas auguris in modum ,
Divine VOLFI, *ſortilegi vices*
Fatique Fortunæque quantum

Aſtra Deüsque ſinunt) recludes.
Divina fari verba tuum eſt : tuum eſt
Celſas in arces ſcandere. Lubricis
Vtcumque nos metimur aſtra
Viſibus, ab humiles videri.
In me ſupremi (ſentio) numinis
Prædeſtinato vis agit enthea :
Verùm ſupinato reclines
Mox eadem mihi tardat alas.
Fruſtra volatu Dædalon aſſequi
Tentaro : fruſtra Perſea finxero.
Fruſtra laborat præpeditus
Bellerophonta ſequi viator.

AD IOSEPHVM SGALLOERVM,

[illegible].

ENTE *nunc iterum meis ocellis*
Quantus quantus es, o propago Divûm,
Venerande IOSEPHE, *palam*
Exhibuit videndum per imaginem
Somni conciliator ipſe Morpheus,
Planê ut ſæpius antea. Ruebam
Manuum tenaci cubito
Adproperans in amplexum, & in oſculum
Feſtinus rapiebar appetitum.
Nunquam pol neque te uſpiam loçorum,
Neque ademulatam effigiem
Artifici intueri ſimilamine
Contigit mihi : juro, juro ſanctè.
Vnde ergo faciem tuam & ſtaturam
Mihi conſpicari licuit,

Digitized by Google

SCALIGER? *unde transmissa sub has meas*
Palpebras per inane, forma sese
Spectris insinuavit ipsa vivis?
Quid acumen adfers Sophiæ?
Næ, sit oportet ingens amor ille, amor
Absentem potis advocare amicum
Divinæ radio capace mentis.
Nimia illa cordis calidi
Fax, animique desiderium trahax;
Tum quæ nocte dièque ventilatam
Argutatio cogitatioque
Speciem modis mirificis
Format imaginando: peridoneum
Post, artûs requiete alente fessos,
Sensibusque oculisque præfigurat
Simulacra seu Peirithoi
Euryalive, seu Theseos optimi.
Sed jam crediderim satis superque
Illusisse mihi ista somniando.
Reliquum est, uti quàm cupido
Lumine viderim umbram similem tui,
Per phantasmata cæca contigendam;
Contra tam cupidè ipse membra aperti
Modò præbeas corporis his
Vultibus intuenda, o animæ duplo
Plus quàm dimidium meæ. Parumper
Præstolandum erit. at manûs negatas
Decimæque pensare moras
Messis amarit una illa diecula.

Digitized by Google

AD NICOLAVM CISNERVM, TRIBVNALIS IMP. ADSESSOREM.

SVAVIDICVM *resonis poscor melos integrare nervis,*
Seros in annos posteris canendum.
Huc ades o CISNERE. *lyram cape, candidumque mecum*
Virente crines pampino revinctus
Natalem celebra. ter & o quater invocemus altum
Musas novenas, Gratiasque trinas,
Sobria libando Rhenensia, Franculæve pressos
Vitis liquores, Nectharisve dona.
Cantemus pariter. viden' ut bona signa dent hianti
Lauri melódo, proximæque myrti?
Idibus Octobris Musæ, mea cura, Mantuanum
Videre natum primitus Maronem.
POSTHIVS *has Germersemius quoque, Gratiarum*
Ortu beato consecravit idûs. [*alumnus,*
Hunc, medicum & vatem finxit catus artium magister;
Illum, poëtam nemini secundum.
Ille vagum Tiberim tenuit fide Minciumque doctâ:
Hic (ecce!) Rhenum sistit atque Mænum.
Alter curam habuit culti gregis atque ruris: alter
Curat potentum sanitatem & hortos.
Condidit æternas chartas Maro: Posthio futuris
Æterna libris inchoata fama est.
Indelibatam Andinus sibi gloriam paravit:
Intacta laus & Posthium sequetur.
Suggere quod reliquum est, Phœbi decus o, poëticæque
CISNERE *turbæ fautor arbiterque.*
Ingrediens priscis rem laudibus, inclitam recenti
Virtute præco gloriam meretur.

Digitized by Google

AD IOANNEM HAGIVM FRANCVM.

De obitu Petri Lotichij Secundi.

IANE O SECVNDI *prime ſodalium;*
An fama pennæ verbere Noricos
Petivit agros, lugubremque
Mæſta obitum tibi nunciavit
Clari Poëtæ, plus oculis tuis
Subinde amati? Me prope nuncius
Funébris a Nicro huc profectus
Terrifico exanimavit ictu.
MÆNVS *ſtupeſcens attonito parem*
Nymphæque triſtes me, velut anteà,
Vix noſſe præ ſqualore dicunt:
Vsque adeò mihi luctuoſus
Eſt pectus angor. STYRMERIAS *genas*
Coram videres, óraque RVGERI,
Queicum hoſpitatus ſum; recenti
Vtraque pallidiora cerâ
Furare poſſes. Occidit, óccidit
Haud parva noſtræ gloria FRANCIÆ,
Flos ille vatum cultiorum,
LOTICHIVS, *Charitum voluptas,*
Leposque Muſarum, & nova Apollinis
Imago, noſtris vix modicos dies
Oſtenſa terris. Sicne linquis
Triſte ſolum, & petis aſtra? ſicne
SECVNDE *amicos deſeris, & ſecas*
Spem curtam amicorum? heu breve & irritum

Digitized by Google

Stamen vacillantum Dearum !
Heu subito cita fata casu !
Venisse me, messem ante modò unicam,
Ad MYRTILETI *mœnia, nec tuos*
Vidisse vultûs, o SECVNDE;
Nec sociam tetigisse dextram ?
Habere nullam abs te Schedium notam,
Nullum & characterа ingenuæ manûs ?
Ecquis Poëtarum recentum
Nunc Elegos canet, Eclogasve
Æquè elegantes ? quis pedis impares
Modos Phalæci ? Cui dabitur, bono
Æquare dignam posse versu
Phyllida, Callirhoënque pulchram,
Longoque amatam tempore Claudiam ?
Vt hoc præoptet quis, tamen anxium
Frustra laborem sumet, HAGI,
Sidera ni faveant aventi
Movere plectrum. quin sciet hoc idem,
Si promptiorem quis (sed enim boni
Nascuntur, haud fiunt, Poëtæ)
Possideat Genium Secundi.

AD CONRADVM DINNERVM ACRONIANVM.

ALVMNE *Musarum, decusque*
Patriæ, Suevæque gentis gloria
DINNERE, *Phœbi purpuratis*
Clarior surgentis ortu vultibus:
Tuo faventes en honori

Digitized by Google

Candido, lucem rogamus candidam,
Quotquot Meduſæis Poëtæ
Rivulis lavamus adſatim labra.
Plaudit tibi novem corona
Virginum, cum Gratiis decentibus.
Surgit tibi Latóus heros,
Frundibus comas revinctus laureis.
Nymphæ colentes uda ripæ
Fertilis fruteta gaudent Mænides.
Arridet usquequaque vernis
Collibus nitens amœnum apricitas.
Spargit rubente humum roſeto
TYNDARIS, *miſcetque lilia albula:*
Funditque olentes picta florum
Mater heic & floſculos & herbulas.
Ergo novâ DINNERE *macte*
Gloriâ, noſtro æqua conſultum duci
Adſcite, præsentis diei
Terminos ſignes lapillo candido;
Et delibutus adfluente
Gaudio læteris exſultim licet.
Sparten adeptus es cupitam.
Poſtumi contingat ut cuſtos tori
Pudica, nil minus ſtudeto;
Quo tibi reddatur illa pulchrior
Ornatiorque Sparta. Mundi
Sis herus licebit, audias item
Latê tyrannus; ipſa deſit
Pectori ſolatium mæſto ferens
Serena conjux: hercle mundus
Amplius nec mundus eſt, nec eſſe quit.

AD

AD [redacted] ANNEM POSTHIVM

QVONAM *iſta*, POSTHI, *Barbaries ferox*
Noſtræ occupavit Teutoniæplagas?
Quo prava conſuetudo ſævos
Inveteravit apud Cyclópas,
Vt nil in uſu ſit magè, quàm ſcyphis
Certare, & hauſtus ordine Bacchicos
Diesque noctesque integrare; &
Nobilium juvenum ſolutis
Verſantum in aulis non modò perdita
Lymphare ſumpto pectora toxico,
Verùm & frequentantem cathédras
Gymnaſiorum ubicumque cœtum?
Quocumque vertas lumina, nuſpiam
Potu vacabis. Peſtis in omnibus
Hæc regnat antris angulisque,
Sponte recepta, & amata, & ulnis
Ambabus amplexata libentius,
Quàm vita frugi & ſobria. Fluctuum
Levere citius ſpumeorum,
Prenſus in undiſonis procellis,
Turbante Santonica æquora Circio;
Quàm libereris turbine adóbrutus
Bacchantum oborto, gurgitumque
Ingluvie violentiorum.
Probroſa labes hæc, ſceleris rea,
Pro liberali ſe mihi venditet
Virtute, POSTHI; *nobilisque*
Nomen Amicitiæ tuendum

Digitized by Google

Ementiatur? Mitto Académias,
Quas ceu popinas visere publicas
Plerosque cernis combibones:
Mitto, licent quibus omnia, aulas
Culpatiores. nam mihi nulla adhuc
Censura morum credita, nec fides
Commissa legum sanctionis.
Quis studium est veteres Poëtas
Velle æmulari, carminaque inclitis
Jugare nervis; hos ego crebrius
(Proh crimen!) insanâ furentes
Ebrietate madere miror.
His vulgus applausum & nova gloriæ
Præconia addit, sint quasi nonnihil,
Totamque tales Hippocrénen
Imbiberint gumiæ atque ventres.
Fontes Camenarum, ubere limpidum
Venâ scatentes, jugiter irrigant
Bonis Poëtis sobriisque
Corda animumque vigentiorem,
Non ructuosis hisce gulonibus,
Siccare natis dolia, & infimas
Valenter exanclare fæces,
Non sine pernicie juventæ.
Ne forsan horum par alicui puter,
Existimanti Téutonas ebrios
Audire ad unum omnes vel esse:
Plurima pars ut opinionem
Hanc (exterarum intellige gentium
Cives honestos) mente ita fixit, ut
Vix credat aliter: provideto
Mi Pylade, & mea vindicato

A criminosis nomina vocibus.
Quippe ebriosos exsecror oppidò, &
Quos nunquam amavi, semper odi;
Quique odio mihi, nunquam amabo.

AD FONTES FRANCIÆ.

LIMPIDI *fontes, & amœna pulchris*
Fontium rivis loca, vosque Nymphæ,
Queis decem totos mihi nunc carendum
Amplius annos:
Ah siti vestros quoties anhelâ
Pressus optavi gelidos liquores,
Obvius possem quibus aridas re-
Stinguere fauces!
Jam sed heu multo magis acriusque
Tam salutares avidis petisso
Haustibus lymphas, peregrinus Hunnûm
Miles in oris:
Cæsarem Thraces meditantem in hostes
Arma, dum Martis studio sequutus,
Igneos sævi tolerare cogor
Sideris æstûs.
Quàm velim molli recubare in umbrâ,
Quâ citis STRÆON *sonat uber undis,*
Frondeas inter corylos, virentes
Inter & alnos!
Consitos lætis patrios viderem
Vitibus colles, Cererisque campos
Fertiles, hortosque sacros, & antrum
Fontis aviti.
Heic ego evitans medio sub æstu

Digitized by Google

Fervidos Solis radios & ignes,
Amne mersarem gelido calentes
Corporis artus.
Interim (nam vos mihi denegatur
Cernere) o fontes, o amœna pulchris
Fontium rivis loca, vosque casto
Pectore Nymphæ
Millies salvete mihi. Perennes
Sint aquæ vobis, viridesque semper
Populi densâ corylique ripas
Frunde coronent.
Post gravis belli varios labores,
Post vices duras miseramque sortem,
Dulce post longos meminisse casûs
Ante malorum.

AD VICTORINVM STRIGELIVM.

QVI primus a suavitate, cen jocans,
Gentem vocavit Suevicam,
Musis amicus hic comesque Gratiis,
Carusque Cypridi fuit:
Hoc nemo quisquam nec venustius, nec est
Locutus unquam verius.
Tacebo comes, melleas, adfabiles
Matrum puellas gaudia;
Quas aut Nicer formosus, aut pulcher Lycus
Nymphis creatas blandulis
Eduxit. unum te, STRIGELI candide,
Vel millium ponam loco:
Nil quippe suavius, nihil te mitius

Vidi, nihil jucundius.
Perennis instar fluminis facundia
Linguæ diserta profluit,
Quod fert Hymettus melle dulci dulcior,
Imbrique puro nectaris.
Suade medulla tu decusque gymnasi,
Tuæque flos es Suevie.
Quis me furorum submovens Phœbi choro
Ad arma concitat fera,
Tubas ut inter Martiumque classicum
Nudo rigescam sub Jove:
Quâ flavus Istri brachium latum Arrhabon
Subit recurvis flexibus?
Ne dulce te coram loquentem audire, ne
Vultûs idemtidem tuos
Spectare malim, & usque perfrui invicem
Consortione mutuâ;
Senique pariter deditus Camerario,
Tiliæ sub umbrosæ comis
Sedens in herbâ, musicis Elystrium
Mulcere flumen cantibus.
Frustra ah dolemus. Quod nequit mutarier
Fatum necesse est perferam.

AD RHENVM FL. GERMANIÆ.

RHENE, *Nympharum pater, amniumque*
Rex, quot Almanis dominantur oris;
Sic suas Mænus tibi, sic Mosella
Misceat undas:
Pone turgentes age pone fluctûs;

Digitized by Google

Mitte conceptas volenter iras,
Meque vectoresque bonos phaselo
Devehe salvo.
Mens Agrippinis avet appulisse
Finibus, cyclique modo secundum
Litora extentam locupletis urbis
Visere molem.
Ipse fecundis gravidos racemis
Palmites, frugesque novas, & hortos
Fructibus fetos, nemorumque silvas
Carmine dicam.
Splendidas urbes quoque cum beatis
Villulis, arcesque jugis in altis,
Et juga & valles, scatebrasque vivo
Fonte fluentes
Concinam. DRVSI *veterem colossum, &*
Teutoni Mavortis & Æsculápi
Fana cum castris, Vbiorum & aram
Nullus omittam.
Hinc Palatinos proceres ducesque
Lesbiis pandet fidibus Thaleia,
Francicâ regum fuerint ut olim
Stirpe creati.
Audiat voces melici Melissi
Colloquens antra genitiva Diva:
Aura tangendas resono sonore
Verberet aures.
Te sed in primis cano; RHENE *felix,*
Quemque, curarum gravium levamen,
Educas ripâ laticem Lyæum
Dives utrâque.
Bacchus hos montes amat, hosce colles,

Digitized by Google

Bacchus has valles colit, hasce ripas:
Bacchus heic Aram sibi consecravit
Perpete ritu.
Subjicit versûs liquor hic poëtis,
Musicis canûs. Cereris valete
Cœtta. tu vatis memor, i perenni
RHENE *meatu.*

AD IOAN. POSTHVM.

MAGNVM *iter emensi nuper ab ultimis*
Bellicosorum finibus Hungarûm,
Vbi prima militando
Rudimenta peregimus;
Pannoniâ a tergo, & Bavariæ plagis,
Et Lyco pulchræ flumine Suevia,
Nemetumque agris relictis,
Sublabente Coloniam
Cum sociis privâ nave tetendimus.
Inde per munita oppida Belgicæ
Iter institutum agentes,
Cæruli vada Sequanæ
Contigimus, lætamque amne Lutetiam.
Heic salutares accidit invicem,
Fideique pectorisque
Testes, jungere dexteras.
Famque animus, POSTHI, *fert Ligerim prope*
Spumeum cursûs vertere, & Auream.
Citò patriam AVDEBERTI
FLORENTISque *avibus bonis*
Visere: queis vatum sacra recentium
Turba divinos pro meritis litans

Digitized by Google

Memor, ut pium est, honores
Dextrâ Pallade deferet.
At mala quas cornix augur ab æsculo
Dictitat voces? sæva ea non bona est.
Viden' ut ferens ab aris
Spinturnix amet ádsitum
Tollere carbonem? Quàm metuo, brevi
Ne per adversas urbibus heu manûs
Furiosa portet atrox
Mars incendia Galliæ:
Ipsa ruent bello fana, ruent domûs:
Occident fortes, occidet inclitus
Vtriusque flos cohortis,
Multis non sine cladibus.
Ah potius causam pacis, & otium
Posce tranquillum turbida natio,
Et ab inquiete turmâ
Dehortare salubribus
Consiliis regem. Nulla salus, fides
Nulla Gradivo. Tu pete Belgium,
Et ibi morare POSTHI.
Antuerpia jam tibi
Hospitium certum præparat. Inde erit
Vt pedem Eoæ Francidi credúas:
Tibi quippe destinatos
Illic MÆNVS *habet Lares.*

~~AD GEORGEM BVCHANA-~~
~~NVM.~~

TE *sive chordis Pindaricæ lyræ, aut*
Horatianum tendere barbiton

Miratur Euterpe, canoram
Scita movere chelyn sororum;
Seute Maronis grandisonâ tubâ
Laudes canendo cælicolæ patris
Stupet triumphantem, graueisque
Mæonidæ numeros tonantem:
Palmam, virorum præmia fortium
Contentiosis digna laboribus,
Concedat ultro jam necesse est
Emeritis tibi, BVCHANANE.
Quàm VIDA *docti lumina sæculi*
Vicit poëtas carminibus piis;
Tam plectra VIDÆ *ceterosque*
Tam potis es superare vates.
Quòd si Camenis inferior tuis
Est nostra Clio, debilis assequi
Sublimitates, verticosi
Cui minitant juga celsa Pindi;
Musæ mementò dona bifariam
Divisa. nam quę multiplici sono
Natura pangendos ab arte
Harmonicâ docuit canores.
His Rhenus, his & pérstrepit Ister; his
Et Albis, his & tu reboas Sala:
Hos Mænus audit, Nicrus audit:
Hos & amant mea cura Nymphæ.
Compacta virtus fortior in tuâ
Exsistit unâ. tu decus orbis ad,
Vatum [illegible] BVCHANANE, *&*
Sol SCOTIÆ, *genitalis oræ.*
Certare Soli sidera nulla sint
Ausura, quamvis splendida maximè;

Digitized by Google

Nedum verecundæ Meliſſus
Franciados nigricans ocellus.

AD FRANCISCVM PORTVM ET THEODORVM CYSSAM.

ANNVAM *quisquis revolutionem*
Siderum, cursûsque notat perennes
Solis, & Lunæ vaga menſtruali
Cornua motu:
Tempus ut metis eat ordinatâ
Lege præſcriptis, vicibusque certis
Mutui norint & hiems & æſtus
Fœdera pacti:
Nonne divinum ſapientis æquum eſt
Mentis admiretur opus, ſimulque
Cogitet, quàm ſit brevis imminuti
Terminus ævi?
Vita caſuro ſimilis liguſtro,
Vita labentis fugit inſtar undæ:
Mors rapax, horam properans, ahenâ
Falce propinquat.
Dum tamen leti memor adfuturi
Rite natalem celebrabo lucem,
Debitor vitæ, Jove quam volente,
Cælitus hauſi:
Huc ades quæſo Theodore CYSSA,
Triſtibusque ægris animum ſolutus,
Mitte commiſſo tibi mitte paullum
Pro grege curas.
Tuque non frontem tetricam Catonis
More, ſed vultûs hilares reſumens

Digitized by Google

PORTE, *Graiorum tragicùm ſeveros*
Linque cothurnos.
Haud quidem vobis dubia eſt parata
Cœna, frugali ſed opima victu:
Mulſa ſi deerunt, tamen acquieſcet
Æqua voluntas.

AD HIERONYMVM WOLFIVM.

HIEMS *recedit algida;*
Ver appropinquat, ora
Dulci tepore proferens,
Optata floribuſque
Volucribuſque blandulis:
Et tu ſevere WOLFI
Nondum ſenectæ pondere
Eo grauatus usque,
Vt occubantem triſtibus
Mors obruat tenébris;
Vitale lumen nuncias
Jam iamque deſerendum?
Quin vive, vive, donicum
Tuo prius Meliſſo
Incídat Atropi manus
Abrupta fila, cumque
Filis colum. Non, non tibi
Vmbras nigras timendum
Atrasve Tartari domos;
Convexa ſéd Tonantis
Rotatili volumina
Speres videre motu
Poſt fata. Ceterum prius

Digitized by Google

Quàm te locet ſupremo
Perennis immortalitas
Cælo ; fac o bibendos
Fontes olori des meo ,
Quos Pegaſi refódit
Subcalcitrantis ungula ;
Isdemque , dum nitet ver ,
Junonias riges roſas .
Sic te meüs volatu
Pernice ſevectum CYCNVS
In alta (quâ fluente
Iter renidet lacteüm
Liquore) tollat aſtra :
Sic usque lirino comæ
Tibi fragrent inunctæ.

AD PERVM ENOCVM.

SI certamina Marte ſingulari
PETRE vis inire mecum ;
Fac congrediare , quandocumque
Tibi collibebit .
Vtrumcumque probâris eligendum ,
Neque velitationes
Leves , neque dimicationum
Gravium recuſem
Pugnam . ſed vereor , Latina ne non
Satis apta Gallicanis
Sint arma . pares utrumque ſanè
Melius decerent
Inſtructûs: tamen experire quidquid
Potes ; aleâque jactâ

Sortis geminæ, reduplicatas
Age prome vires:
Nervós tende, manûs pedesque firma,
Animosque semigræcos
Fortis simula, quibus resistas
Equiti Latino.
Ut bis, ter, PETRE *Celticis ovatis*
Potiare victor armis:
Plures mihi Teutona arma tandem
Parient triumphos.

AD IOAN. CRATONEM CRAFTHEMIVM.

AMABO, *mi dulcis* CRATO,
Cur insignia nolim
Mea decorari carmine,
Aut præconia nostro
Doctissimorum sæculo
Acceptare virorum?
Si Ferdinandus Caroli
Frater Cæsaris, & iam
Tum Cæsar ipse, laureâ
Me donare coronâ
Equestribusque censuit
Claræ nobilitatis
Insignibus, dignum suâ
Maiestate futurum
Opus; probante Cæsaris
Mentem consiliumque
Toto senatu iudicum:
Non est quod sibi turpe

Quisquam putet, vel se & suis
Indignum, celebrare
Cygnum meüm cum liliis,
Munus Cæsaris ingens.
Ferunt Alexandrum ducem
A solo nisi pingi
Apelle, & a solo nisi
Lysippo sua fingi
Simulacra noluisse: sic
(Nam Cres me quoque Portus
Regem poëtarum facit)
Non hæc lilia cuivis,
Nec hic olor meüs volo
Describatur; at illis
Solùm viris, qui temporis
Nostri sunt decus. Inter
Hos quum locarim te CRATO;
Aegrê ferre videris:
Quod dum facis, non jam meo
Adversaris honori,
Tuis sed obstas laudibus.
Nam ponique legique
Doctissimos inter viros,
Certê maxima laus est.

AD OBERTVM GIPHANIVM IC.

IMPROVISA *Ducum fata cadentium,*
Insontesque animas immerito truci
Lethatas nece flentem
Multis non sine questulis,

Digitized by Google

Cur OBERTE *jubes luctisonam chelyn*
Me suspendere? cur parcerè lacrimis?
Non me caute Niphátes,
Nec Tauri juga saxea,
Horrens nec genuit vertice Caucasus;
Sed mater, Salici filia fluminis,
Quæ Germanida Francen
Agnoscit patriæ sinum.
Heu! plenos oculis fudimus uvidis
Fontes, tot scatebris largiter uberes;
Vt te MÆNE *fluentis*
Exundantibus auxerint.
Mirans alluviem Rhenus & impetum
Horret: Neccharicæ Naïades stupent,
Et quas ripa Mosellæ
Tristeis elicit alveo
Nymphas. Haud erit, ut mens hilari joco
Frontem mæstitiæ nubibus obsitam
Exporrecta serenet:
Vultum fingere Protei est.
Lætos læta juvant. cur aloë favos,
Cur absinthia (vah!) loton amáricent!
Dic FALCONIS *habenti*
Nomen, Cecropiis fides
Aptet carminibus, tam citharæ sciens,
Ipsæ Mæoniæ quàm bene virgines.
Quo dicente, GIPHANI,
Dulcis gaudia lectuli,
Ad cælum lepido sponsa vocabitur
Versu, suave animæ delicium tuæ:
Totam se quia gaudet
Consecrare Thalasio.

Digitized by Google

Mater tediferûm dia Cupidinum,
Trino dispositis ordine Gratiis,
Myrtataeque Napaeae
Ductabunt agileis choros.
Applaudet Dryadum gyrus amabilis,
Et quanta est juvenum turba procantium:
Ipse expers Hymenaei
Abstrusos recolam specûs,
Deplorans miserae funera Galliae.
Nam nec nobilium me fieri puto
Vatum, nec meâ cedris
Insculpent metra posteri.
At vobis subolem sufficiat novam
Heredem patriy Cypria nominis:
Forsan me sine prole
Sors vult luctibus immori.
Vt CHRISTO *placitum, sic volupe est mihi,*
Pressum cura licet tundat acerbior:
Illo dulce volente est
Vitae claudere terminum.

~~AD VLSONEM DONELLVM IC.~~

RERVM *universi dædalus artifex,*
Quum ceterorum gens animantium
Demissa terram spectet imam,
Os homini dedit elevatum
DÖNELLE. *Rectos hinc oculos jubet*
Illum, sequaces luminis, arduam
Fidenter arrectos in aethram
Tollere caelicolae parentis.
Mortalium pars ah quota lucidas

Sphaerae

Digitized by Google

Sphæræ petißit ſtelliferæ vias?
Plures ſequendi proniores
Triſte chaos Stygiamve lamam.
Telluræ fibras ipſe quidem ſatas
Compagis in te corporeæ geris;
Mentem propagatam ſupernè
Spiritus ad ſuperos reducit.
Idem ſoporis nocte pigerrimi
Claræ fugatâ ſidere lampadis,
Spißis ab umbrarum tenébris
Me reſidem vigil excitavit,
Dias aperturum ætheris orbitas;
Prægeſtientes queis animæ piæ
Vehantur, ad ſedes beatas
Vranie duce deſtinatæ.
Aſtræa juſti propoſiti tenax
Solam relictam Spem viduæ modo
Orbæve pupillæ reviſens,
Cardine lapſa poli ſupremo
Jus, æquitatem, conſilium, fidem
Secum faventi numine rettulit:
Regnis gubernandis forenſi
Cum trutinâ Themis alma præſto eſt.
Sanctas Jehovæ quis modò filias
Suſpectat, ut par eſt? quis amabiles
Divas honorat? quis receptis
Hoſpitium ſociale præbet?
Supiniores ad bona ceu ſumus
Tutanda, priſci quàm fuerant avi;
Sic nequiores invenimur
Ad mala quæque (nefas) patrandum.
Virtutis altæ degeneres patrum,

Digitized by Google

DONELLE, *fraudem fraude, dolis dolos,*
Et criminosis probra probris,
Et scelere scelus aggeramus:
Quondam bimembres sic, genus impium,
Montem feruntur monte, jugis juga
Imposita moliti Gigantes
Accumulare, Jovem perosi.
Binis Cyclopum turba sororibus
Genas cruentis, & laceris comas,
Non lumen exorbare tantum est
Ausa furens, animam sed ipsam.
Germana tellus exsilij memor,
Nec plurimarum nescia cædium,
Amanter extorres benigno
Auxilio juvat indigenteis.
In te recumbens Spes, HVGO, *firmiter*
Fiduciam non exiguam fovet,
Astræan adsertam patrono
Atque Themin fore vindicatam.
Macte ergo votis: adsere vindicans
Exterminatas. Te mihi præmio
Illæ remactassint, ut inter
Astra recens oriaris astrum.

AD OBERTVM GIPHANIVM.

ATTICAS *noctes nimis arcta furvis*
Jam diu sub Cimmerian tenébris
Arca detentas rigido, GIPHANI,
Carcere clausit.
Credulam frustra per opinionem
Foveram spes, ambiguas futuri:

Digitized by Google

Liberas fruſtra fore deſtinaram
Compede vinctas.
Qualis, aſtrorum duce noctilucâ
Menſtruos gyrante globos, eburnâ
Futilis párens fore ſomniorum
Ludit imago:
Haud ſecus vanis taciti involúcri
Hactenus mentes avidas figuris
Noctium Phœbo gravis Atticarum
Vmbra fefellit.
Non eas Ariſtophanis lucerna,
Non eas pernox oleüm Cleanthis,
Non eas privâ pote luce quisquam
Reddere claras.
Allaborandum fuit, expetitum
Ne jubar fixis radiis abeſſet,
Cuius obſcuræ nitor atra nubis
Vela fugaret.
Ecce præluſtris face luminosâ
Blanditer fulget tibi viva Lampas,
Invidæ Lethes metuens Avernis
Stinguier undis:
Lampas, Auroræ ſimilis rubenti,
Vt ſerenati reſerans Olympi
Limen, Eoos micat antè Solis
Pulchra jugales.
Illa nimirum thalamis pudicis
Defuit, quâ tûte carens, carere &
Nos coëgiſti tot Agellianis
Noctibus annos.
Lucubra cum Luce tuâ GIPHANI;
Roſcidum liba mel, apicularum

Digitized by Google

Rore tam præstans mage, quàm liquenti
Sacchara mulso.
Hanc dehinc Zonas cupidê solutam,
Carceris longi forulis reclusis,
Ire cernemus gravidæ solutum
Vincula capsæ.
Protinus nuptæque tibîque lætum
Hunc favens Lucina diem videndi
Copiam, nobisque tuis, precamur
Rite ministret.
Vnico partu simul Atticarum
Noctium dici pater atque prolis
Masculæ condignus (io!) merebis,
Non sine plausu.

AD IOAN. LAVTERBACHIVM P. L.

SVAVIAM *tuam suavissimam,*
Suaviam tuam dulcissimiam,
Suaviam tuam castissimam
Pro salute nunciatâ
Suaviarer uno suavio,
Osculare obvio osculo,
Basiarem amico basio;
Mos sed ista, lex sed ista
Improbat vetatque: nec licent
Quæ libent. nec hercle tu finis;
Quin nec ipsa, ut id sinas, sinit.
Musa factitet necesse est.
Si negabis hoc Musæ meæ,
Si negabit hoc & Suavia;
Quod negas, & uxor quod negat,

Ipſe factites oportet.
Ergo quo poëta ſuavior,
Quo poëta JANE *es dulcior*
Caſtiorque; eo tu ſuaviis
Oſculisque baſiisque
Suaviare ſuavioribus,
Oſculare dulcioribus,
Baſiaque caſtioribus
Pro ſalute nunciatâ
Suaviam tuam caſtiſſimam,
Suaviam tuam dulciſſimam,
Suaviam tuam ſuaviſſimam.
Hoc erit ſatis Meliſſo.

AD IANVM IACOBVM BOISSARDVM, VESONTINVM.

ANTIQVITATES, *quas peramplâ Romuli*
In urbe miramur, tuâ
BOISSARDE *pridem dexterâ, haud gravi ſine*
Labore pictas, tam diu
Latére privis ecquid ab in ſcriniis;
Ecquid tot annis obſitas
Senére perfers? ede tandem, amabo te,
Et has tuosque Cæſares
Spirante factos e metallo vividos.
Prodeſſe nati, plurimis
Proſimus, haud amiculis ſolummodo.
Non Imperator hic recens
(Vt liberalis eſt) vetuſtis ceſſerit
Penſans labores Regibus.
Auro coronet ille, juſtis præmiis,

Digitized by Google

Tuam remunerans manum :
Lauro decoras ipse (namque hac dignus es)
Tibi renodabo comas .
Addam corymbos myrteasque bacculas ;
Auctorque posteris ero ,
Laudes ut æternante versûs hos tuo
Scalpant honori in marmore .

VATIQVE PICTORIQVE SOLLERTISSIMO,
MVSIS AMICO ET GRATIIS,
PERENNE BOISSARDO SVPERSTITI, DATVM
VIX QVALE CONSTAT MORTVIS,
MERCEDIS ERGO COLLOCANDVM MARMOR HOC
ÆTERNA FAMA CENSVIT.

AD IOACHIMVM CAMERARIVM PABEPFRONEM.

LAVDIBVS merces alij Sabæas
Aut Erythræos celebrent lapillos ,
Quidquid & mittunt pretiosioris
Seres & Indi .
Hi Phrygum mirentur opes , at illis
Aureæ mentes hilarent arenæ ,
Quas Tagus Gangesve suo beati
Flumine volvunt .
Scilicet cordi mihi sunt eruntque ,
Quàm diu terris mea vita duret ,
Rara Thesauri monumenta Graci ,
Gaza perennis .

Digitized by Google

Bis, ter, o lucem JOACHIME *fauſtam,*
Tale quâ primùm STEPHANI *Minerva*
Mente complexum dare cogitavit
Provida donum!
At diem multo cano fauſtiorem,
Quo cothurnatis dedit ecce magnas
Has opes Muſis Academiarum
Vsque fruendas.
Illius (ſeu lux foret orta, ſeu nox)
Queislibet prodeſſe ſimul ſtudentis
Nec manus nec mens operâ, nec ullo
Victa labore eſt:
Donec indagata modò heic, modò illic,
Mille Graiorum loca pervagando,
Quaque luſtrarit radio ſagaci
Florida Tempe.
Vnde ſelectos genuinum ad unguem
Surculos, ſtirpesque feraciores,
Et ſeri plantas dociles, ad iſtos
Tranſtulit usûs.
Ceu vigil gnavis operatus agris,
Arborum natâ ſerie, colonus
Educaturas bona ponit almas
Cretica vites:
Aut Ariſtæos veluti per hortos
Chloris, herbarum ſtudioſa cultrix,
Areis parcit niſi fructuoſum
Condere ſemen.
Sic nec heic lappæ tribulive ſurgunt;
Non filix aut ruſcus iners, & aſpri
Pullulant vepres, ſterilis nec usquam

Digitized by Google

Regnat avena.
Cardui runcata seges. videre est
Heic nihil senti, lolio resecto:
Vlla nec caulem scit originemve
Barbara radix:
Si qua laus tætrâ caruisse labe;
Si decus nullis scatuisse mendis,
Qualium libros prope constat omneis
Esse refertos.
Tûte quod cernens, JOACHIME, nosti
Millibus longê melius trecentis,
Atticê doctis simul & Latinê,
Arte magistrâ.
Ecquis ab, tantas quibus auctor hasce
Consecrat gazas, minus esse gratus
Certet? ut par est, sua non negentur
Præmia doctis.

AD SEBASTIANVM SCHEFFERVM.

QVAM *diu tuam*
Agnellulam
SCHEFFERE *deseres,*
Expositam rabidis luporum
Dentibus? velut
Occelluli
Pupilla lucida
Tegmine protegitur reducto;
Non secus tibi
Carissimam
(Ni forsan oderis)

Debueras manibus tueri
Pastor impigris.
Sed hanc puto
Curæ parentium,
Dum redeas, bene credidisti.
Quin recurre, quin
Retro vola,
Et cum misellulâ
Turturis instar agente vitam
Solitariam,
Ingratiis
Osorum & hostium
Lætus ini thalamum jugalem.
Namque te suum
ESTREE *manet*
Pudica comparem,
Sub tiliæ viridante ramo:
Quâ canens, piis
Musis sacer,
STRASBVRGVS *invidas*
Carmine sistit aquas Elystri.
Det tibi Deiis,
Quod expetis:
Idemque det tuæ,
Ipsa quod ante alias meretur
Virgines. Satis
In exteris
Moratus es locis:
I, patriam pede vise fausto.

Digitized by Google

IN NVPTIAS STEPHANI NEVDORFERI NORIBERGENSIS.

SIQVIS venuſtam conjugem vir nactus eſt,
Et dote caſtâ divitem;
Huic margaritas & lapillos Indicos,
Rubrique baccas æquoris
Præferre nolim, nec Midæ magnas opes,
Gazasve Cræſi Lydias.
Talis benignê dexteri ſolo Dei
Donatur uxor munere
Deüm verenti. quippe caſus haud eam
Nec fortuita ſors dabit.
Certê ſupremus omnium multâ viro
Orandus eſt pater prece,
Quicumque fidam vult apiſci conjugem,
Pudore caſto præditam.
O te beatum ter quaterque & amplius
STEPHANE, ſacratarum decus
Legum; pudico quem BEATRIX pectore,
Fidelis & decens tori
Conſors, amoris æſtuantem mutuo
Flagrans maritum diligit
Igni; nec (unum præter) ullos diſcupit
Lusûs Dionæ noſcere.
Ætatis hæc in flore, vitis in modum
Plenis racemis turgidæ,
Fecunda ſimilem compari prolem ſuo
Progignat, auctа fetibus.
Quales in auras hortus educit ferax
Novos olivæ termites;

Digitized by Google

Mensam coronent pulchra lecti pignora,
Mater decóre ornet domum,
Lis saeva, turpis ira, & acre jurgium
Procul fugata hinc exsulent.
Pax mitis, æqua mens, soror Concordiæ
Regnent timore liberæ;
Timore vano, qui siniſtri vel mali
Quid suspicetur perperam.
Auras Cythéris entheas adflet, meros
Spirent amòres Gratiæ.
Adversitatum si tamen quid óbstrepat,
Quas fert procellosus Notus,
Alive rigidis Eurus, has lenes statim
Remolliant Favonij.
Tranquilliore sic amantes Cypriam
Sistatis in portu ratem.

AD PETRVM RONSARDVM VINDOCINVM.

NON *Galla tantùm, scita gravis soni,*
Te patriorum litora fluminum,
RONSARDE, *claræ personantem*
Pectinibus citharæ stupescunt:
MÆNVS *refusis Franciacus vadis,*
Me musico, odas cornibus ad tuas
Sollerter elatis serenam
Attonitâ bibit aure vocem.
Ipsos videres Tubaron & Salim
Mæno influentes, hunc pede dextero,
Illum siniſtro, vitrearum
Sistere curriculum sororum.

Sic ad ſonores Iſmariæ fidis
Hebrum reflexis amne ferunt aquis
Stetiſſe, miratosque voces
Strymona Threïciumque Neſtum
Symphoniarum. Quàm fuerant prius
Nymphæ poëtas indigenæ ſacros
Et Celtin Huttenumque, & ipſum
Lotichium quoque proſequutæ
Philtris amantes; tam philoteſiis
Te demereri dulcibus exterâ
Quamvis in orâ procreatum,
Francigenam tamen, usque quærunt:
Matuta pulchro ſeu rubra Phoſphoro,
Seu Veſperugo Solis equis comes,
Lucem diebus, noctibusve
Invehat umbriferas tenébras.
Tuum cavarum margine vallium,
Et frondeorum vertice collium
Nomen ſuſurrantes, adurunt
Tura tibi, tibi vota ſolvunt.
Te præter omnes, inclitè, principem
Solum poëtarum indigitant: ad hæc
Patrem Camenarum fatentur;
Stirpis & Hectoreæ architectum
Gaudens ſalutat FRANCIA *nobilis,*
Secura clauſis Hercynij jugij
Silvis: honorem ſaltuoſus
Pinifer ingeminat triumphi.
Quid multa? cantor Franca per oppida
Oblivionem carminibus tuis
Defendo, Germanos docere
Callidus inſolitum canorem.

Non uſitatis dum ferimur viis
Priſci ſequentium tramitis orbitas,
Veſtigiorum nie recentum
Indiciis juvat immorari.
Tecum perennis jam Genij PVTRE
Pleno, futurum eſt, plenus ut ipſemet
Fortaſſis æternem per ævum
Teutonicam fidicen Camenam.

AD NATHANEM CHYTRÆVM MENZINGIVM.

Melle & nectare dulcioribus
Reſpondiſſe noſtris litteris,
Tui fratris Epiſtola Auſtrium ad
Quemdam rarior præ ſe tulit,
Mi CHYTRÆE, *thalaſſini lacûs*
Quom forem propinquus accola;
Heic ubi Rhodanus Valeſiis
Limphas congregans è vallibus
Reſtagnante celerrimus ruit
Vado. ſed cupitis me frui
Reſponſis hodierna adhuc vetat
Hora, felle longê amarior;
Hora, alumine multo acerbior;
Hora, bile virulentior.
Ergo tutemet entheis ſacrum
NATHAN *dotibus cor incitus,*
Aut frater tuus ille grandior,
Qui roſeta carpitis mera
Cultos Varniadum per hortulos;
Aut ambo ſimul rependite

Digitized by Google

Vices, aut potius remittite
Exemplum papyri perditæ:
Dum me Neccharicis Sionios
Hymnos accinentem ripulis
MYRTILLETVS *amœna detinet*
Palatina propter culmina.
Ni fiat, mihi creditote, quæ
Mel & nectar esse remini,
Vobis tam citò dulcitudinem
Amissura; desituraque
Alvearia sive Hymettios
Favos, seu placentas Atticas,
Seu thymum redolere; quàm citò
Versum iri, CHYTRÆE, *inaudies*
Ob desideriorum anhelitûs
Et suspiriûm frequentiam,
Liquescentem animam ipsius meam
In salsas amaritudines.

AD IOANNEM HORTINVM.

HORTINE *pulchri consitor hortuli,*
Talassionum flos juvenilium;
Quasnam corollas nuptiales,
Quæ tibi serta parat capillos
Vinctura, cordis fibra tui trahax
Jahel, puellarum eximium decus?
Ecquem geremus fronte ramum
Participes nemoris sodales?
Baccata silvæ filia Cypriæ
Castis honori est myrtus amantibus.
Myrtum Dionæis Cupido

Digitized by Google

Conjugibus ſacrat oſculandam.
Exoticorum vos vice termitum
Herbas fragrantes nectite virgines.
Vernis amictum me ſub antris
Timpora rore velim marino
Aut Nerviorum ſtella MASVRIVS,
Aut BVCHANANVS *lux Scotiæ queat*
Spectare, Veronæque ocellus
SCALIGERO *patre procreatus.*
Succincta ſuras, nuda ſinum, Dea
Subter beatis Arabiæ jugis
Acclinis illibata quondam
Tura legens LIBANOTIS *ibat.*
Manabat udo ros pede vitreüs:
Salúbris adflans aura Favonij
Mulcebat herbarum comantum
Summa, levi tremefacta caule.
Hanc irretorto lumine Capripes
Vix conſpicatus, fervidior calet
Flammis inardeſcentis Ætnæ;
Fervidiorque focis Cyclopum.
Prendenda Nymphe diffugit ocyor
Euro: citatis inſequitur furens
Plantis petitor: ſeminati
Eſtur humo pia mica turis.
Enata poſt hinc eſt fruticis ſeges,
Puris virentis ſemper odoribus,
Seu bruma ſive æſtas recurrat;
Virgineamque notam tenentis.
Salve perenni germine praénitens
Radix, vigeſcentum æmula frundium
Cedri: ter o ſalve quaterque,

Digitized by Google

Suavior arboribus Cythéres.
En hortulorum te CEVALERIAS
Cultrix amœnis inſeret areïs,
E ſemigermanis Britannis
Ad vada glauca redux Lemanni.
Non te nives, non horrificum gelu
Ladet, nec acer triſtibus Africus
Immane dum ſtridet procellis,
Nec grave flamen Apeliótæ.
Nec ſupplicabis, cum ſities, Jovi,
Torrente prati gramina Sirio:
Quippe eſt ſuâpte ſponte Juno
Irriguum appluitura nimbum,
Protuberatis mille decentius
Gemmante prægnas cortice ſurculis
Veſtibit apricos, nec absque
Deliciis, tua virga campos:
Sero creatis unde nepotibus
Vtroque longum ſoſpite, geſtiant
HORTINVS *& formoſa* IAHEL
Texere perpetuas coronas.

AD CHRISTIANVM EGENOLPHVM.

INFERIAS, EGENOLPHE, *Chriſtianas*
Manibus emeritis tui parentis
Perſoluturus manibus profanis,
Spe ſine ſi lacrimas cies profuſas,
Grande puta ſcelus & nefas. Litandum
Mente purgatâ domino IEHOVÆ.
Cetera turba, quibus cor atque mentem

Tetra

Tetra superstitio voraginosos
Inter errores male fascinavit,
Præcipitem pariter ruunt ad Orcum.
Æthera tu nitidum, pios alentem
Cœlites, fixis oculis tuendo,
Linque solo grave corpus expirandum
Per cineres; tibi conscius salutis,
Nescius sanctos violare Manes.
Umbra beata loci capax quieti est.
O anima optima, quæ piè emerendo
Abrahæ felice sinu quiescit!

AD IO. BAPTISTAM HAINZELIVM, SEPTEMVIRVM AVGVSTANVM.

TAM *dulce, tamque suave, tamque jucundum*
Filius ille tuus scribit Epistolium
HENRICVS *ad me; Gratus*
Quod Atticis leporibusque Musis
Plenum, & cui nihil ipsis in Amoribus est
Æquè refertum amoribus:
Ut huic Minervæ temperare non possim,
Nobilis HÆNZELI; *quin nova carmina, quin*
Versûs novos illa, & novas
Extrudat artes; queis vetusta, cum vestris
Ista mihi Laribus, fœdera amicitiæ
Firmata constent publicè.
Namque in recenti memoriâ recordantem,
Qualibus (humanus sicut es) alloquiis
Conviva abiverim satur;
Plus adficit me cogitatio vivax,

Digitized by Google

Tinnula quàm duplici nablia verſa manu.
Tantum valet vis inſita!
Huic excitatæ rurſus addidit robur
Cecropio gnati littera tincta ſale,
Et comitate plurimâ:
Quâ delibutum reddidit mihi pectus
Largiter, humectans ut ſolet imber humum
Ardente Sole torridam;
Pulcherrimâque matre pulchrior mentem
Filia tum ſubiit nubilis EVPHROSYNE,
Adſcripta Muſarum choro
Jampridem, & inſigni puella donata
Carmine, quod ferro firmius & chalybe
Durabit ipſo perpetim.
Puella, dico, cui vel omnium unâ omnes
Invideant nuruum Sueviadum pueræ,
Perennis ob famæ decus.
Sed gloriâ adplaudo mihi ipſe. collaudet
VOLFIVS *orator maximus, & Latij*
Graiique ſermonis ſciens.
Dictabit idem, fonte quo vel adſenſus,
Mutua vel pietas, vótaque ſancta fluant,
Judex amicorum optimus.
Ad me quod attinet, ſtat (en manum!) ſanctas
Æternare per arrhas in amore ratam
Veſtrate cum domo fidem.
Rara eſt fides ætatis huius. hacpropter
Deligere ante juvat, quàm (puto) diligere,
Amare quod quis ambiat.

Digitized by Google

AD VENEREM.

Cum Io. Hainrichus Hainzelius uxorem esset ductarus.

MATER *venusti pulchra Cupidinis,*
Nutrix amorum; si dare quæ peto
Spondebis, haud pro me quidem ipso
Dona, sed ingenuo sodale:
Tibi sacellum quâ lubet aureum,
Sculptis dicabo cum laquearibus,
In quo triumphabunda prisco
More tuæ stet imago formæ,
Curru duabus vecta volucribus,
Quondam Caystri fluminis incolis.
Ambit NITHARTÆA *puellam*
Gente satam meus ille Thesens,
Decus Suëvorum, HÆNZELIDES. *Eam*
Fac impetratu des facilem viro,
Musis amicam Gratiisque,
Non sine consilio parentum.
Æquum est, ut utrinque irrevocabilis
Præstò voluntas, mutuus & pari
Consensus adsit Diva nutu,
Omnia legitimêque fiant.
Postquam illa fidi conjugis in manum
Convenerit, spem ne subolis nega.
Nascatur heres matre fetâ,
Indolis ingeniique patris
Avique morum nempe simillimus.
Nascatur exin, deliciæ tuæ,

Digitized by Google

Formosa VERONILLA, *rubras*
Tincta genas, oculis nigellis,
Et crine flavo: fax juvenilium
Futura flammarum, & jecur haud procùl
Tostura paucis. Hæcce nostræ
Summa precis, licitique voti est.
Sponso roganti tu Dea tu velim
Plura his petitis largiter annuas:
Nam dignus est, quem continenter
Multiplici cumules honore.

AD CLAVDIVM MAILLARDVM AVRELIANVM.

SICCINE *cum monstris in aperto (lúgubre) campo*
Semineces iterare duellis
Pugnas? siccine
Debacchantis oportuit
Oenomanis furiasque pati, sævamque Pyrenei
Vim dirasque minas, & atrocis
Incussum metûs
Horrorem quasi Panicum?
Quid spolia ablatæ memorem crudelia prædæ
Ingenuis? quos regia, clarûm
Natos principum,
Nec tutos via præstitit;
Vranium cum Nassobis, genus antiquorum
Semideûm; veterique nepotes
Cretos Bérgiæ,
Burenumque juvenculum.
Dextra magistratûs venit imploranda supremi;
Quæ facinus nisi puniat vstud,

Digitized by Google

Vltorem reis
O promittite posteri.
At cave tu MAILLARDE, *patens ne ras vel inermem*
Postmodo te culpet, vel inertem
Damnet. Crapulæ
(Ebeu) omnia plena sunt.
Circe etiamnum homines transformes mutat in ursos:
Induit hic porci, ille leonis
Mores. Ebrius
Numquam est dissimilis sui.

AD SIMONEM STENIVM.

CARMINA *me saturum tua lectitare*
STENI *jubebas serio:*
Sed tribus ante manûs in avariores
Festina signis venerant,
Quàm mihi prandioli Sapientialis
Jejunus accessus foret.
Esuriens, veluti leo, devoravi
Et litteras & carmina:
Ventriculo saties tamen hinc replendo
Non ulla compescit famem.
Post iterum atque iterum bene ruminatis
Et litteris & versibus;
Tanta sitis mihi guttur inæstuando
Accendit, ut nec Tantali
Tanta sit, ERIDANVM *sitientis amnem:*
Nec Hippocrene, quamlibet
Vber aquis, potis ipsa levare flammam.
Transmitte quæso crebrius
Ambrosiæque tua, SIMO, *nectarisque*

Succos ſalutares, quibus
(Omnis abeſto mihi mora) degulatis
Satuller atque recreer,
Quòd niſi ſufficiant avido palato,
Æquo petenti largius;
Congerat ipſe, rei memor ampliandæ,
Omne huc penum SYLBVRGIVS:
Promus & eſſe velit potius, monebis,
Quàm condus Attit: favi;
Cuius amore tenemur, amore cuius
Absentis infremens apum
Bombilat anniculus populus mearum,
Rauco ſuſurrans murmure.
Proin fac, ut ambo famique ſitique noſtræ
Sitis reſedandæ pares;
Carmina quo ſaturi mea lectitare
STENI *viciſſim geſtias.*
Sic bene convenient (mihi crede) lector
Jejunus, & ſcriptor ſatur.

AD IACOBVM KIMEDONCIVM.

CVSTOS *meorum craſtine turturum,*
Nymphas petentis Cocchidas, & ſalis
Vrbem Suëvi, proximamque,
Quæ renovata ſupra ſtat, arcem;
Salve, & piarum curam age ſedulus
Altor volucrum: quas ego ſuavius
Amplector hercle exoſculorque,
Quàm Venus alma ſuas columbas.
Apes Matinæ vix ita ſertulæ

Digitized by Google

Flores amabunt, vix caſiam aut crocum
Thymumve, cerinthæque gramen;
Vnde avidæ bona mella ſugant,
Cerisque figant. Quis rogo turtures
Servare ſancti conjugij fidem
Binumque propagare fetum
Fœdere perdocuit marito?
Vt mutuo ardens alter in alterum
Amore flagrat! Diſcite conjuges
Prudenter exemplo fideli
Plumigerum genus æmulari:
Et tu beatæ transige cum tuo
Æquæva vitæ tempora corculo.
Porrò & beanto me ROSINÆ
Conſimiles, IACOBE, *tedæ.*
Discors ad æquum differitas ſolet
Res ſubruendo perdere maximas:
Concors voluntas ſervat urbes,
Servat item requieta gentes.

Digitized by Google

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORVM LIBER QVINCTVS.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

SI vacat, ſueto placidos ulterius canori
Virgo decens ELISA
Admove ſenſûs, animoque imbibe liberali
Noſtra mele, loquaces
Pſittacos raucasque ſonis emula fabuloſis
Æquiparare picas.
Attamen linguam fatui ne reprehende vatis,
Qui taciturnus olim
Verba ceu mutis labiis dévoro, tinnulumque
Pariete ab otioſo
Pectinem ſuſpendo ſilens. Quod ſimul atque factum eſt,
Mércurium videres
Ilicet plectris requiem ſegnibus invidere.
Nec mora, feriunt
Accipit taxim citharam, claviculosque chordæ
Corrigit obſtrepentis,
Mutuos vibrans digitos, atque fritinientes
Eliciens ſonores.
Stat Venus juxta, & roſeo præradians amictu

Digitized by Google

Cynthius aurea ore
Dictitat ſuaves numeros, qualibus ex Averno
Ætherias in auras
Thracius caram Iidicen dicitur evocaſſe
Eurydicis figuram;
Cum rotam ſaxumque lyræ flexanimo quieſſet
Obſtupefacta cantu,
Nec jecur roſtro Tityi tunderet uncus ales,
Nec latices ſitiret
Tantalus, nec Peirithoo dura forent catenæ
Sarcina, nec repleri
Hiſcerent pertuſa cavum dolia, nec retortum
Dens aſpice rudentis
Roderet funem; ſed nec prodigioſius adlatraret Anubis umbras.
O mihi tales Clarij numina doctâ cœtûs
Annuite oro vires,
Ex nigris Orci tenebris ut CHARITVAN *illam,*
Myrtileos ad ocres
Conditam triſti tumulo, rurſus in hanccе vitam
Carmina noſtra ſiſtant,
Si pote eſt: ſi non pote, mens talia ſomniare
Viſa, animæ vigorem
Integrum, pacto Genio, reſtituiſſe credat
Tam capiti amato.

AD PHILIPPVM SYDNEVM, ELISABETHÆ REGINÆ ANGLIÆ AD ROM. IMP. LEGATVM.

SYDNEE *Muſarum inclite cultibus,*
Prorex Hybernes cui patet inſulæ,

Rheno ſecundo navigabis
In patria rediturus oras,
Vaſti per amplos Oceani ſinus.
Regina veſtra clara Britanniæ
Reſciſcere arcet, quid reverſus
Cæſaxcâ referas ab auſâ
Legatus. O ſi me comitem tuis
Nereus, & ipſæ Nereïdes viis
Junctum viderent colloquendo
Velivolâ freta longa pinu
Sulcare: nigros non ego turbines,
Nec belluarum monſtra natantium,
Discordiamque Eurum protervis
Cum Boreæve Notive pennis
Vector timerem. nam pietas tua
PHILIPPE ſalvos incolumesque nos
Præſtaret, & quæ vox tenere
Cæſaris ora, tenere linguam
Serena quivit, hæc eadem maris
Deos furentes, flábraque triſtium
Fratrum moraretur, ſonori
Turbida per pelagi ruentum.
Quamvis remotarum equor ad Orcadum
Vis Africi nos ſæva propelleret;
Impune ſalſos frangeremus
Remigio ſuperante fluctûs,
Tenta & liceret vela retro dare,
Portumque lætis paſſibus ingredi
Deſideratum. Sed relictâ
Nunc iter eſt mihi Myrtileto
Admoliendum dura per Alpium
Saxa, & tremendâ fauce voragines.

Verique nostrum Dij secundent
Quæ primus loca, prosperentque
Optata. Londinum in patrio sinu
Te mox receptet, splendidus urbium
Ocellus, atmi septicollis
Vaquerio duce Roma plaudat.

AD IOAN. SECCERVITIVM SILESIVM.

Actos Pannonij propter aquas fluminis hospitas
Sub FERDINANDO *Cæsare, crebrius*
Mecum recordanti juventæ
Purpureos genialis annos;
Nunc jucunda subit Slesiadum cura sodalium,
Laudis flagrantem nunc animum prior
Virtus lacessit, pristinisque
Æstuat ardor agens medullis:
Qualis Thessalium fervor equum vividus incitat
Eléa metæ currere classicæ
Protéla, pernicumque raptos
Anticipare pedum labores.
Luctantes memini (gymnasium quum tibi quum mihi
Latam Viennæ panderet aream)
Inter Camenas Palladisque
Sæpe choros nitidas palæstras
Exercere senes & juvenes, non sine plausibus.
Sparten honestans quisque suæ teres
Non deerat arti: quisque gnavus
Hymniferas inhiare palmas.
Nam seu curriculum grata Jovi pulvis Olympicum
Sparsisset, aut se Pythium ipsemet

Digitized by Google

Certamen in noſtrum dediſſet ;
Seu Nemeæa alacres in ausûs
Eſſent Archemoro, aut Iſthmia condicta Palæmoni :
Oliva nunquam cáſtaque laureæ
Corona victores reliquit ;
Non apium viridisque pinus .
Tu ceu Diagoras, aut Hieron, aut Teleſicrates,
Aut Timodemus', fortia pectora
Cælos in ipſos vecta quondam
Alite Pindarici ſonoris ;
Et luctæ & ſtadij & caſſidis & turbinis arbiter
Annis minores & Thraſydæon &
Ageſidamum, Sogenemque
Alcimidenque doces aliptes .
Merces pancratio nempe ſua eſt, eſt ſua caſtui.
Athleta partos vel pede vel manu
Aufert honores : præmiumque
Dat pila, dat trochus, atque diſcus .
Certatim variis ſic ſtudiis, árteque nobili,
SECCERVITI *dux Herculei gregis,*
Juvabat antiquum recentes
Per chlamydas decus æmulari .
Ah quo proripuit ſe foliis inclita Deliis
Ornata victorum ingenuûm cohors?
Quasnam penitrarunt in oras
Gorgoneo volucres celéte?
Pars Celtas adiit, pars Italos, pars & Iberiâm,
Pars & Britannos . te Pomeraniæ
Fines remotæ ſeparárunt
(Vt procul!) Iſtriacis ab undis .
Divulſum patrij me nemoris collibus, advenam
Deſideratus Thybris, & urbium

Digitized by Google

Princeps videbit Roma, primis
Cum Zephyris querulâque Progne.
Jam vectoris equi, ſub medium frigus, adhinniens
Pectus vigeſcit. jam pedibus meis
Alpesque & Apenninus ingens
Culmina ſubjiciunt volentes.
Tu dic CASELIO, *flos hederæ cui decorat comam;*
Dic & CHYTRÆO, *cui labor improbus*
Et cura Faſtorum recurſat
Annua: pro reditu Jehovam
Votivis onerent ſupplicijs. numquæ dolentior
(Quod abnuo) vis ingrueret patri,
Quàm filium non inde ſalvum
Siſtier incolumi ſenectæ?

AD IOAN. LVCIENBERGIVM IVRISC.

NVNQVÀMNE *prodis, care* LVCIÆBERGI;
Domi ſed obliteſcis, ut cavo talpa
Defoſſa cubili?
Noctes diesque transigis laborando
Honeſti in otij quiete, capturus
Bona præmia victor.
Felix, in alio quem ſua ipſius mundo
Virentem arena præliarier ſecum
Videt, absque timore!
Si Diis amicum eſt, in foro peregrino
Me dimicantem proximus ſub Aſtreâ
Mirabitur annus:
Alterque legum ſcrinia & ſacri ciſtas
Juris, fragrantum Aprile ſidus ut florum

Digitized by Google

Tunicas, reſerabit.
Velis equisque tentat arduum miles.
Virtus in alta ſcandit, ocyor vento,
Et Bellerophontis
Velocior celéte: ſed cavet criſtas
Attollere ante tempus, omnium rerum
Bene provida cuſtos.

~~AD HIERONYMVM WOLFIVM.~~

ILLE fons, fons ille ſacer Camenis,
Quem (velint, nolint) ego torrefactus
Æſtibus tantis Venetâ appetiſco
Hoſpes in urbe;
O foret ſalſis Hadriæ propinquus
Fluctibus VÖLFI: *celeri carinâ*
Protinus vecto mihi quæreretur,
Non ſine Baccho,
Oſculaturo gelidam Lycrenen.
Ille fons, inquam, tibi quo beatum
Ad Lyci ſe flumen aprica Landes-
Pergia jactat.
Frigidos Auguſta bibit liquores
Sirio ferveute: bibunt eosdem
Norici & Boii, genialis Vlma, &
Lipſia dives:
Hungari terrâ glaciem refoſſam
Admovent plenis Bromio lagenis.
Neſcit arenti Venetus palato
Stinguere flammam.
Os tibi Rheneâ rigant, vel oris
Pannonum latis generata vina:

Digitized by Google

Æstifer nobis Canis invidendam
Submovet undam.
Dulcis heic venalis aqua est, tepensque
Liber exsiccante siti satiscit.
Ipse quin malim laticis Tyrólo
Monte ruentis,
Aut recens quavis aliâ scatentis
Rupe fontanæ cyathum vel unum;
Quàm tepefacti radiis Falerni
Mille diotas.
Candiæ præsens generosiorum
Palmitum nectar puer ut ministres,
Quodque depromit Cypriana Græcum
Testa merácum;
Fontis arcanum tamen expetiti
Numen in limphis mediis adoro.
Antè nam potus memorem salúber
Recreat haustus.

AD PETRVM MONAVIVM SILESIVM.

IAM te, relictis Euganeûm plagis;
Germanicarum dura per Alpium
Reducet anfractûs tremendos
Vngula ferripedis caballi.
O quot ruentes montibus óbstrepent
Torrentium undæ! Quanta prius tuas
Raucum susurrantis protervo
Turbine vis animæ Boréæ
Obtundet aures, quàm Basileïo
Propinqua Rheno tangere collium

Digitized by Google

Vineta concedatur! At te,
Patricium decus o MONAVI,
Valente fultum pectora robore
Non ventus horrens, non aqua fluminum,
Nec tesqua terrent, cautibusque
Rhætigenûm juga verticosis.
Tu regna Nympharum Acronium lacum,
Et ZYNDELINI *nobile patriam*
Constante, VACCHERIque, *tortis*
Flexibus anteferes viarum:
Constante, quondam (Teutones integri
Dum permanebant) imperij urbium
Stellantem ocellum, nunc Tyróli
Principis arbitrio subactum.
Lustrabis illic plurima cognitu
Jucunda, visu grata: nec abnues
Ambage quavis hospitales
Helvetiûm didicisse mores.
Te Berna dives, te Tigurum manet:
Te sospes ulnis incolumem obviis
ZVINGERVS *amplectetur; ipsa*
Quo Basiléa viro superbit,
Sollersque Phœbus nil patientius
Novit laborum. Cernere ibi (reor)
Et ora BOISSARDI *licebit*
Imparibus numeris decóri,
Pictisque formis. En erit, ut mihi is
Tandem morarum desinat, huc brevi
Ad nos revisurus, tenaci
Poplitibus pedicâ solutis?
Heic namque propter glauca binominis
Fluenta Brentæ mellificas tuor

Apes;

Apes ; coronatoque gaudet
Frunde virens nemus inquilino.
Jam plena meßis copia torride
Diſtendit almis horrea frugibus ;
Jam plenus Auctumnus recenti
Dolia vaſta mero replevit :
Sed quotquot heic veſtigia Sequanorum
Indagat ultro cernuus hoſpitum
Sagax odoratu Melampus ;
Nulla mei ſubolent amici.
Menſes per octo, ſed vacuos ſpei,
Redire nil aut vix memorem frequens
Suſpirat ANCANTHERVS *illum*
Vnicum ; & illum ego præter omnes
Vnum, quieſcam ſeu cubitu lever,
Sub nocte ſerâ ſubque meridie
Deſideratum mille votis,
Dulce adeó caput, ingemiſco.
Teſtis locúples Bacchilio mihi eſt ;
Teſtes reclini Medoàci pede
Limfæque, limfarumque ripæ,
Quæque humiles tegit umbra ripas.
Amica Muſis ſcit PATAVI *ſchola*
Vndasque & herbas reddere & arbores
Gratas. redux ſit ille, multo
Hæ fuerint mihi gratiores.
At ſive Rhenus, ſeu patrius Dubis,
Moſellave illum diſtincat placens ;
Non ſponte noſtris, ſed coactum
Abſore delicijs opinor.
Edic, amabo te PETRE, *tam diu*
Hinc emanenti, quorſus iter pares

Digitized by Google

Differre ſuſpenſum, negetve
Stare fide ſolidisque pactis?
Sed perge ventis ocyor, ocyus
Vt (quo repertus cumque locorum erit)
Procraſtinator mox reverti in
Auſonias meditetur oras.

AD IANVM MATTHÆVM VAQVERIVM, CONSTANTINVM.

ALTERA *jam morantem*
Italis me litoribus te ſine cernit æſtas.
Tam diu quid heu moras
Trahis Tybingæ? tam diu cartere
Lente potes Meliſſo?
SPIRA *ni longâ tenuit compede deligatum,*
Suevicis in urbibus
Numella collo rurſus induatur.
Sed Bavaris in oris
Forſan & boiâs teretes callidus aucuparis
Cum tuo REDINGERO,
Juvenculorum flore Sleſiorum.
Interea calentes
Claudianorum peponum nos avido palato
Succulenta lingimus,
Pullæque ficûs veſcimur medullis.
Jam precias edules
Vitis ornamenta, meam quæ decorant feneſtram,
Delicata carpere
Manus ſuëvit, penſilesque baccæ
Purpureæ racemos.
Jam & furtivâ properant & reliqui per æſtum

Digitized by Google

Nos fugâ relinquere
Fructus feraci ſtirpe germinantes.
Quæ hodierna narro
Somnij ſub mane novum ſpectra? Venire tandem
Penulatus hanc mihi
Es viſus urbem, LIVIO *paternam*
Hiſtorico. lacernam
Sparſeras pulvis. ibi tu me celer evocare;
Obvios ego tibi
Conferre greſsûs, in tuumque collum
Irruere, oſculoque
Et genas comesque oculos illico ſuaviari,
Septies & ultra have
O Gratiarum corculum (inquiebam)
Pieridumque dulcis
Lingua CONSTANTINE. *venis? an me imago ludit?*
Soſpes o mihi ſimul
REDINGER *adſit, optimus ſodalis.*
Nonne age conſpicaris
Quantum amem te, quãque tuòs expetam amice vultûs?
Jam neque ipſe Gallicê
Ibericêve, nec loqui Etruſcê,
Quando tui carendum eſt
Geſtio. jam nec Clarios incino rite cantûs,
Nec poëma verſibus
Abſolvo dignis. quidquid hoc ſonori eſt,
Nos apium ſuſurros
Floridæ videre edera ſic temere æmulari;
Sub quibus jacens, caput
Deſideratum mille anhelo votis.
Care veni, veni di-
Lecte; nec fruſtrare meam tarde citationem:

Quippe ſolitarium
Migrans & hinc me ZOPYRVS *reliquit.*

IN ITER ALPINVM NICOLAI RHEDINGERI ET IANI MATTHÆI VACQVERII.

SICCI ſub ortum Solſtitij, graves
Vbi calores brachia Cárcimi
Succenſa mortalique ſexui
Ingeminant pecudumque ſaeclis;
Bini ſodales, alta cacumina
Longê eminentum ſcandere montium
Vnâ parati, cis Tridentum
Ingrediuntur iter moleſtum,
Amnis relicto Necre tui vado;
VACCHERVS *annis integer ac virens*
RHEDINGER *ævo quadriluſtri,*
Nobilis Elyſiis ab oris.
Suppoſta cælo ſaxa crepidinum,
Rupesque vaſto præcipites ſpecu,
Numquam nec alboris nivalis
Nec glaciei inopes gelatæ;
Planas ituris ſcrupea per loca
Quæſo, nec ultro difficiles vias
Oſtenditote, & pertinacem
Verticibus premitote paullum
Verrucam adeſis. ſic abies jugis,
Sic ornus antris plurima frondeat
Veſtris, ſupernaſcensque pinus
Coniferis obvamicta ramis.

Digitized by Google

Quòd ſi frementes Æole carceri
Ventos paterno præter Eteſias
Obſtringis, Alpinique nimbos
Rubra Jovis cohibet ruentes
Oblita ſævi dextera fulminis;
Tanti ipſe nunquam muneris immemor,
Vires poteſtatemque veſtram
Æoliâ fide ſempiternum
Sonare ſanctè ſpondeo. Sat prius
Anfractuoſis faucibus inſtrepunt
Vndæque torrentesque, latè
Ferre ſonos crepitûsque raucos
Procliviores, quàm moderatior
Auris ferendo ſit. ſtupet exterus
Viator horrendos fragore
Spumiferarum animos aquarum.
Fruſtrane votis flagito, quod pium eſt?
Ecquæ procellæ, quis rogo turbinum
Ad occidentem conglobatorum
Impetus in mea verba ſurgit?
Auſtri furentes, cumque Aquilonibus
Euri protervo flamine ſæviunt.
Quantis rotatur fluctuantium
Verberibus coma fraxinorum!
Atris nigreſcunt omnia nubibus
Circum, & crepantum turmas ioniſtrium
Quercetum diffiſſis cavernis
Rumpere amat, ſolidaſque cautes.
Num terreat vos, optima pectora,
Fulgur coruſcans grándoque ſaxea?
Juſti, verecundæque ſemper
(Vt merito!) fidei tenaces

Nil expaveſcunt. Qui cumulant nefas,
Luduntque fractis fœderibus palam
Ruptisque pactis, ut ſolebant
Aſtragalis pueri; timorem
His ſenticeti vel folium incutit,
Spirante venti leniter halitu.
At tota tempeſtas in hoſtes
Vergat ad Heſperij cubile
Solis. Iuuenco ſupplicium rei,
Qui Belgium, qui Francia regna dant
Bello decennali, implicataque
Otia Teutoniæ inquietant.
Sed jam propinquos arcibus Hadriæ
Salvos ſodales obvius intuor
Cælo ſereno: Juppiter nam
Detonuit ſemel, abſtititque
Flammantis iræ filius Hippotæ.
Rident Napææ, ridet Oreadum
Chorus, reſedatâque glaucum
Cymothoë mare mulcet algâ.

AD ROMAM.

VRBS ſepticolli vertice prominens,
Antiquiorum patria Cæſarum,
Regumque ſedes conſulumque,
ROMA, bonis mihi conſpicandam
Des age te auſpiciis hoſpiti novo:
Sic Mantuani ſint tibi propria
Laudes Maronis; ſic & Horatij
Numquam obtiteſcat ſæculare
Cum Latiis numeris poëma,

Quæque Elego pede Naſo tener canit.
Jam pane confectum eſt iter arduum,
Mulaque Tuſcâ Flaminiam tero.
O prima ſalve porta; ſalve
Pons Tiberi propior ſecundo:
Tuque adeò mihi ſalve ſcatentibus
Perenne lymphis Virgineus liquor,
Sacer Camenis. I puer, ocyus
Hauri. Falerno Maſſicove
Gratior hæc mihi aqua eſt bibenti.
Quis Genius veterum protinus meis
Se ſponte fibris inſimaverit,
Vt Vaticani montis imaginem
Captare, Aventinique felix
Augurium; Capitoliumque
Viſere Juſtitiæ debitum queam?
Rectâ Palatinum inde ſequar latus,
Dein Exquilinum non ſine Cælij
Curuo Quirinalisque dorſo,
Poſt medij juga Viminalis.
Janiculus mihi monſtrabit inſulam
Longi figurâ navigij. dehinc
Spectare longè exſtantia geſtiam
Theatra & arcûs & coloſſos,
Fánaque priſca, frequentibusque
Ruderibus ſola paſſim rigentia.
Luſtrabo campi jugera Martij,
Circosque vaſtos cum penitralibus
Thermarum, aquæductûsque ruptos,
Pyramidesque polo minantes,
Ac veteres obeliſcos, ſimul ſuis
Inſculpta ſignis celſa palatia.

Digitized by Google

Euæ levatum Pegaſe Pegaſe
Tuis fer alis me ſub alta
Compita, quâ Phidiæ ſtupendum
Praxitelisque opus ipſam ferire equi
Cernuntur auram calcibus arduis.
Vterque montis præriget inſtar; at
Juxta Gigantéi ſtatores
Laxa feris tereti capeſſunt
Frena manu, prior huic, alter alteri.
Cui non placerent Itala marmora?
Quem non hiantem conſpiciet tuum
Auguſte Mauſoleon? & non
Pantheon, aut vetus Hadriani
Attonito prope reddet parem rigens
Moles? Hebræus mæſtior inclito
Titi triumpho principis aureum
Ceſsiſſe candelábrum, & arcam
Fœderis heu tabulasque legis,
Fornice ſub Pario ringitur tuens,
Vaſisque viſis ſæpius ag gemit,
Prædura ſortis fata querens ſuæ
Nequicquam, & extorres fatigans
Vsque pedes. Age, ceterorum
Quid monumenta ducum barbito levi
Cantare ſumis Calliope? Dies
Vnusque & alter, ſi dubitas, parum eſt
Cunctis reducendis in orbem
Carminis. Interea diſerti
Prendere amem venerandas SIGONII
Manûs, ad urbem quei veniam modò
Vix credituri: nec fugiam ſenis
MVRETI *in amplexum ruentis*

Digitized by Google

Brachia, meque diu retentum
Irresolubilibus vinculis sibi
Redalligantis fortius. Ecqua te
BARGÆE *docto carmine nobilem,*
Neque erubescendis Camenis,
Invideat mihi læva cornix,
Quo minus alloquiis labra dulcibus
Festiva justo tempore sentiam?
An non benignum se quoque Fulvius
Præstaret VRSINVS, *Latino*
Eloquio teres atque Graio?
Tu quoque docte, quater vicies recens
Auctumnus ortus cui senio graves
Matura annos, GAMBARA *lucidos*
Præbebis adspectûs Melisso;
Qualibus ante duas nitere
Visus olympiadas POSTHIO *meo.*
Te litterarum denique vindicem
STATI, *poëtarum eximium decus,*
Non insalutatum relinquam,
LOTICHII *socium; neque ipsi*
Abnuam amicitiæ jus CLOPANO.
Salvete quotquot ROMA *viros alit*
Musis amicos. o ter & amplius
Beate grex, cui prompta gazam
Bibliotheca aperit vetustam!
Nos procul hinc Alemanno sub æthere
Tantis caremus sepositi bonis:
Vos pleno in horto delicias meras
Fructûsque, nos extra relictas
Quisquilias, legimusque fungos.
Fontem Itali bibitis, Teuto rivulum.

Digitized by Google

Vobis disertis esse dedit locus ;
Infantiæ nos arguit. attamen
Quidquid Latini possidemus
Nominis, id populis remotis
ROMA *potens feret heredio datum.*

AD LVDOVICVM CASTANÆVM RVFIPOZÆVM, REGIS FRANC. AD P. M. ORATOREM.

INTER *æquales facile est conseruisse verba*
Rebus apta, nec pudor
Propinquus obstat CASTANÆE *lapsis*
Absque timore dictis.
Alloqui magnosque viros, & quibus optimates
Credidere maximam
Negotiorum temperare molem ;
Hoc opus, hic labos est.
Os verecundum fugitat se graviora semper,
Ardui metum sibi
Exasperando ; viribusque dispar
Haud tetigisse pondus
Audet. heroïs adeo vultibus emicare
Singulare quid, Deis
Par, intuemur. sic faces minores
Fax radiosa Phœbi
Luce præstinguit nimiâ. Vidi ego, præter omnes
Optimo Arioni
Plenas ad aures Cæsaris sonoris
Tum fidibus canenti
Et manûs ipsas tremere, & pallidiora cerâ
Labra verberarier

Digitized by Google

Terrore. quid me quid futurum in Vrbe est,
Si trepidare cernar
Ante pangendum numeros? scilicet erubescit
Musa nostra futiles
Hiare nugas, tædy refertas.
Tu potius disertis
Submini stratum calamis aurâ alacri mente
Spiritum indere uberem
Verborum egeno, dives ipse rerum,
Copia quas abundans
E locupleti variê fundere larga cornu
Gestit, usibus tuis
Vbique præsens. Ni tibi est amicum
Hoc facere, aridumque
O Pericles labij nectare CASTANÆE
Adfluentior, tuo
Rigare vatis guttur amne: saltem
Quas steriles avenas
Conspicis, ne temnè. Ferax sæpe suis agellus
Herbam inutilem fovet
Alitque sulcis, nil satis benignè
Frugibus invidendam.

AD MARCVM ANTONIVM MVRETVM.

VLTERIVS *Romam mulo vectandus Etrusco,*
Parabam iter Neapolim;
Cum mihi nescio quis
Seu Genius seu Numen ait: Quo tendis alumne
Cyllenij, dum sordidis
Omnia plena madent

Imbribus ac nebulis ; nec Juppiter Apenninas
Tonitruorum fallitur;
Plus nimioque feri
Prodigus Hippotades venti , furiare amat Euros
Auſtrosque nil lætabiles ?
Quantum age congreditur
Discrimen Caurus cum Threïcio Aquilone !
Quantis adauctus amnibus
Se Tiberis ſuperat
Ipſe , vagoque procul planguntur litora fluctu !
Romæ manere tutus ,
Auſoniamque fide
Lesboâ tentare chelyn ; quam compoſitâ aure
MVRETVS *arbiter chori*
Pierij bibat , &
Poſtmodo , ſi placeas , non abſpernabile docti
Sub CASTANÆI *ſegregem*
Judicium referas .
Tempus erit , Gallis iterum cum redditus oris ,
Et hunc & illum concines
Pluribus in numerum
Aptis carminibus . præclarior illa probarit
Clariſſimi gnatus patris
SCALIGER. *hinc liquidus*
Sequana cum Ligeri , Rhodanusque celerque Garumna,
Amnes , quibus nil dulcius
Oceanumque ſenem &
Nerea deguſtaſſe ferunt ; tibi , non ſine plauſu
Nympharum & ulnis obvius ,
Suſtulerint pariter
Cornua læta , novum decus ilicet imperitantes .
Sic admonebar . pariii .

Digitized by Google

Feſſus eram antè viæ.
Quid potui meliùs? Frugi non ulla putandum
MVRETE, ni morem bonis
Geſſero conſiliis.

AD PETRVM VICTORIVM FLORENTINVM.

O CVI quaterni fila Deæ neünt
Ævi, tenaces ſtaminis arbitræ,
Dilecte VICTORI Camenis,
Vellere candidior cycnéo;
Vt degis, annis obſitus? ut vales?
Satisne bellê te tuus excipit
ARNVS ſeneſcentem? ſatisne
Pro meritis tibi ſuaviatur
Albi capillos patria verticis,
Flos oppidorum ditis Hetruriæ?
Ne dignus es, cui magnus ille
Plurima (namque merere) Tuſcûm
Dux liberali munera præmio
Dilargiatur; qualia nec tibi
Super jugandis defuiſſe
Neptibus antè, nec abfutura
Poſthac ovanti novimus. En parat
Formoſa NICE palmiferâ manu
Currum triumphalem, decóris
Textilibusque tapetibusque
Inſtratum, & albis rite jugalibus
Præſignem; in amplas ætheris orbitas
Quo proveharis per ſerenum,
Arduus inter opes eburnas,

Digitized by Google

Interque lætum plausibilis chori
Pæana, quem non invideant tuo
Clari Megistánes trophæo,
Barbaricæ domitor cohortis.
Omnis juventus Oenotriæ plagæ
Instincta sancto pectora numine,
Non absque plausu semidivûm,
Ætherios meditatur hymnos,
Nulli virorum pangere promptior
Laudes honoris, quàm tibi. quem licet
Tot lustra nunc emensa trudant,
Tántaque congeries laborum
Exhausta pressét; nulla tamen suis
Te subjugatum dura molestiæ
Nervis dedérunt, nulla fractum,
Nulla sub excipulis recussum.
Sic pertinaci cedere nesciam
Virtute palmam nobilitat vigor,
Vrgente quamvis ponderosâ
Mole comas subigi rebelles.
Tu quippe cunctam (quod tibi proprium
Sit, opto) verno robore præditam,
Vtcumque gnavi glorientur,
Antevenis juvenum caterνam
Languere tardus, sed celer obvias
Ad res agendas. Audin' ut alterum
Te Lælium clamore dextro
Indigitent patrij Penates?
Sunt, qui suum te Néstora nuncupant,
Linguam refectum mellis Hymettij.
Vindex salutare & Latini
Nominis, eloquiique Graij.

Digitized by Google

Tarpeia ſedes ut Capitolio
Te poſcit alto ſiſtere ; ſic tuos
Antiqua (ſi ſtarent) Athenarum
Expeterent Prytanéa vultûs.
Jam nunc ſed axem ſcandis Olympium ;
Jam cana vinctum tempora nobili
Semper virentis fronde laurûs
Ipſa vocat trabeata NICE,
Pulcherrimarum mater & Armidam,
Pulchrique Tiberis filia pulchrior.
Conſcende, conſcende o amati
Pierii gregis alme cultor.
Verùm oro, ſi non aſper in exteros
Vnquam exſtitiſti, præcipuè meos
In Teutonas, ſed comis usque,
Sed facilis, placidusque cerni ;
Des hoc, amabo te, manibus meis,
Plantis ut æquè ſuppoſitas tuis
Feras ; levatum more Franco,
Muneris & pietatis ergo,
Victorioſi corpus in aureos
Sellæ curulis purpureum toros,
Clangore feſtivis ad aſtra
Carminibus patiens vocari.
Euax. ſonoris ût ſibi geſtuum
Congratulantes ictibus hæ volæ
Apprimæ complaudent, honorum
Inſimul officiique lætæ !
Vt te ſolutis ilicet oribus
Melodiarumque & fidium ſciens
Mecum celebrabit corona
Delia ; non ſine fiſtularum

Digitized by Google

Canore dulci, nec ſine nabliis
Vtroque verſis pollice! ſic tuæ,
Præclare VICTORI, *juvabit*
Ducere nos Latiare pompam
Solenne. Vivat, vivat ió ſenex
VICTORIVS: *vox una erit omnium.*
VICTORIVS, *dicemus omnes,*
Vivat ió, ſine fine viuat.

AD CAROLVM SIGONIVM.

EXTREMI *prope jam temporis exitum*
Efféta mundi canities ſenis
Sperat: jam prope fractis
Longo curriculo jugum
Titan ſollicitum demet equis. Viden'
Vt ponderoſum tollere verticem
Laſſo, & molis iniquæ
Pertæſo, poples Herculi
Succumbat? viden' ut præ ſenio gravi
Lentum Booten Arcadiæ ſequi
Heu veſtigia matris,
Invitum trahat ipſamet
Annoſo & fragili corpore tardior?
Vix hæc, SIGONI, *machina cardines*
Totos quaſſa caducum
Suſtentare poteſt onus.
Jam bis deficitur pallida luminum
Phœbe; bis umbris abdidit horridis
Vultum, non ſine diro
Præſagi (reor) ominis
Eventu. Sed enim conſpicuus tibi

Preluſtriorem

Digitized by Google

Præluſtriorem nunc polus exhibet
Flavo crine cometam
Magnis principibus metum.
Indaga veteres hiſtoricos ſagax,
Scrutare quidquid traditur uspiam
Priſci; non niſi Martis
Triſtes invenies minas.
Regnis exitium Mars ferus intulit,
Reges & ipſos ſedibus éxtudit.
En, prænuncia cladis
Fato quæ caruit ſuo
Lævis ſtella micans ignibus? heic draco;
Heic anguis, illic hydra nocentior,
Pus atrumque venenum
Latê ſpargere callidi
Obſedere vias. Ingruet, ingruet
Fatale terris (ac merito) malum,
Nec pœnam nec amicum
Paſſuris vadimonium:
Audax usque adeo eſt temnere cælites
Mortale pectus. ne tibi, ne mihi
Sit cenſerier inter
Tales, queis odio eſt Deus.
Quòd ſi præteritis forte parem viris
Heróa præſtantem annuerint dehinc
Terris numina; qualem
Auſis fortibus aut duci
Hebræo, Pharias qui domuit manûs;
Aut Joſuæ, quo milite corpora
Et Sichónis & Ogi
Leto ſunt data, præferas
Vel ſaltem æquipares: fas erit, ut novi

Sceptrum monarchæ sis memor aureâ
Conscriptum dare pennâ,
Gratum posteritatis opus.
Nam ceu per vacuum sidere lucido
Junonium lac puriter enitet;
Quod dum stillat in hortos
Quondam, primula liliis
Nascendis genuit semina candidis:
Sermone manans haud aliter fluit
(Plures unde creentur
Flores) lactea puritas,
Ornatuque nitens multa recondito
Sigoniani gemma micat styli;
Cui vel Lucifer ipse
Claras invideat faces.
Tellus intereat, templaque conflagrent
(Ut conflagrabunt) ætheris arduis;
Nec casus neque flammæ
Libris officient tuis.
Læsos pone tamen; num Genius simul
Vanescat? æterna huic data mens, ut & Immortale Supremus
Nobis donum animi dedit.

AD CLAVDIVM ANCANTHERVM.

CERTAMEN ingens est amor æmulus
Honestiorum. cesserit alteri
Raro, quisquis amarit
(Ut decebit) honestius.
Occulta quiddam mentibus insitum

Digitized by Google

Natura miri prodere gestiens,
ANCANTHERE, *figuræ*
Exserit specimen suæ.
Hinc congregatos cum paribus pares,
Doctisque doctos, cumque bonis bonos
Adspectare decorum est:
Quippe laurea laureæ,
Myrtusque myrto, & pampine pampino,
Itemque flori flos, frutici frutex,
Herbæque obvia gaudet
Herba consociarier.
Dic, ecquid horum est, quàm minimum licet,
Ex se quod ipso gignere non amet
Aut optabile tactu,
Aut amabile visui?
Flumen coërce suppositâ strue,
Fontem impeditâ coge retro viâ:
An non ille vel illud
Obseramina & aggeres
Rumpet? vetabo fulgere Solis aut
Lunæ, aut micantum lampada siderum?
Frustra. sed neque fumus
Separarier igne quit.
Quanto minus tu stinguere calleas
Incensa primi semina fomitis,
Queis BOISSARDVS *inarsit*
Impotente calentibus
Flammâ? FAINI corda superstitis
Queis prosequutus nuper amoribus
Est, defleta sine iisdem
Prosequatur amoribus.
Laudent FAINVM carmina sospitem,

Laudent Fainum carmina mortuum:
Collaudanto Fainum
Ceteri quoque versibus,
Boissardum & ipsum. Si ter & amplius
O umbra, felix ilicet audies
Talem nacta poëtam,
Qui perapposito canat
Laudes Faini carmine sospitis,
Laudes Faini carmine mortui:
O VERONA *parens, tu*
Tu beatior omnibus
Ferere punctis, quæ potuit bono
Talem Fainum sideris omine
Produxisse sub auras;
Cui neque inferias neget
BOISSARDVS *oris hospes in Italis,*
Et cui parentent rite tot exteri,
Ignoto licet. At me
Teque, Pieriis diu
Exculte CLAVDI *pectus ab artibus,*
Verona numquam jure dehinc, suo
Civi funeris ergo
Defuisse, queat queri.
Jam persolutum est Manibus inferis,
Quidquid rogali nomine Manium
Debebatur amico
Optimis ab amiculis.
Tu dege salvus, nec treme forficem
Vitæ imminentem, stamina serior
Dum centesima nerit
Funebri Lachesis colu.

AD IACOBVM STRADAM MANTVANVM.

STRADA, *florentes prope Mantuani*
Mincij ripas ſate, Romulæque
Vrbis ornandæ ſtudio per annos
Dedite multos:
Quale tu quantumque, per univerſi
Terminos orbis, tibi comparabis
Et decus nomenque; in apertiores
Luminis auras
Cum ſines exire libros, vetuſtis
Litteris priſcisque notis refertos!
Quàm bene & ſanctè meritus fereris
De grege docto,
Qui charactéra ſtudet æmulari
Moris antiqui, Latiæque linguæ!
Quid per Europam Libyamve, quid per
Aſida terram
Reſtat, inventum tua cura quod non
Jam vel excuſum graphicè adfabrêque,
Laude cum magnâ dedit, inclitoque
Artis honore?
Obruor tantis ego totquè rerum
Copiis, mirorque magis magisque;
Tot recenſendis, quibus arca abundat,
Millibus impar.
Ecquis heic STRADÆ *cupidus laborum*
Non videt præſtare favere linguâ,
Quamdè conatu ſtrepitantem inani
Paucula fari?

Digitized by Google

IN ITER ROMANVM
CAROLI SIGONII.

BONONIÆ *valedicens,*
Matri ſtudiorum
Liberalium, SIGONIVS
Vrbium principem
Romam petit, additurus
Jubar aureum
Apollini Palatino,
Doctisque Camenis
Gloriæ futurus. En abit
Enſe præcinctus! A-
PENNINE, *cacuminum rex,*
Quot in Auſonum
Plagis jugoſa præruptos
Obtendere cælo
Vertices videntur extimo:
Sterne mollem viam
Hinnis facilemque vecto-
ribus, integrum
Vt artubusque membrisque
Cunctis, ſine quavis
Læſione, tam pium caput
Vls eat, quo velit
Deſiderij Cupido
Iter exſequi
Alácre. ſic tibi nimbus
Non exedat anfra-
ctum procelliſer, nec uda vo-
raginoſi ſpecûs

Digitized by Google

Veſtigia ninguido ſub
Jove lubricet.
Bene eſt. jugis ſuperjectis
FLORENTIA *bella*
Hoſpitem lubente ſuscipit
Sede. VICTORIVS,
Victorius ille Petrus,
Pylij ſenis
Comas & ora cygnéa
Blandis referens ob-
tutibus, ſeni benigniter
Gratulatur. ducis
Tuſci favet aulicus grex
Meritiſſimo.
At ille, multicolles qui
SENAS *venienti*
Obvius ſit, ac ſalutifer
Dexteram prenſitat
Teſtem fidei, quis eſt? quis
Dabit hunc mihi
Virum vel antè Septembrem
Noſſe propius, VI-
CTORII SIGONII *que amicum vetuſtiſſimum?*
Hornos prius o racemos
Metere abſtine
Bacchi miniſter Auctumne,
Quàm mœnia Brenno
Structa quondam aprico in aëre
Later indugredi.
O quæ manus eruditorum
Animis bene-

Digitized by Google

Volis Quiritium præstó
Canos venerabi-
tur tuos, feretque laude vel
Septimæ celsius
Sphæræ ordinibus, SIGONI
Celeberrime!
Ibi videre MVRETVM *est*
Civem Tiberinum,
GAMBARAMQVE *Brixiæ decus*
Grande, BARGÆVM *item*
Cynegeticωn parentem
Tibi surgere in
Amplexum & osculum. Fallor,
An ipse Podarces
Vatis ANGELI *catellulus*
Flexilem codulam
Vibrans, itidemque lato
Pede salutans,
Tuo quiritat occursu
Loquax; genibusque
Accidit subinde, & indidem
Quamlibet serio
Cum verbere vix recedit?
Animalculum,
Quo virgines novem ludo ho-
ras fallere, nec non
Pallas ipsa, & ipsa Cynthia
Rite possent. Age,
Num Fulvius absit VRSI-
NVS, *Hymettios*
Favos Maronis illectus
Prælambere cuppes?

Num tot alta quæso nomina
Plura, multo quidem
Maiora meæ puſillis
Citharæ modis,
Probare gratioſis ab-
ſint nutibus opta-
tam tui, favente cælitum
Rege, præſentiam?
Altos ut avebis attin-
gere cardines!
Revertere o citato mox
Revertere paſſu,
Adferens ab urbe Thybridis
Huc tabellarie
Jucunda nova audienti;
Nova protinus
Vt ſoſpitato avi dextrâ
Meliſmata pangam,
Grata, ceu prius, SIGONIO.
Res gravis longum iter:
Contra volupe eſt amici in-
columis ſalus.

AD HERCVLEM CIOFANVM SVLMONENSEM.

NASONEM *ab imâ valle ſilenti um*
Vidi reverſum, crede CIOFANE;
Primamque Muſarum loquentem
(Nam lateri comes ibat) hauſi.
Mens inſolenti percita numine,
Dulciſque ſomni munere latior

Digitized by Google

Geſtit triumphans. Euge Cleio!
Euge redux Ovidi Latinis!
Ille & virenti purpuream comam
Vinctus corollâ, & qualis imaginem
Inciſus affabrè decoro
Vultus in ære refert, eâdem
Stabat relúcens. quippe Jugarium
Paullo antè vicum noſſe cupiveram;
In cuius orâ quondam amœnos
Ipſe Lares habuiſſe fertur;
Quin lucubratas tum quoque videram,
Non absque navâ Pallade, paginas
Laboris immenſi refertas,
Carminibus ſibi reſtitutis
Mutata formæ corpora fantibus;
Itemque cœptos haud male Triſtium
Te corrigi cenſore libros,
Incolumes ope Vaticanâ.
Sic ergo præsens me ſoror alloqui
Suavis Thaleiæ. Vindice quo ſtetit
Divina Romanis poëſis,
Quoque obeunte, columna templi
Noſtras ad aras intima concidit,
Naſo eſt hic; hic eſt Naſo, tenerrimi
Auctor reformatorque versûs,
Lacteolæque pater loquellæ:
Quem præferendum te puero, o ſacer
Alumne, cunctis haud dubitaverat
Æqualis ætas; idque tute
Ob fluidæ facilisque venæ
Rivos perennes mente ita fixeras,
Vt nemini plus annueres, neque

Digitized by Google

Magis faveres. illinque
Vsque Elegos adeó probabas,
Vt hinc ſtuderes eſſe ſimillimus
Vni; licet nunc aptior arduis,
Sic negligenter ſic ſupinê
Molliculos tetigiſſe cures.
Is te monenti voce rogat, roges,
Quei corrigendo patrium Hercules
Ne defetiſcatur, ſed inſtet
Pergere, quoad reliquum examuſſim
Ad umbilicos duxerit integros
Opus rematum, poſt ſibi maximæ,
Quam fama, quam præſes noveni
Spondet Apollo chori benignê,
Laudi futurum. ſic Erato pudens
Illum ante cunctos, non ſine Gratiis,
Complexa ſis, Antonij que
Caſta flagres in amore fratris:
Antonij, cui limpidioribus
Felix ſcatebris ungula Pegaſi
Beatiorem proma fontem
Aoniæ reſeravit undæ.
Quòd ſi retardans protrahet inm die
Præoccupati munia pulpiti,
Cauſatus, aut leges forenſes
Aut veteris puteal Libonis
Tenere primas, ac potioribus
Eſſe incubandum: dic age, menſium
Triumve ſaltem quattuorve
Præripere ſpatium laboret,
Dandum relictis ſponte clientulis.
Nam cur minori quæſo, Quiritium

Digitized by Google

Faſtis recenſendis, opellæ
Parceret, arduiora multo
Adorſus antehac? cur neque nobilis
Heroidum poſtliminio cohors
Juris potiretur recepti,
Herculeo duce vindicata?
Fas eſt, ut altæ fortia mœnia
Qui cepit urbis, ſeu validiſſimas
Subegit arces, oppidorum
Clauſtra parum metuat minorum.
Vtcumque victor ſe penitrat locos
In ſubjugatos, laudis adoreâ
Lactante mentes; dextra nunquam
Strenua promeritis carebit.
Hæc illa. vates annuit, & leves
Fugit ſub umbras. tu temeraria
Amice faxis dixerisve
Spectra cave cave ſomnioſi.

AD FVLVIVM VRSINVM, CIVEM ROMANVM.

ANTIQVITATIS cum Latiæ
Tum Graiæ ſimul, VRSINE Fulvi,
Indagator ſagaciſſime;
Idemque pater omnium
Elegantiſſime elegantiarum,
Venuſtatumque lepórumque:
Si vera fandum eſt; emoriar,
Jucundè niſi tecum perennes
Optem vitæ, quot irent, dies
Traducere, modò hoc ſinat

Digitized by Google

Deſtinatum meæ profectioni
Remotis curriculum metis.
Saltem o liceret, per ſpecus &
Abſtruſas penetrandi latébras,
Ferri compendioſâ viâ;
Saltem & celerioribus
Tortuoſas reciprocique flexûs
Equis divertier ambages!
Occaſionem negligere
Damno eſt. damna reſarcire nullum, aut
Vix ſerum, lata tempus valet.
Quæ me remora lentior
Tardat? Horas it hora comprehenſum,
Suos & conſequitur fines:
Fini negatâ, quam peto, me
Fors & Lubricitas, ludibundæ
Nutrices nempe mortalium,
Lactare vacuis amant
Speribus. ſic & arborem protervam,
Petulcis fructibus offectam,
Procaxque raptis flumen aquis,
Ori illudere dexteræque curtæ
Diis inviſi ferunt Tantali,
Fruſtra capere, quod cupit,
Appetentis. Renitor, at recello;
Reluctaturque recellitque
Contrariarum temo voluntatum. ſed ratio judicare
Non ſemper provido ſenſuum
Futura moderamine
Callet eventa; nec ſtatim, gemellæ
Viæ divergia Lynceis

Objecta perluſtrans oculis,
Indicare poteſt, utra fixis
Sit degrumanda calcaneis:
At ſæpe numero, ſine
Callis electione, rectiorem
Pedes ipſimet apiſcuntur.
O dexteræ nec ſortis egens
Nec læuæ metuens, une raro
De felici ßimorum grege
VRSINE; *tibi patriam*
Vrbs vetus Romuli neque invidere
Quietem, nec potis eſt partam
Livoris ater lædere dens
Famam, perpetuis conſecratam
Ætatum ſæculis. Me ſine,
Me quæſo ſine dißitos
(Quo lubens cumque proripit cupído)
Ab oris Teutoniæ tractûs,
Terrámque nondum luminibus
Viſam invadere; Byzantiumque
Trajectis æquoris fluctibus,
Et pervetera Græciæ
Vrbium clauſtra, & inſulas, ocellos
Marinæ Thetyos, ardenter
Luſtrare aventem tunc revocá
Demum, quum malè pertæſa longi
Erroris membra jam jam quaſi
Fracto, genua non virent
Amplius; fronte contrahente rugas,
Et albos crine nivis floccos,
Ne, multa ſecum incommoda fert
Inquies animi corporisque

Digitized by Google

Externis heu labos in locis.
Quid tum? mulieres domi
Vitam agant desidem: viris in orbe
Voluptas sit peregrinari.

AD LAVRENTIVM GAMBARAM BRIXIANVM.

QVI puer viridissimo flore tempora vernans,
Misnici propter vada nota Moldæ,
Vbi se Cycnéa vallis
Induit arbore multâ;
Gnaviter studui sacros imbibisse poëtas,
Docta quos prisci tulit urbs Quirini:
Itidem recentiorum
Gustum ego semper amabam
Experirier obvium; quippe cui bona cupes
Cum bonis condire sapor palatum
Alacerrimâ incitarat
Prolecebrâ. Ibi præter
Ceterorum, etiam satur Zanchiana, tuæque
Mulsa festivæ memini Camenæ
Ita nostra delicato
Imbuere ora liquore,
Vt, semel quòd inhausérat mollicella refectum
Nectaris grati mea lingua succum,
Inhiaret usque dulci
Tinguier hinc meliloto.
Sic Hymettia nunquam apes abstinebit odorum,
Involans nunc arboreos vigores,
Modò prata, nunc & horti
Culta, nemusve Matinum.

Digitized by Google

Vndecumque avidæ libet, libat. Vlla Napæa
Furta nequicquam sibi facta flebunt;
Nec Hamadryas queretur
Indigenæ thyma silvæ
Devorata; tenerrimis nec dicam volucellis
Chloris impinget graviore mulctâ,
Apud arbitras luendam
Lite superstite Divas.
Idem amor juvenem tenet candidissime vatum
GAMBARA, *spretas Heliconis artes*
Studiosius colendi,
Aonidumque latébras
Sicubi fruar otij laxitate, sequendi:
Sive nascenti hoc genitalis horo-
scopus, alba cui supini
Tum comes ivit Oloris
Stella cælitis, inserit; seu Fidicula clarans
Vatem, amicorumque gregi refulgens,
Domui facem benignam
Vndecimæ indidit, ultro
Junctа Cyprigenæ Deæ, Solis inter aprici
Arcadisque ignem radiantiorem.
Juvat, ac dehinc juvabit
Luxuriare gulosi
Suavitate cupidus, Musicique lepóris
Gratiâ. Sanè, quota quæque vatum est
Gula, cui sit Hippocrene
Vna siti relevandæ;
Quamve consatiet lepos unus? ardor in omnes
Omnium promiscuus illecébras
Laticum dapumque sævit,
Pierio sale tinctas.

His frui

Digitized by Google

His frui mihi commodis, hac senescere vitâ
Donet o Fati stabilis potestas,
Domito feri Gradivi
Falciferique furore
Noxio senis, & venenum acre subtus alento
Sibili caudâ vetitâ Draconis
Referire: quanta quotque
Intemerata voluptas
Possidere sinet bonorum aggregata recentum
Augmina, extento sine clade cursu!
Patrios amœna MÆNI
Brachia cognita Nymphis
Naidumque choro, meis forte cognitiora
Næniis fient, fluviique Tusci
Tiberina dispari vir-
tute lacessere quærent
Cornua. ast ego suaserim continere lacertis
Robur; infirmasque valentiorem
Petere, in gracillimorum
Vertere corpora vires.
Siverit malè sanus hanc barbiton mediocris
Livor intactam fide, dentiumque
Acuisse differat vim;
Cycnum imitabor ovantem.

AD ACHILLEM STATIVM LVSITANVM.

NON quo non amare
Ac quidem supra, juveni quàm licet expeditve,
Illa ficta numina,
Favore quorum candido poëta

Digitized by Google

Nitimur, incitati
Sive naturæ rapidis exſtimulantis æſtris
Corda, ſive ſiderum
In ima agentum, nosque provocantum
Vi tacitâ, ſilentis
Spiritûs auras animare: & rediviva chordæ
Barbitis novæ dare
Quondam ſepultis plectra; pectinemque
Inſolitis hebentem, &
Tam diu mutum vacuis non cohibere filis.
Senſit ardor hoc tuus,
STATI, *virentem fervidus juventam*
Ad teneras amandum
Gratias Muſasque, ſuis ſollicitaſſe flammis.
Scit Tagus, ſcit aureo
Anas fluento, quàm celer ſub alta
Se tuus æſtuoſo
Impetus curſu tulerit culmina virginalis
Montis. haud avere ſic
Eléa palmæ victor expeditæ
Præmia viſus olim;
Fortior ſuetis ſociorum agmina præterire
Calcibus: nec alites
Pernice diverſum obvios volatu
Sic ſuperaſſe fertur
Acer Auroræ ſonipes, Bellerophonte ſævam
Perdomante triplicis
Frontem Chimæræ. Cernis o ACHILLE,
Dirius ut Chimærâ
Atticas monſtrum pueras Barbaries rapacum
Impetiſcat unguium
Injuriosâ trux aduncitate?

Digitized by Google

Pectus & os leænam
Induit, partes mediæ tergus olentis hirci:
Bestia ipsa noxiam
Intorta caudam postumio dracone est.
Mutua gloriabor
Tela Pythonis domitor quum dederit, futurum
Vt necanda sub pedes
Si non (ut hirta est) concidat repentè;
Attamen ictuum vi
Plurimâ, circa jecinus, sic dabo vulneratam
Sauciamque, ne citò
Atræ residant ab tumore plagæ.
Tu veterane miles
Præveni tironem avidis (quid remoraris?) armis.
Debitam præoccupet
Laudem hasta Franciæ Pelias sarissæ.

AD PETRVM ANGELIVM BARGÆVM.

ANGELI; *Graiæ columen Romuleæque linguæ,*
Sidus Etrusci geniale cæli;
Alumne te videberis,
Ac prius exstitisti?
Aut meus planêve tuus subdubitabis esse,
Deditus totus mihi, debitusque?
Fuit, ut vel oris arbitrâ
Flexanimi loquellâ,
Dum forem præsens, traherere usque adeó; vel exin
Arte mutarere meæ potenti
Zygiæ, sonisve nuperis
Illice melle plenis,

Digitized by Google

Priſtinum excutans hominem? pol, tibi ſi qua, ſuavi
Rore pocillum bene temperando,
Labra delibuta reddidit
Nectare ſucculento;
Nec manus Circæa fuit, nec mea, cui madet vix
Vnguis extremi digiti; ſed ipſa
Eratûs fuit tenerrima
Candidior liguſtris
Palma, & intactis nivibus purior. Vnde norim,
Quæritas? Menſis puerum ſacrarum
Adhibere me viraginum
Phœbus Atlantidesque,
Præſides veris ſtudiis ingeniisque rectis
Ambo, convivam voluére quondam:
Voluitque liberalium
Pallas idem patrona
Artium, nec Pegaſeæ Atthides abnuérunt.
Cernuas ſtans ante genas propinquus
Timor ora ſubrubeſcere
Mi pudibunda videt.
Haud mora eſt. limphas manibus dãt ſimul, accubãtque
Doctus in gyrum chorus eminentem.
Aderant & alba Gratia
Tempora flore cinctæ
Myrteo; ſed Caſtalidas laurea condecebant
Serta. Quid lauti memorem apparatûs
Bona veſca? fungimur dape
Cælite, cælitumque
Nectar haurimus. medij namque ferê ſub horam
Prandij Latous, Et huic alumno
Erato o venuſta, fatur, &
Ambroſiæ placentam

Digitized by Google

Porge guſtandam, & Clario cymbia noſtra potu
Ore delibanda. ſacrum poëta
Laticem futurus imbibat,
Nec niſi ſuavitatem
Sperret. O qui tunc numeri, qualia verba, junctis
Invicem linguis fidibusque miris
Reſonare! quantus enthea
Vi furor excitare
Pectus! ah ſolum memini dulcia. nunc acerbum eſt
Imbui fauces acidas amaris,
Neque talibus potirier
Hauſtibus, ac Deorum
Herculis ultra. Sed ego te, PETRE, ſomniorum
Tenuis vinctum retinere tendo,
Vigilacibus tot in libros
Exſoluiſſe curis
Geſtiens defixum animum. Pone age, pone feſſo
Pectori magnoque modum labori;
Sapientiæque non niſi
Seria cogitantis
Rite conſultus, fatuas inſipientis obe
Ferre ſis nugas memor haud moleſtè.
Fuerint & ipſa regibus
Ludicra ſæpe cordi.

AD M. ANT. MVRETVM IC. ET CIVEM ROM.

QVALEM meſſe novâ rauciſoni carminis oſcinē
Plus nimio deſidiæ prodigitas cicadam
Integrare cavæ ſtridula fiſtulæ
Allectas crepitacula,

Digitized by Google

Frondes inter amœnas ;
Contra frugilegam multijugis trita recurſibus
Semita gnavo ſtudio diſtinet occupatam
Formicam , memorem ſideris ultimi ,
Et brumam referentis , &
Annum farris inanem :
Haud MVRETE *ſecus nos (aliis Mygdonias opes*
Sic coacervantibus , ut ſint tribus hæ ſat ævis)
Oblitos cumulis æra minoribus
Gazam auctura nepotium
Privis addere curis ,
Adblandita meis cantibus ignobilis otij
Vere novo ſollicitat mirificê voluptas
Poſtvortam ſterili fallere barbito ,
Albos inter amygdalæ
Flores , purpureosque
Perſarum frutices . hoc remedI neſcio quis Jubal ,
Aut Jubalis progenie natus , amariores
Ad luctûs adhibens , ægra retinnulo
Imbellis citharæ ſono
Cordis vulnera ſanat .
Atqui credideram cónfore , quo me (ſed opinio
Fállere plerumque homines ſuevit) ab uſitatis
Maturê vacuum ſeria nænis
Ætas ſponte ſuâ pigro
Obtorpeſcere ſomno
Ad lusûs patereturlyricos . quid ſit ? ineptius
Nunc adoleſcenturio , cereum agens ephebum ;
Cui , præter veteris propoſiti modum ,
Imponit variabile
Scribendi cacoëthes ,
Verborum neque parcum , neque rerum locuples ſatis ;

Digitized by Google

At ſatis, ob præteriti temporis æſtimatam
Facturam, venienti irreparabilem
Ævo, ſcilicet & ſuper
Spretâ lege profuſum.
Tempus virgineo par decori: quod malè ſi loces
Diſperit, in prociduas heu metuens reverti
Horas; ut tenerum flos Hymenëius
Vernans, poſt violente de-
cerptus marcuit ungui.
Occludas vigilem cortis avem, quæ breviore ni
Fauce foret, cycnus erat; quid niſi raucitatem
Gingritu ſtrepero proderè amat gravem?
Qualem, aut horridulam magis,
Olim ingrata ſonore
Strumoſæ volucris colla rudunt, falsê imitantia &
Ipſa cycnum; dum ſub aquas mergere roſtra ſuetæ,
Spirantique vago crebrius impetu
A pulmone refracta vox
Inconcinnius exit.
Da mi guttur alaudæ & merulæ, daque Canaridos
Alitis, & Dauliados; da mihi carduelis
Frigillæque modos, quidquid & uſpiam
Aſſorum eſt modulaminum
Concentûsve rotundi:
Adfer præterea compoſitos icere Lydios,
Et Phrygiæ plectra lyræ conſona Doriæque,
Et quæ mixta cient harmonicum melos:
Numne æquatus oloribus
Illis, quos Arar hærens,
Quos præceps Rhodanus, quos viridis Sequana, quos Liger,
Quosque Garumna ſtrepitans dulce ſuis canentes
Haurit quisque capax auribus, ac ſtupens

Digitized by Google

Diductis hiat auribus ;
Vates Auſonas excors
Muſæosve animos impare certamine provocem,
In grave crimenque mei ludibriumque fati ?
Quamvis ellogij me locupletibus
Punctis, præco graviſſime,
Pollens calculus ornet ;
Hei, cur hoc tamen errore tua eſt lapſa noviſſimè
Lingua, Meliſſo variis poſſe metris eorum
Queis indultum hodie vivere, neminem
Conferri ? fuit, ut genas
Improviſa pudoris
Adſperſi mihi rubrica notans, inſimul obvio
Auriculam neſcio utram verbere tinnientem,
Perculſumque animum redderet ? At tuis
Inſtincta artibus, illicis
Haud pellacia famæ
Tanti eſt, ut minus illi dubitem credere quàm mihi,
Qui liquidò, quàm tenui ſpiritus ore preſſus
Arctetur, videam ; meque (quod
Aiunt) intus & in cute
Norim. ne tuus ultra
Aurigantis amor te Rationis (viden') orbitas
Abripuit : ſummus amor nam ſibi prælicenter
Sumit multa, ſui cæcus, in alterum
Se Lyncens oculatior.
Senſi, ſenſi ego veſtro
Complexu, manuum o dextra, toris ſubtrepidantibus,
Pectora conſtrictus, uti nec ſimulata verans,
Nec verum ſimulans, is nihilo minus
Naturæ indicio bona
Coram, judicioque

Digitized by Google

Nam levis, numeris ingenuè candidus arbiter,
Nec ſine juſtâ trutinâ cenſor adeſſet æquus.
Quæ factum eſt, ut eo te vehementius,
Facundiſſime Tullij
Hortenſique ſequacem,
Deinceps diligerem MARCE; *licet pluris & antea*
Mi fueris, ac fieri quis poterhetor umquam,
Et porrò fatear te fore plurimi,
Supra quàm (quis enim vetet?)
Di ſirint homini jus.
Jus uſurpo meum, te venerans ac ſimiles tui;
Largus amicorum avidas immodicè ſuſurros
Aures carminibus paſcere, & hoc tibi
Muni vertere gratiæ
Infantis melos oris.
Verùm garrio prolixa loquax; & ſiticen mei
Funeris, extra modulos deferor elevorque,
Menſuræ medium tangere neſcius.
Vitam quin tamen artis ars
Ignorata lucratur,
MVRETO *veniam dante: niſi fors magis audiam*
Et merito, nugigeras ob blaterationes,
Pica, dicier, huic o Taciturnitas
Os compeſce. Silentium
Semper laus ſua manſit.

AD FVLVIVM VRSINVM.

TANTI *ſcilicet æſtimas*
O VRSINE *mea ludicra tibiæ,*
Illis inter ut intimos
Theſauri loculo des ſpatium? Novum eſt,

Antiquis ſpecimen recens
Æquare, & gravibus par leve quidpiam
Reri; ſi neque vilitas
Penſanda pretio ſtat, neque granditas
Vincenda eſt humili ſtylo.
En lances! inibi pone ſequeſtrium
Cenſuram Cato ponderum,
Faſcis pondus item pone vicarij.
Momentum reſidis jugi
Anſarumque vides? vergat utrum in latus
Examen, patet, arbitri
Index judicij. deprimar, elever,
Non eſt ambiguum; neque
Si mantiſſa dari poſcitur, ecquibus
Quærendum. tenuis ſibi
Res ut ſemper opem flagitat addier!
Vt plerumque labantibus
Tibicen ſolet aut cervus in obvium
Figi ſubſidium caſis!
Rerum nos inopes ſcruta ſequi putat
Vulgus, bellua centiceps;
Obſcurumque loqui, ſe quoties iners
Non intelligere eſt pote:
FVLVI, *tu ſecus ex pectore judicas*
Edocto ſapientius
Moliri trutinam. nam neque Barbaros
Laudus, nec Latiæ lyræ
Culpas harmoniam; gemmea vitreis
Lynceus, aureaque æneis,
Et quæ differitas ſit fidis ac tubæ,
Internoſcere callidus.
At ſeu parvum onyx paúcave baccula

Digitized by Google

Nostris lucet in ectypis,
Seu torni facilis mucro toreumati
Errorem tulit inscium;
Seu quæcumque meis versibus abfuit
Ineus: haud tamen abfuit
Et desiderium & mentis alacritas
Ingendi Geniis opus
Dignum perpetuis, ac celebres viros
Clarandi; quibus optimê
Excultis variæ dote peritiæ,
Ad nostri est patefactum iter
Sæcli notitiam, fámaque celsior.
Adspirat. Sed in arduis
Rebus velle, sat est, posse ubi non datur:
Contra difficile est nihil,
Vires ingenuæ cui bene suppetunt.

AD HERCVLEM CIOFANVM.

Sic sum, non alius; nisi forsan erro,
Mi CIOFANE, *dum reor iis honorem*
Habitum meis ab odis,
Quorum nomina dulcibus
Exornata modis placuit canendo
Auditoris ad astra vocare cæli.
Juvenem suërat olim
Pangendis STEPHANVS *metris*
Arguisse metûs nimij; sed audax
Nunc feliciter audio; quod disertim
Probat eloquentiore
Os linguâ teretissimum
MVRETI *senis. Haud ego servituti*

Digitized by Google

Natus ; quam triviale , neceſsitate
Famulâ jugi ferendi ,
Vulgus ponere rhetorum
Præſcriptis memini. juvat evagari
Per liberrima Theſpiadum vireta ,
Hominumque doctiorum
Quantum eſt devenerarier .
Hunc ſi poſteriore loco repoſtum ,
Illum forte priore legas ; at iſtum
Medio. quid intereſt ? Non
Hoc ipſum (mihi crede) non
Cenſuræ eſt , neque judicij ſiniſtri .
Sic natura , rei genitrix , vel ordo
Genitricis æmulator ,
Juſtæ vel ratio ſtrophes
Poposciſſe feretur. Api Matinæ
Saltûs floriferos , & apricitatem
Sine nube , nemo quisquam
Vt defendere cognitus
Vſpiam eſt ; ita cui Philomela dulci
Vernans gutture , cui reſonans Acanthis
Siluiſſe juſſa , dumos
Inter , quâ volat , hiſpidos ?
Fac eſto mihi , quæ volo , cantitare ;
Tamen quæ volo , non queo poſſe. Poſſe
Aliquid Dei eſt , parisve
Divis : velle hominum , ſui eſt
Impos. Artem adhibe generoſitate
Nativâ novies generoſiorem ;
Adhibe peculiarem
Linguam , non ſine viribus
Ac nervis. fac item mihi ſingularis

Adſpiret Dea, quæ Charitas vel ipſam
Venerem ſuæ antecellat
Vi pellace decentiæ:
Adfer denique cuncta, quibus juventam
Hanc Pandora laceſſere millemunis
Potis eſt, ut inter omnes
Præſtantiſſima polleat
Donis innumeris. age ſicne, fruſtra
Heu perſuaſe CIOFANE, *ſicne teris*
Mea poſſe luculentè
Per præconia quidpiam
SIRLETO, *quod eüm juvet, arrogari*
Laudis? ne, tua me jubeat Minerva
Radiis ſuperna cincto
Æternis Hyperioni
Obſcurâ face lampada fenerari?
Nos ſcintilla ſumus, modicæque lucis;
Cinefacta quam favilla
Mox funebribus obruet
Vmbratum tenebris. Oculos minutos
(Immo vix oculos) hebetatus, auſim
Adeó micante vultu
Solem velle Calabriæ
Intuerier? O aliis liceto
Oratoribus, atque aliis poëtis,
Graviterque dexterêque
SIRLETI *memorabilem*
Laudum dicere congeriem. Cicutæ
Hoc infantius eſt & inanius, quàm
Vt ad eloquutionem
Quidquam ſit ſonere efficax,
Tanti quod faciat decori evehendo

Viri; nedum aliquâ sibi Tullianos
Lyra quei pusilla sumat
Aut Lesboâ agiles fide
Adæquare, vel antè quibus jam abunde
Tam clarum caput eximiis sacratum est
Numeris, dehinc vel altis
Sacrandum veniet modis:
Tantum abest, ut in arduiora avenam
Sperem rusticulam mage ceterorum
Penetrabilem futuram.
Curto me pede metior.

AD M. ANT. MVRETVM.

AMICE *Gratiis;*
Amicior Camenis?
Amicissime Phœbo
MVRETE; *quid tuum melismata*
Poscis Melissum,
Sonante cui lyrâ
Quaterna vix in anno
Restant cóndita toto?
In rebus aliis occupatior
Indiligentem
Musis, ut adsolet,
Navasse mente curam
Remissâ fateor: sed
Neque illa, quæ priore lusimus
Ætate, præstó
Adsunt, & hæc meis
Cum versibus sub urbis
Reliqui Patavinæ

Digitized by Google

Cuſtodiâ. nunc mutio. Simul
Vt ſuggerente
Nouus Apolline
Cantiùs, alácre guttur
Hæc ſilentia rumpet;
Symphoniarum compotem tuum
Non reddem olorem?
Pennis Cayſtriæ
Auis tui capilli
Albent: ipſa corallis
Rubentiora labra vivido
Florent honore.
Recluſa fontium
Tibi ſcatúrit unda
Limpidiſsima: nec te
Perennis Arpinate deſerit.
Vox tincta mulſo.
Tu digna Gratiis,
Tu digniora Muſis,
Tu digniſsima Phœbo
Cantas. ab ipſo te quod optimum eſt
Poſce & repoſce.
At interim tibi
Grates agam neceſſe eſt,
Haud indigna typorum
Quòd arbitrare noſtra carmina,
Eisque docti
Paras MANVTII,
Tanquam alteram parentem,
Nixu conciliare
Pulchro officinam. Fungitur tuo
Jam MARCE *ſuaſu*

Digitized by Google

Minerva ſedulæ
Vicem obſes obſtetricis;
Lucinæque levamen
Implorat, atram deprecata vim
Abortiendi.
Venus venuſta adeſt;
Favoniique mollem
Favorabilis auram,
Vitamque Genium liberam petit:
Se liberalem
Vterque præſtat. O
Si quid patrem refertis
Vel dulcedine linguæ,
Vel ſuavitate, vel poëticæ
Artis decóro;
Aut (quod caput rei eſt)
Si vatibus vetuſtis
Nemo degeneraſſe
Culpabit; usque & usque vivite, &
Diu placete
Fetûs tenerrimi:
Diu placete Francis
Francæ pignora mentis;
Sentire nec vobis ſit invidam
Sortem novercam.
Si vos adoptat Vrbs,
Et civitate donat,
MVRETVsque diſertim
Probat: vel inter Barbaros meri
Patrem juvabit.

AD

Digitized by Google

AD CAROLVM SIGONIVM.

FECVNDA *rerum perveterum Dea*
Nobis historicas rursus opes, recens
Æternitati consecrandas,
Protulit e plutei Minerva
Sigoniani. Quæ nurus obsecro
Seu Romana fuat seu Patavina, seu
Bononiensis, tot virenti
Pignera progenuisse callet
Vernans ævo; quot tua, candidas
Ledeorum imitans scilicet alitum
Plumas, inexspectata fetûs
Canities peperit, SIGONI,
Aut parturibit postmodo? Ceu solum
Felix sponte suâ, nemine semina
Credente, fruges atque fructûs
Purpureas inaratum in auras
Priscis colonis reddidit: haud secus
Per se cultus ager pectoris en tui
Humectus ultro, floridoque
Germine luxuriare suetus,
Messem metenti fenerat uberem,
Quam non falce frequens imminuet manus;
Nam lætus augescit; nec umquam
Indecore sterilescit arvo
Novalis. at ne, dum rapidis furit
Flammis Icarij lingua protervior
Canis, Cleonæique sævit
Insolitum cor atrox leonis,

Digitized by Google

Conduplicatis ſideris æſtibus
Fundus præ nimio ſors capiat calore
Enorme detrimentum, & uſtas
In cinerem redigat medullas
Ardor, cave ſis. Res tenera eſt pij
Compages cerebri. læditur illico,
Poſtquam vel Arctoas pruinas
Vimque frementis Apeliotæ
Senſit, vel ignes Heſperij Noti;
Ætnæusque faces flamine ſollium
Auram adbibentum fortiorem
Acmonidæ grave ventilatas
Tentavit. atqui pol niſi Juppiter
Prægnatis gravidum verticis ut tulit
Fetis Minervalis puellæ
Seminiis uterum, ſibi ipſe
Tum temperaſſet, fulminis ardui
Vitans tela triſulca atque tonitruum
Crebros fragores: noctilúca
Extimuiſſet abortionem
Tam delicati ſincipitis. vides,
Ipſis ut noceat ſæpe Deis ſui
Neglectus; humanasque mentes
Sæpe diuque fefellit error.
Quin Herculanis functe laboribus,
O pulchrum caput, o pectus idoneum,
Captas honoratam quietem?
Quin rudis arbitrio fruendæ
Donaris? Eccos, qui tua CAROLI
Optant, ſi liceat, tecta frequentius
Inviſere! eccum me, petentem
Vt minus & minus occupato

Tecum loquendi vel per epiſtolam
Detur copia, vel carmine; ſi neque
Gratum mel abscedit palato
Suavidico, neque apum ſtrepentes
Aurem ſuſurris immodicis greges
Obturbant. Equidem quidquid erit favi,
Quo ſtillat imbutum Meliſſi
Alvear, opto tuos in uſus
Vergat, SIGONI. *quin & apricitas*
Libantum thyma, per roribus uvidam
Herbam, ſereni filiarum
Ætheris haud inamœna veſtris
Sit commodis: at nec ſenij vigor
Subleſtam meritis exhibeat fidem.
Jam lampas æthræ concitatis
Sol medium prope tangit axem
Raptus quadrigis. quantus ab igneis
Candet flammipedum Mulciber ungulis!
Suſpendo ſub lauru chelyn: nam
Quod requie caret, obſoleſcit.

AD ACHILLEM STATIVM.

STATI, *Socratico prædite pectore,*
Ambroſiæ libis dulciculis ſatur;
Ecquid paſcis inanes
Suavitate famelicos?
Ecquid roriſluo nectare pérmadens,
Arida ſiccatis pectora faucibus
Aut promulſide tinguis,
Aut madoribus imbuis?
Me deſiderium principis urbium

Digitized by Google

Tangere si Romæ, sive tui calor
Accendisse timeret
Impotens; avidis ego
Nepenthes liquidum combiberem labris,
Immodicos æstûs diluere efficax.
Sed nec limpida SENAS
Irrigans aqua fontium
Venis innumeris, nec potis ipsemet
Arnus, Ilissëo flumine gratior,
Restinxisse calorem
Fervidamque cupidinem.
O quantis jecur hoc torreor ignibus!
Hic animus quantis vapulat ictibus,
Dum vestigia nostri
Thybris adrevocat pedis,
Mentem deliciis proliciens meris,
Ac fore promittens, ut fruar ádfatim
Queis tot pulpita libris
Vaticana superbiunt!
At non tam reditum pollicitus tibi
Sentio, quàm spectris ob memorabilem,
Virtus quam tua præ se
Fert, amicitiam trahor.
Hæc pol spectra levi tempora somnio
Suaviter evinctum sub requiem jubent,
Quei jucundum iter istut
O ACHILLE *redhostiam.*
Festivæ Dryades, quas nemorum colit
Tusca Deas tellus; vos & Oreades,
Quas Florentia adorat,
Collium cata numina,
Me (quid differo?) me quæso remittite

Leniter offlexæ Janiculi viæ;
Hortos unde salúbres,
Aureisque virens citris
Inspectare nemus detur; & Italos
Carmina Lesbóo pangere barbito
Scitos, non sine doctis
Æmularier artibus.
Nymphæ blandisonis Thybrides audient
Vocibus hiscentem; nótaque vatibus
Priscis antra cupitum
Impetrabilis otij
Stratum sufficient, bacchare & herbido
Floris odorati germine consitum;
Floris, quo Meletusa
Fascinum fugat, & meis
Defendit streperum cantibus oscinem.
Fallimur, an lingvis óreque jam favet
Grex optatus olorum
Candidissimus Ausonum?
Inter quos senior, non humili sono
Stridulus, argutum sed similis tuo
Clangorem Venusino,
LVSITANE *volas cycne,*
Fingens dulce melos. Quòd tua si meum
Temperet os mulso Gratia; non ego
Non aut anseris instar
Aut onocrotali crepem.

Digitized by Google

AD M. ANT. MVRETVM.

Cum mitteret ei cantionem quinquè vocum, cuius initium NYMPHA.

VIRGINE pro Musâ Nympham tibi mitto MARC
Exoſculari virginem pudenter [Nympha
Memento, ſuavitatis auceps:
Nam facere hoc impune licet, licet ille virginalis
Chorus Camenarum adſit, adſit augur
Apollo, Gratiæque caſtæ.
Et Phœbus Muſas amplectier atque ſuáviari
Solet pudicê, Gratiasque caſtê;
Ipſamque Cypriam decenter.
Mutua ſi lentus retrahes labra; te novena turba,
Te baſiabit terna, & ipſa Cypris;
Colloque de tuo gravatim
Sarcina pendebunt oneraria; nec, licet reluctans,
Excuſſa quibis tot dare obviorum
Centena millia oſculorum.
Laſſula deſierint ubi numina, baſiorum abunde
Rorem fluentem grex novenus, ipſa
Mulſum omne Gratiæ oſculorum
In latices manante meros tibi ſemper ore linquent,
Venusque nectar omne ſaviorum.
Dignam o rebellione pœnam!

AD PETRVM VICTORIVM.

VT CERVA curſu feſſa, ſub Caniculæ
Flagrantis ortu fervido,

Digitized by Google

Alsa scatébræ, quâ gravem levet sitim,
Rivos salúbres quæritat:
Sic Musa nostra, siccitate siccior,
Morâque longi temporis
Jam fracta, lymphæ pura VICTORI *tuæ*
Toto peteßit pectore
Fluenta; lymphæ, quæ tuis haud secius
Manat perenne ab oribus,
Ac fontis unda limpidi, quam perculit
Divina virga Amramidæ
Ex rupis antro. sicne jam cogar mori?
Sic heu sub Orci pallidam
Mittar lacunam? non ibi me Tantali
Exßectet amnis: non ibi
Lethes amara fæculentæ pocula,
Nigrumve Cocyti bibam
Sulphur, picisve luridæ carchesia.
Non hac pianda mors mea est.
Pœnâ. luant hæc improbi, infortunio
Adversa quos mactet Dea:
Bonos sequatur sors bona. at mi lucidis
Cæli recepto sedibus,
Candente quâ liquore flumen lacteum
Irrorat igneas faces,
Fauces rigentur aridæ. Prælacteo
Illo Deorum flumine
Fons Hippocrénes sordet, & sordent aquæ
Mentitæ aquæ Permeßides.
Tum cor refectus, debilique alacrior
Prendam vel Orpheæ lyræ
Sonoræ plectra; concinens, ut vividos
Dei miniſtret filius

Amnes catervæ ſegregi fidelium ;
Quos qui ſit uvertim potis
Hauſiſſe , nullos is polunquam ſentiat
Siticuloſæ anhelitûs
Linguæ ; ſed eiusdem ſcatente fontium
De ventre manent ádfatim
Latices beati. Da precor , precor PETRE
Tales ab undante éxcitos
Potûs canali : Muſa nullam poſtmodum
Te poſcet arens hydriam .

AD HERCVLEM CIOFANVM.

INTER præcipui valoris
Monumenta , CIOFANE,
Romæ viſa mihi , nil equidem meos
Plus oculos animumque pavit ,
Quàm Vaticanæ priſca volumina
Bibliothecæ .
Debetur memor , ob librorum
Avido exhibitam dapem ,
RANALDIS *merito gratia fratribus :*
Quos volo perpetuum vigenti
Humaniores ornet in exterum
SVLMO *coronâ .*
Antiquas alij ſtupebunt
Statuas , vel imagines
Truncâ nare , ſitus quas veter obruit.
Sunt , quibus effigiata miris
Oſcilla monſtris complaceant , opus
Non ſine ſumptu .
Nos contra , ſimulacra viva

Digitized by Google

Charitum atque Aganippidum,
Miramur ſtudiis corda reconditis
Apta operisque laborioſis,
Nullis tacendos temporibus viros;
Qualibus ætas
Ad Thybrim neque doctiores
Hodierna, neque adſpicit
Ornatos magis, aut ingenij bonis
Pluribus eximios. Creatus
VRSORVM *alumnō ſtemmate Fulvius,*
ANGELIVS*que*
Bargæus, columen Pelasgæ
Latiæque poëſeos,
Haud poſtrema tenent; tu neque Marce, cui
Barbara MVRVS *ahenus arcet;*
Nec Luſitani nomen ACHILLEI
Vltima cludit.
At cui te memorem ſecundum,
Calabri patris Ennij
O SIRLETE *ſagax & popularis, &*
In veterum penetrare chartas
Nec lentus hoſpes, nec Genios catax
Quærere priſcos?
O quis me reducem ſub alti
Adytum Capitolij,
Seu Laurentia delubra, Penatibus
Siſtere rite tuis; quis intra
Conciliati quit propylæa ſub-
mittere tecti?
Ad palatia ductitatum
Tua me voluit quidem
Peligni digitus promptior Herculis;

Digitized by Google

Sed (liceat mihi vera fari)
Aurora tantæ ſplendida purpuræ
Tam radioſo
Fulgetro radiantis abster-
ruit. Ecquis enim jubar
Solis flammivomâ lampade fulgidum,
Impavidus licet, irretortis
Obnixê ocellis adſpicere eſt potis?
Adde pudorem
Muſis ingenitum, vetabat
Pudor ille ſub aureos
SIRLETI *inſolitum ferre pedem Lares:*
Advena namque potentiorum
Sæpe erubeſcit tangere limina,
Moris inaudax.

AD ACHILLEM STATIVM.

VT *vivis, ut vales* STATI,
Fervidos æſtûs
Magis magisque
Accendente Sirio?
Leo protervus ignitam
Ventilat caudam,
Jubæque villi
Scintillas vibratiles
Torquent. vides, ut ex limis
Flammeum fulgur
Proſultet hirquis?
Areſcunt malâ ſitis
Herbæ; fatiſcit omnis flos;
Languet heu thyrſus:

Digitized by Google

Hiant Napæ,
Exſucca eſt Hamadryas.
Pales Ceresque cum Baccho
Humidum implorant
Vix ſemivivi
Præ calore Vejovem.
Aura o beata, mi paullo
Alſius ſpira,
Geluque miti
Sidus acre tempera.
Vt cera liquitur pallens,
Sive Vulcani
Seu Solis igne
Infeſtata torrido:
Sic uſtulata, væ, ſenſim
Diffluit noſtri
Medulla cordis,
Ad binæ faces feræ.
Maligna monſtra, terrarum
Annuæ peſtes,
Parumne ſaltem
Aut nihil remittitis?
Ceu teda, flagro; ceu fornax,
Ardeo; fornax
Bituminoſum
Pingue avara lambere.
O (namque diffugit vita)
Si qua te cura
Tui Meliſſi
LVSITANE *nunc habet;*
Hauri (quid ambiges?) hauri
Mox caballini

Digitized by Google

Fontis liquorem,
Corque adſperginis ſacræ
Refrigerans riga lymphis.
Res pia eſt, ultro
Reſtinguere atrum
Ardentis caſæ rogum.

ÁD PICCOLOMINIOS.

Si qva eſt adeptæ laudis adoreâ
Præſignis urbs aut gens, in Hetruriæ
Educta verrucis amœnis,
Comis alumna novem Dearum:
Pol veſtra gens eſt, o genialium
Sanguis parentum PICCOLOMONIDÆ,
Veſtræque SENÆ, *Gratiarum*
Deliciæ, decorisque Tuſci
Vernans voluptas. Quot celebres viros,
Quotque erudito pectore præditos,
Virtute & illuſtres avitâ,
Vtraque ſæpe tulit feretque!
Hos inter inſignem exſeruiſſe ſe
Fulgentiori vertice SILVIVM
Quis neſcit Æneán, ut aſtris
In reliquis oriens Orion
Solet, micantis tegmine baltei
Coruſcus? at (ne commemorem morans
Omnes) ALEXANDRO *Patrarum*
Præſule, quod decus arrogatum eſt
Vobis, & orbæ ſidere patriæ?
Quæ canna dignè ſcripſerit illius
Laudes? quis orator diſertè

Digitized by Google

Fabitur eloquio potentem?
Quisnam ore vates melliſluo canet
Vatem, ut meretur? Vos, quibus áffatim
Aſſueta inexhauſto Labori
Pieris ora canora dulci
Liquore fontis Caſtalij rigat,
Suavisque Peitho flexanimâ dedit
Mulcere dias voce mentes;
Dicite docta cohors, ut illum
Secundiori Pallade próſatum,
Farique Tuſcis eximium ſonis
Interpretem clararit almæ
Judicium Sophiæ, ſtylique
Purus character. ſcilicet ex ſui
Stagira civis fontibus hæc ait
Perenne derivata ductu
Flumina limpidioris undæ
Manare, numquam deſtituentia
Curſum; ſed ultro prona, fugâ ſui,
Indefatigatas ab antris
Prolicere ſcatebras Achivis.
Tantum poteſt vis ingenij ſagax,
Quod vivido Horme traxerit impetu:
Horme docendorum magiſtra,
Atque eadem bona diſcipline
Miniſtra, Technes filia candidæ.
Hæc nuptui quondam Encephalo data
Fratri Minervæ luculentæ,
Omnivolam peperiſſe fertur
Intaminato ſub cerebri tholo
Noëſin unis partubus, & ſuam
Gemellam Epiſtémen; utramque

Digitized by Google

Artibus ingenuis politam,
Vtramque linguâ plus quoque ſimplici
Loqui peritam. cognitio omnium
Hereditatis jure privo
Poſt utique ad facilem repertu
Lata eſt Alexandrum. O caput, artium
Penu bonarum, morte quid occubas,
Manes profundos atque furvæ
Regna petens taciturna Noctis?
An comitatem, quâ nituiſſe te
Videre Muſæque & Charites bonæ,
Sentiſcet Vmbrarum ſeveris
Turba pedes religata vinclis?
Ah, non mihi ſit credere eatenus,
Tam lucis altæ nuper imaginem
Iviſſe ſub terras caducam:
Ni per inane prius levatum
Te Veſperugo tranſtulit ad domos
Secum aut Sabæas aut Nabatheïas.
Tu quippe, Tithoni viéto
Corpore inutilibus ſenectæ
Marcente ab annis, iamque diu ſuæ
Obire gnarum munia regiæ
Quærente præfectum, modò audis
Memnoniæ moderator aulæ.
Quo purpuratis cumque gradum rotis
Pudenter Eos fert Hyperionis,
Sectare (nam fas eſt) ad ipſum
Aureoli penetral cubilis.
Princeps eidem candidulas manûs
Exoſcularis, dum roſeis labris
Mandata Phœbo, ſeu Jovi, ſeu

Mercurio Dea perferenda
Jubens, amicê te capit arbitrum
In consulendo. Nunc age victita,
Divis propinquus, mustulento
Nectaris ambrosiæque dono;
Novisque cælestum indigitarier
Consuesce vocum nominibus senex.
O si vel hæc haurire saltem
Aure levi cupido liceret;
In codicillis singula cédrinis
Scalpro notarem fixa adamántino,
Haud in palimpsestum scabratum,
Aut bibulum philyræ cucullum
Relata. verùm tu mihi cælitus
Imbrem canenti nectareum applue,
Guttis ut adspersum minutim
Mollibus hoc melos, euge, melli
Gentilibus sit PICCOLOMO *tuis;*
Serosque tecum perpetuet dies
Vivente semper, fama vestræ
Laudis ut omne viget per ævum.

AD M. ANT. MVRETVM.

ABSTRVSAS *specubus feras*
In saltu viridi, vidi ego somnians
Circùm dispositis plagis
Captantem, catuli non sine naribus
Vmbri. parte aliâ, tenax
In viscum volucres oscine simplices
Illectante, latusculum
Auceps frundiferis, insidiarum amans,

Digitized by Google

Involvebat amictibus.
Illum bestiolæ suffugere, hunc sequi
Sudi filiolæ aëris.
Hæc cernens, Dubium me & crepera vicis,
Inquam, qui fugio procul
Quæ sectanda; sequor quæ fugitanda sunt!
Frustra venor honorum inops
Præsignes titulos, quos mihi forsitan
Spes obtingere posse sit
Nulla usquam, nisi Fors obtulerit bona
Nembrodi similem manum;
Quâ venante cadant singula prosperè, &
Casses advena præda non
Frustret. Ludibrio est occipiti levis
Diva, quisquis iners comas
Prensare explicitâ fronte volubiles
Sic neglexerit. interim
Errans illa, globumque instabilem rotans,
Vertit vela retro, bonis
(Quamvis cæca volat) invidiosior:
At demens nihilo minus
Fortunare malos ocyus occupat.
Tu (nam deseruit fretum,
Et terras habitat, te propius) lubens
Mi MVRETE *rape o rape,*
Quos Occasio fert obvia, mutuo
Cum molimine CASTANÆI,
Opportuna dierum, & celerem fugam
Imperterrite lubricæ
Interclude Deæ. retia perticis
Tendens fulta fidelibus.
Stent juxta calami glutine viscido;

Queis

Digitized by

Queis implexa vibratiles
Cincinnos, tremulis motibus hæreat,
Alas concutiens vagas
Nequicquam, & miserê deproperans viam,
Quâ festina protervitas
Expertem innocui consilij trahit.
Exptæ quo minus imperes
Quantumcumque velis, quis vetat? Annuet
Vltro scilicet, & tuo
Me voti faciet nomine compotem.
O quâ tum celebrem lyrâ
Cum Faunis Satyros, quidquid & Antias
Lucus gignere numinum
Antiquo potuit rite sacrario!
In primis memorabilem
Præbebit tibi se Pan Tiberinus, &
Antistes, Laterana cui
Parent Romulei jura palatij.
Si quid scitis haruspices
Veri, quod lateat; si quid & augures
Non falsi; in medium precor
Huc adducite. nam Cres quoque perperam
Quæ præsagia dixerat,
Eventus, minimê vana, dabant suos.

AD CAROLVM SIGONIVM

SENIS relictis, quam lubens urbem incolo,
Pulchræ smaragdum Tusciæ,
Quum me rogassent optimi juvenes duo,
Amœnam ituri Felsinam,
Vt aliquid ad te litterarum tempori

Digitized by Google

Docte o SIGONI *scriberem:*
Manus papyrum læva, pennam dextera
Vt sumpsit, hocce quod vides
Visa exarare est. nam salutabunt meo
Te plurimum illi nomine,
Simulque (commodo quod o fiat tuo)
Vel quattuor per otium
Tribusve saltem versibus respondeas,
Tuam obsecrabunt Gratiam.
Tu singulari comis amplexaberis
Humanitate, quâ soles;
Musis amicos, ac dehinc HÆNZELLIOS,
Suevorum in urbe prósatos,
Vlyssis ALDROVANDI *in argutos Lares*
Duci jubebis, tot feras
Pisces avesque, genus & omne denique
Visum, quod illius sacrum
Muséon ornat, cum metallorum strue,
Plantisque & aliis plurimis,
Quæ diligens vir ille non deperditâ
Collegit operâ tam diu,
Tamque eleganti servat istæc ordine;
Scriptis & illustrat suis.
Hoc impetrato, mi SIGONI, *tot tibi*
Debebo grates reddere,
Quot ALDROVANDI *continent vivaria*
Avesque pisces que & feras.
Parum est? omissorum usquequaque suppleant
Faxo Melissónes vicem.

Digitized by Google

AD REINHOLDVM HEIDENSTENIVM REGIOMONTANVM.

RHENOLDE *montis laus nova Regij,*
Gnara beati glutine succinæ
Glessoque odoro; quâ profundis
Stagnat aquis pelagus Borussum:
Quid lentus algas Hadriacas teris,
Post visa Romæ tot monumenta, post
Lustrata pridem semibéræ
Mœnia Parthenopes; & illis,
Vtrumque littus quas habet, urbibus
Felice tactis calce? Vocat, vocat
Te pulcher undis Abduanis
Larius, indigenisque pulcher
Nymphis Lemannus; non ut ibi diu
Morere (quamquam, si libeat morari,
Ecquis vetabit?) sed per urbem,
Quâ Rhodanusque rapax, Ararque
Miscetur undans, Gallide nobilem
Merce, expeditis cursibus impiger
Ad jure consultissimorum
Principem iter generose pergas.
CVIATE *linguâ gnaviter audies*
Fas explicantem? quâ laqueos manus
Griphosque reddentem abditarum
Legum (opus acre) citò exsolutos
Cernes? Aper non sic Calydonius
Rupisse tentas dente ferox plagas
Narratur, Ætolâ severam

Digitized by Google

Cuſpide præmeditante plagam;
Vt caſta turbæ retia Barbaræ
CVIACII *vis maſcula diſcidit*
Immane adurgens, beſtiamque
Barbariem dedit interemptam.
Olli recentem jam Biturix ſacrat
Aram, trophæo fultam adamántino,
Diæ ſacerdoti Themiſtos,
Non ſine odoriferis acerris.
Quis propter adſtat, tura adolens focis
Flammâ coruſcis? SCALIGER *an meus?*
Flos ille vernans doctiorum
Scaliger, Aonidumque ocellus?
Hic eſt, hic alto ab ſanguine principum,
Verona queis & Sirmio parvit,
Suavemque Benácus receſſum
Præbuit, atque Atheſis receptum.
Ito, & coævo nunc age nuncium
Portato, treis ut jam tenear, licet
Invitus, æſtates petulcis
Hoſpes in Italiæ Lycéis.
Deſideranti viſere Celticam
Terram ſecundo, ſi pote, in otio,
Et ſomnianti nox diuque
SCALIGERI *ſimulacra vultûs,*
Oſtenta miris effigiem modis
Subdunt amicam. contuitu fruor
Illíus, ac ſermone, grati
Nectaris ambroſiæque pleno.
Tantiſper o ſi fata ſuperſtitent
Frontem eruditam; dum mihi ſoſpiter
Coram tueri fas ſit ambos,

Digitized by Google

Nobile par ſociûm Minervæ ;
Dextramque dextris jungere mutuis :
Quâ delibutus lætitiâ jecur ,
Quâ rite vinctus candicantes
Frunde comas , agerem triumphum ?
Quod hora præsens abnegat , id (modò
Durare poßis) ſponte ſuâ dare
Futura ſuevit ; temporique
Semper , ait mora , ſerviendum .

AD PETRVM ANGELIVM BARGÆVM.

DOCTORVM ſtudio flagrans virorum ,
Atticæ paraſitus eſcæ
Scire ex te cupio , cupitque mecum
O BARGÆE *Minerva noſſe*
(Si me ſcire modò , aut meam , quod ipſa
Rogat , noſſe velis Minervam)
Quos Oenotria veſtra nunc poëtas
Graiis éducet aut Latinis
Decoros numeris . Senex (amabo)
Periti ßime non peritum
Informare libens minoris ævi
Suſtine juvenem . Negares
Hoſpitem indigena hoſpes inquilinum
Edocere , quibus vigeret
Tellus Itala floribus , vigori
Priſco juppiter invidendis ?
Sed & Pieriæ decus caterva
Feminas memini erudito
Adſcribi ſolitas gregi ; quid iſtæc
Ætas fert , quod ad abſolutum

Digitized by Google

Accedit Latiaris artis unguem?
O mihi liceat poëmata
Admirarier extero, Maronem
Exprimentia Mantuanum
Heroi pedis altiore versu,
Argutasque fides Horati!
Tu verò quid habes, amice Musis
ANGELI, *Genio approbatum*
Æterno, quod in hoc & alterum exstet
Vivax, ulteriusque sæclum?
Si non abnueres, ego hercle navê
Curarem tua cuncta bellis
Excudenda typis, domum reversus
Ad Franci vada læta Mæni;
Id quod nempe bonâ tibi ipse coram
Recepisse fide recordor:
Germanos tibi maximê faventes
Hac in parte etiam beares.
At cur non faciles mihi repertu
Lux serena tuos, sub horam
Discessûs, dedit expetita gressûs?
Valedicere nam volebam
Tam docto capiti, Remi relictâ
In Tuscos abiturus urbe:
Quamquam spero brevi dehinc futurum,
Rursus ut Tiberinus amnis
Istic me tibi jungat, optimarum
Artium ingenuo parenti.
Ah! brevi fore dixerim? quot Arnus
Tyrrhenum in mare volvet undas
Prius quàm celebres amœna SENÆ
Diversoria commorandi,

Digitized by Google

Aut FLORENTIA *pulchrior retrorsum*
Ire me pàtiatur? Adde
Quòd PISAS *veteres, quòd his propinqua*
LVCÆ *mœnia geſtio cum*
Primæ cernere hirundinis volatu.
Interim tua fac legamus
Aut epiſtolia, aut recentiores
(Ad quas te volo provocatum)
Odas, aut Epigrammatum venuſtos
Attico ſale mille lusùs.
Tam gratas mihi colloquutiones
Scito proinde tuas futuras,
Ac ſi me Clarius ſuis amicê
Compellaret Apollo dictis:
Immo, nec dubitato, gratiores
Multo, quàm Siculis fuiſſe
Methymneïa plectra, quos amorem
In ſui fidicen canoris
Ille traxerat oribus, putandum eſt:
Ille inquam fidicen, repando
Piſcis tergore poſtmodum marini
Vectus Tænariam ſub actam.
Quare ſi quid amas meos ſonores;
Senti prolubiumque grande
Ac deſiderium tui emerendi
Ingens, quod mihi flamma verax
Subjicit penitiſſimis medullis.
Hoc certê (mihi crede) tanto
Te flagrantius ardet acriusque,
Quanto tu melior poëta
Omnium nitidiſſimê politum
Linguâ carmen utrâque condis.

Digitized by Google

AD MARC. ANTON. MURETUM.

VIDES, ut audax in temerarium
Ruam pudorem, spernere fortior
Sinistra si quid MARCE *portet*
Sors, comitata gravi procellâ.
Repulsa durum, quo nec acerbius
Nec ulla peius res tulit uspiam
Feretve. tam crudis amari
Morsibus exstimulant acóres
Cor altâ adactum cuspide. Saucia
Mihi cruento vulnere verticem,
Novemque trux infligе plagas
Tergore; pertolerare neutrum
Iniquiori sustineam vice
Malum. cicatrix, Æmoniâ manu
Salúbre sentit: sola morbi
Non amat artificem repulsa.
Simul memordit lingua nocentior
Vel immerentes, aspidis æmula;
Virus nigri ilicet veneni
Occupat omnem animæ medullam.
Tuum, tuum est o, si quid amas, uti
Amas, Melissum, fortiter hosticam
Recellere Aten, obviando
Et manibus pedibusque contra.
Bene advocatus, numinis instar, ac
Dehinc colendus, ceu pietas jubet,
Feret reluctantes ministrâ
Suppetias ope CASTANÆUS,

Digitized by Google

Sagax rebellem viribus ingeni
Domare turbam, non tacitus pugil;
Vti nec athletam silentem,
Nec timidi arguerit lacerti
Virile gnavi te decus arbitri,
Vel acre robur militis integri,
Capessis en MVRETE *doctæ*
Intrepidus Latia arma linguæ,
Ducumque regumque oribus imperans,
Labrumque Panos Romulei sono
Regens diserto, procitatum
In mea vota precesque vestras.
Vt hæreo! o quem nunc mihi nuncium
Rei bene actæ sidere prospero
Remittis aut tu lætè præco,
Aut hilaris tuba CASTANÆI?
Petita telis caprea Gnossiis,
Opis benignæ non ita gestiet
Egena, Dictamni repertis
Frundiferâ foliis in Idâ;
Vt ipse vestris auxiliis humo
Levatus, ægri quidquid habet lien
Dolore pænè exulceratus,
Quem generat tumor, immederi
Amabo. sed quid læva præominer
Procax haruspex? Omine dextero,
Secus quod in Fatis veremur
Esse, Jehova potens secundat.

Digitized by Google

AD CHRISTOPHORVM SCHILLINGVM SILESIVM.

TANTANE *te cupido, &*
Ardor inceſsit vehemens, ut thalami venuſtâ
Inter antra compare,
Suaviſsimisque liberis relictis,
Heſperios adires
Limites; ſpretorque Laris lentior emaneres
Patrio procul foco
SCHILLINGE? *nil pol improbo labori*
Parcere pluri isve
Sumptibus curisque memor, nil metuens pericli;
Quod vel angue vafrior
Qui forte vitat, inſcius ruendo
Sæpius experitur:
Nauta ceu Syrtes fugiens Danubij ſtrepentes,
In voraginem incidit
Gyris rotatâ puppe vorticoſis.
Mi quoque calcar acri
Exteras gentes ſtimulo mirificum videndi
Concitarat impetum.
Prurigo fervens involantis æſtri
In Latium meâpte
Sponte currenti celeres addère viſa pennas,
Deque lenis Albulæ
Rigare guttur uvidis aventi
Roribus, unde priſcos
Muſici ſedaſſe chori crede ſitim poëtas;
Non remiſit ante, quàm
Plenis ad auguſtum exſoluta Thybrim

Digitized by Google

Redliderit diotis
Vota: me propter licet haud lugeat ulla Nymphe,
Deviis in orbitis
Errantem, & oræ luſtra pervagantem
Oxoniæ, tameſi
Inviæ immunem rigidæ, ſervitiique duri.
Aſt habemus & domi,
Vltra quod Alpes quærimus moleſti:
Si bona noverimus
Noſtra Germani. Perit heu tempus, inutilesque
Fors & ipſe perdidi
Horas, adhuc nil optimo CRATONE
DVDITHIOque *dignum*
Lesbiis pangens numeris; quos hic, amiciorum
Vnus, ore perlegat
Aut ille docto, qui tibi auguratæ
Nobilitatis arma,
Cæſaris geſtanda ſacri nomine, contuliſſe
Prædicatur. At tuis
Vtrique metris nomen arrogatum
Vivere tunc putabo
Deſitum, quom Graia mori tot monumenta, chartis
Subter alta pulpiti
Sciſſis malignè fulcra, ſuſtinebunt.
Tot monumenta, dico,
Queis Nicer, queis Albis ovans, queis Viadrus ſuperbit
Te canente, & hinc trium
Siſtente preſſos amnium meatûs.
Quodnam age cultiores
Litteris doctus animos gymnaſium educavit,
Id niſi eſt, quod ab viro
Illo perennis hauſit orſa famæ,

Digitized by Google

Cui nigra terra nomen
Fecerat? ſub quo variis pectora diſciplinis
Eruditus, uſque eo
Sollerte curſu progredi laboras,
Vt tua mox alumnis
Presla, poſt Hirsberga ſuis accierit magiſtrum.
Dein quoque in novam ſcholam
Ambærga legit; inde Myrtiletus,
Florida Myrtiletus:
Heic ubi ſeptem (memini) continuos per annos
Strenuas adultior
Hippocratéo dans manûs ERASTO,
Pæonias ad artes
Tam ferebaris cupidê, nullus ut æſtus unquam,
Nulla bruma frangeret
Cuppedinem iſtam. ſic calente quondam
Curſor equus ſtatutos
Fertur ad metæ ſcopulos poplite, nec quieſcit,
Donec adlucrarier
Certarit ipſa dona præmiorum,
Poſt ſua terga longê
Vngulis fruſtra ſociis quadrupedum relictis.
Sed nec hoc ſatis, niſi
Et præbuiſſes Italis propinquas
Perſtudioſus aures:
In quibus famâ celeber MERCVRIALIS *ille,*
Alter Æſculapius,
Locum tenere principem meretur;
PICCOLOMONIDES *que*
Ille, cui totam Sophiæ Pallas haruſpicinam
Ceteris ſagacius
Callere donat, intimæque veſci

Digitized by Google

Notitiæ medullâ:
Quâ situ plano Patavi lambere prisca secto
Gaudet amne mœnia
Brentana Nais; quâque Teuto plantas
Floriferi sub anni
Vere GVILANDINE *seris, delicias Napæis;*
Stirpisumque millia
Tot obviarum cœtui recenses,
Auctor idonearum
Vocum, & erroris dubij regula, veritatis
Norma. quâ probè nisi
Rem metiamur, hæsitans quis inter-
Noscere vera falsis,
Certa ab incertis poterit, ambiguisque justa
Separare? Quàm diu
Multumque sæpe rebus in pusillis
Mens animi vacillat!
Quàm diu multumque fugax, in varios trahendo
Ambitûs, scientia
Eludit ore sciscitantem inani!
Crebrius ab (quod usu
Vênit & summis) alias reddimur, ac putamus,
Multo ob infrequentiam
Incertiores. Proin tenoris ergo,
Quem tibi persequendum
Duxeras SCHILLINGE, *vires in medicâ peritos*
Arte, quâ secas iter,
Et præter omnes dædalam catervam
Partheniis in hortis
Alloqui festinus amas. inde reversus, urbe
In Quiritium moram
Facis secundam, cumque pluribus quam-

Digitized by Google

Plurima voce vivâ
Sedulus confers. itidem Félſina factitantem
Vidit, artium parens;
Videre Senæ, Gratiarum alumnæ:
Audiit Arnus ipſe, &
Fluminum rex Eridanus; ſcilicet audierunt
Hadriæque & æquoris
Tuſci Deorum quisquis humet undis.
Famque (quod o bonum ſit)
Galliam verſans animo, quos Podaleiriosque
Et Machãonas tulit
Benigna montis aura Peſſulani,
Conſuluiſſe geſtis.
Vt per Inſubres, Genio non renuente, doctus
Cum peritioribus
Ticinus ipſe colloquutiones
Texier obſtupeſcet!
Aſt ubi gratum ſibi te non Baſiléa frugi
Invidebit hoſpitem,
Aut nil, quod obſtet, ingruet ſiniſtri;
Vix erit, ut politus
Ante nectendæ capiti laureolæ decórem
Vsquam abire te ſinat
ZVINGERVS. *Ecquis alter ille, cuius*
Munere tu Lycéi
Nobilem exſultans hilaris auſpiciis cathédram
Et premes, & indidem
Oratione te tuoque dignâ
Ordine, Microcoſmi
Entheas florentis opes ſplendidus explicabis?
Fallor, an Valentia
Te reddet ultro compotem ſupremæ

Digitized by Google

Æmula dignitatis?
Ecce te vultu Rhodanus liberiore poscit!
Ecce Rhenus aurifer
Ad gratulantium plena labra, plausum
Lenior evidentem
Tollit arrectus strepitans cornibus! Ecce colles
Sibilante personant
Aurâ, tributæ conscij coronæ!
Protinus & vireti
Fama pervadens aditus Elysij, sepultæ
Vela nigra conjugi
Demet, stolaque candidos amictus
Induet. Euge noster
Euge vir, desiderium dum licuit maritæ;
Gratulor tibi, inquiet,
Novos honores. Spiritu propinquans
Ecce patri sub ædes
Ire in amplexum reduci pignora cara cerno!
Tu viæ, o Apollini
Dilecte, quidquid restat inchoatæ;
Confice mente sanâ,
Sospitans orbas animas. vos at hero recepto
Limina o Penatium
Gaudete, tuque Lar Genique gaude.

AD IANVM IACOBVM BOISSARDVM.

BOISSARDE, tanti est nulla propinquitas,
Nullusque fratrum seu patruelium
Cognationis sanguis, inter
Sese animo propiore junctus:

Digitized by Google

Quanti bonorum est inter idoneam
Consortionem mutua pectorum
Dilectio, & constans fidesque &
Mens Boreæ temeranda nulli,
Nullis procellis. Mobile dum vides
In factiones ambiguas rapi
Mirere vulgus, disparive
Alterum in alterius propinquo
Sævire fato viscera? Promior
Plerumque nunc ad pessima pessimos
Concordia armat, optimosque
Improbitas premit, invidusque
Livor cruento fœdere proximus.
Vbi locorum pectora & ora (dic)
Sincera quærendum atque aperta?
Aut ubi fraudis inops, solique
Dicatur expers furva Calumniæ?
Domos migremus suadeo ad inferum
Antichthonum orbem. sed profecto
Illa novos prior accupabit
Lues Penates. ni prius occupet.
Tamen sequetur tam subito hospitem,
Quàm Solis occasum remoti
Nocte ruente sequuntur umbræ.

PAVLI

Digitized by Google

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORVM LIBER SEXTVS.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

CVM peregrinator poteram trieteridas antè
Quattuor, ex Brabantidos orâ
Finibus aut Gallûm solvens, & trans mare vectus
Oceanum, lustrare Britannos;
Ac vultûs Hera magna tuos aulaque decórem
Mirari, simul omniumque
Et Cantabrigiam, vestri duo lumina regni,
Visere, Pieriaque caterva
Junctior esse, tuasque unâ celebrare perenni
Commodulans cestudine laudes:
Cursibus invidit nostris Fortuna locorum
Et varia & mutabilis usque,
Et temere inconstans, Casu comitata sinistro

A 6

Fratre Vicis, Proteique sorore.
Nec non insanâ rabie furiare Gradivus
Pectora atrox, hostilibus armis
Atque inimicitiis intestinoque tumultu
Degrassatus in omnia passim
Obstruxitque vias, aditumque occlusit iturо.
Vidimus in cinerem isse cremando
Oppidaque pagosque, & contemerata Deorum
Fana ruisse, Deosque fugatos.
Vidimus undantes profuso sanguine campos,
Immeritosque ferocibus ausis
Supplicio addictos, atram (miserabile) sortem
Et crepera discrimina belli
Civibus in cassum deflentibus. An mihi sana
Per gemitûs tristesque querellas
Vulnera reddiderit dolor? an liquor udus ocellis
Nymphārum qui plurimus exit
Fluminis in morem, cum femineo ululatu
Et rigido præcordia sæpe
Percutiente ictu, vesanæ incendia flammæ
Vberibus restinxerit undis?
Iampridem elapsa metuenda pericla latronum,
Portuno sacravimus aram.
Nunc Veneto fruimur cælo, magnamque Quirini
Senensemque reliquimus urbem,
Euganeûm ad colles, Aponique calentia lutra
Cum POLEMO *sociisque reversi:*
Et modò Braianis, modò delicias Arquati
Vere novo gustare solemus.
At desiderium, quo citore longius absum
Angliaco, hoc vehementius urget
Ac coquit interna accenso corde medullas;

Digitized by Google

Speque animum meliore ſerenat,
Adfore tempus, uti cernam tua regna, tuique
Nominis, HEROINA, *frequentem*
Elogia & Laudes, ſemperque manentis honorem.
O utinam Thameſinum apud amnem,
Iſt reparata meæ pauciſſima cornua Lunæ,
Inſula me tua corpore ſalvo
Spectantem videat orientia lumina Solis,
Auroræque tuam adſimilantem
Divinam faciem: quid me felicius uno,
Teque foret celebratius unâ?

AD FERRANDVM AMADIM, COMITEM PALATINVM, EQVITEM AVRATVM.

CLARIS *perenni laude nepotibus*
Si qua eſt, adepti nominis ob decus,
Avos recordandi voluptas;
Nempe tibi eſt, AMADINE *ſanguis*
FERRANDE, *maiorum eximiis ejues*
Prognate factis, cum grege liberûm
Toto, Palatinique juxtâ
Indigitate Comes theatri.
Hunc ſumma quarti gratia CAROLI
Vobis honorem, cum titulis ſimul
Vſique recto detuliſſe
Nomine Cæſareo gerendum
Abhinc duobus ſcilicet ampliùs
Sæclis, ſigillo & pollice proditur,
Fideque dignis ac probatis
Teſtibus, imperij columnis.

Digitized by Google

At non, ut istis vos frueremini
Soli, tributum Cæsaris incliti
Donum; sed impertire posse
Fas aliis foret usque, vestri
Nutu favoris, munia; debito
Nimirum, ut æquum est, imperij in fidem
Illis sacramento obligatis,
Quorum alacris meruisse virtus
Existimatur præmia, non sine
Morum decoro, seu nitido virûm
Splendore. Vobis quippe, vobis
Jus proprium Comites creandi
Regalis (ut res magna!) Palatij,
Et privilegi viribus additis
Suprema jurisdictionis
Consilio duce conferendi
Magmenta numquam deficientia.
Vobis potestas calcar equestribus
Plantis inauratum induendi,
Nobilium & vice militares
Heroas altæ stirpis in ordinem
Inaugurandi; & libera perpetim
Dandi, secundum qualitatem
Muneris officive pacti,
Vtenda justo insignia tramite,
Ceu vera suevit nobilitas. Adhæc
Vobis facultas, aureorum
Jus, quibus est opus, annulorum
Donare; nec non municipes recepto
Adscribere albo rite Quiritium,
De more prisco civitatis.
Quin etiam, o Venetûm perampla

Digitized by Google

Vrbis vetuſtâ civis origine
FERRANDE, *ſummo palmiferæ gradu*
Ornare ſumpſti dignitatis,
Quos ſtudium vigil eruditos
Fruique claros, àrsque probê dedit
Examinatos, quosque peritiâ
Scientiarum multiformi
Dius ſimiles, ſuper ipſa cæli
Convexa raptos Pegaſus aliger
Invexit aſtris; ſeu Themidi ſacræ
Illi, aut profanæ, ſive longum
Pæonis operata curis,
Aut diſciplinæ, quam Sophiæ docet
Magiſtra ſollers, regna capacia
Virtutis æternare ſuerint,
Regna cerebrigenæ Minervæ.
Non tantum in armis vis ſita roboris,
Nec ſola Martis pugna duellici
Clarabit athletam, labosve
Dexter Achillis agens lacertos:
Doctrina præſidium eſt ſine milite;
Doctrina quovis pectora fortius
Stipat cataphracto; diſertæ
Eloquio comitata linguæ.
Vtrumque jungas, qui ſapies, decus:
Vtrique ſolvit laurea debitrix.
Hinc Imperatores ſibimet
Deliciis pretioque doctos
Habere non umquam immemores, viam
Remunerandis ſæpe moleſtiis
Vltro patefecere; non tam
Divitis accumulante quæſtu

Fomentum acervos grande pecuniæ,
Cui maior hominum pars inhiat, lucri
Spe capta (nam nusquam repleri
Quit malesuada fames habendi)
Quàm sorte partis commodum honoribus
Gaudente. Reges non alio modo
Tabellionum judicumque
Constituisse leguntur actum.
Iidem manûs pro lege vicarias
Adesse jussere omnibus omnium
Contractibus sollemnitatum,
Justitio vadimonioque
Patrocinantes, nec nisi Cæsarum
Fixis agentes congrua legibus.
Iidem vel incestis nothisve
Seminibus malè procreato,
Vel ter nefando concubitu patris,
Auctoritatem legitimi satûs
Clementer indulgent, in undam
Dedecus opprobriumque nati
Mersare lenes. vah! pereat scelus,
Contaminatis si quis amoribus
Illustre nomen turpat amens,
Progeniemque domûs avitæ.
Sancire porrò littera præpotens
(Nam quid Monarchæ non valeat manus?)
Permittit infami notatos
Labe potesse redintegrari;
Durisque vinclis annuit eximi
Devota morti corpora proximæ,
Læsæque maiestatis atro
Crimine dissoluisse sontes:

Servosque mutatis miseri statûs
Scisset beari conditionibus,
Et liberali rite causâ
Adseruisse manu redemptos,
Non abrogandis vindiciis. Item
Emancipandi pagina liberos,
Et jus adoptandi viritim
Attribuit, veniamque dandi
Minoris ævi. Sunt alia insuper
Complura vestro scita diplomate,
Ad Vuldavam quod publicatis
Regia PRAGA *notis limiri*
Vidit, Bohemarum caput urbium,
Latê superbis conspicuum arcibus.
Parum est, quod unicuique vestrum
Signiferis Aquilæ birostris
Apponere alas stemmatibus licet,
Gestamen augustum; ac nitidum obviam
Præferre Romano dynastæ,
Arva per Italicas & urbes,
Ensem? parumne est, quòd creperi licet
Luctâ duelli pancratiove rem
Sub Marte controversam aperto
Cernere, vindicibusque plagis?
Omitto demum singula persequi,
Relate summatim o AMADI *in chorum:*
Quippe his recensendis ad unguem
Musa supersedeam monendo
Pervellit aurem. Cetera postmodum
Cantabis, inquit, quum Jovis alitem
Dextro volatu Paule supra
Laurigerum caput adstitisse

Cernes, & æquis numinibus tuâ
Illustris heros annuerit preci,
Quodcumque votis expetisses
Sponte suâ tribuisse largus.
Hæc illa. quin mox sub penetral novum
Stactê fragrantis suave sacrarij
Ducendus, argutamque dulcis
Melpomenæ citharam docendus,
Jam melle linguam tinguor, Ionitâ
Lustratus undâ; & bacchare Delîâ
Frontem renódor, ne poëtæ
Sit melico mala lingua noxæ.

AD IOANNEM ET ADRIANVM AMADIOS, FERRANDI FF.

MAGNE minorque fratres,
AMADINI generosissima
Stemmatis propago,
Columen futuri domûs;
Ecquid in utriusque
Studium rhetoris incumbere
Pertinace curâ
Teneris ab annis juvat?
Ecquid in optimorum
Sophiæ tramitibus dogmatum
Sub bono magistro
Adolescitis? Vos quidem
Sponte suâpte raptos
Alacris semper honestissimas
Indoles ad artes
Stimulat, capessendaque

Digitized by Google

Vtilium reperta:
Magis æstro tamen insignium
Pruriente quædam
Documenta rerum cient
Carpere tritiorem
Ad honores, & in aulas, viam.
Prisca namque virtus
Generis, sereno quasi
E speculo refulgens,
Solita est postgenitûm valdius
Excitare quondam
Animos. sed & non minus
Strenua vis parentum
Propiorumque potis masculum
Pectus acriori
Animare laudis face.
Vt mihi nunc amicum est,
Reminisci bene concredita
Signa Melchiori
SCHEDIO, *meo patruo!*
Signa, quibus ferendis
Validos sæpe lacertos lubens
Prædicavit ipsa,
Rigidissimis Thracibus
Obsidium, Vienna.
Vt amicum est, reminisci insimul
Patrueliumque
Et avunculi, quem Thunes
Africa militandi
Cupidum vidit, at illos Livo,
Heu rapina sævis
Inhiata Moschis; item

Digitized by Google

Hunnus atrox in armis,
Itidem Celtica gens asperas
Trux inire pugnas.
Sed alius hæc sunt loci.
Vos ego facta patrum
Atavorumque, trecentos adhinc
Evidenter annos
Bene gesta, producere
In medium nepotes
Jubeo, non sine præconiis;
Facta digna sanè
Trabe cedrinâ scalpier,
Nec malè sentiente
Cariem, nec latitantes genus
Infidele blattas,
Timeasve rodentulas.
Adspicitisne circùm
Vetere in vestibulo stantia
Liminis paterni
Simulacra, vobis uti
Ingenium politè
Acuant, & tacito numine
Vividum sequendi
Clarios choros impetum
Insinuent? vel unum
Imitari modò sit, cui sacer
Imperator olim
Meritos honores dedit
CAROLVS *ille quartus;*
Pol is exemplar aviti recens
Exhibet decóris,
Specimenque virtutium,

Quas animo ſitate
Genuinâ ſapientiſſimi
Quique metiuntur.
Et enim velut candidis
Oebalidum gemellæ
Radiis ſidera puriſſimo
Emicant Olympo;
Ita veſtra ſe claritas
Ex vegetis coruſcans
Oculorum igniculis exſerit.
Macte IANE, *macte*
ADRIANE *virtute. ſic*
Itur ad aſtra, ſit mens
Genios participat cælitum.
Eia gliſcitote
Superare lauru novâ
Perveterem corollam;
Heliconisque apices, alitis
Inſtar ocyoris,
Pedibus citis tangere.
Auguror. en futurum eſt,
Aquilæ Cæſareæ plauſibus
Mutuis ut ambo
Pariter, nec inglorij,
Excipiantur; ambo
Vigeant, haud inopes maximæ
Dignitatis, atque
Meritiſſimi muneris.
Eia agite o alumni
Charitum, fortiter inſiſtite
Atticæ Minervæ
Latiæque veſtigiis,

Digitized by Google

Caſtalidumque grande
Peramarote decus, ſi modò
Gloriam decórum eſt
Sibi transdere in poſteros.

AD PHILIPPVM RIDESELLVM CAMBERGIVM, EQVITEM MELITÆVM.

NVLLVM meretur nec ſapientiæ
Præconium, nec magnanimæ indolis,
Domi ſedendo ſemper, horas
Segnitie terere otioſas.
Virtus in actum maſcula ducier
Ardet, ſopori non nimium aut mero
Aut luxui indulgere ſueta.
Luxus opes, ſopor ille nervos,
Bacchus Minervam perdit. Inutilis
Ad res agendas fiat oportet, &
Cui temulento nutat impos
Vertice ſenſus, hebetque acumen;
Et quem veternus corripuit gravis;
Et cui medullas inſidioſior
Inceſſit omnino voluptas,
Heu juvenum capitale virus.
Non hisce ventum eſt moribus Inacho,
Eiusque delecto ordine poſteris,
Virtutis ad laudem obtinendam,
Juſtitiæque decus parandum.
Non hisce parta eſt moribus Æaco
Pyrrhisque magni gloria nominis;
Non Auſonum auguſtis Tyrannis;

Digitized by Google

Non Saliis : neque Godefrido ,
Bellatr urbem qui Solymam addidit
Scepiis ſuperbis . Tum viguit tenax
Recti cupído , non libido :
Sobria mens , & imago honoris ,
Non ebrioſi pectoris impetus
Aut faculentum prævaluit neſus :
Chalybs virentem claßicumque ,
Non choreæ , neque pluma mollis
Pubem excitavit , fortia pectora .
Compar ut illis tu fieres viris ,
Quid non ſecundo Marte pulchris
Es RIDESELLE *periclitandum*
Aggreſſus auſis ? quod facinus tibi
Præclarum omiſſum eſt , dum Melitenſia
Contra latrones Thracas armis
Mœnia , flos equitum inclitorum ,
Defenſitaſti ſtrenuus ; & maris
Secura veſtri tutaque navitis
Vtro citroque præſtitiſti
Æquora , non ſine clade Thracum ?
Qualis ferocem in Marmaricas feras
Fremens leonem vis truculentius
Armat , leonem (inquam (tremendis
Vnguibus horribilique rictu ;
Aut qualis urſo pro ſubole hiſpido
Trux ira ſurgit : talis in hoſticas
Flammatus ardor te catervas
Egit agetque animoſiorem .
Servata veſtris inſula dexteris
Feliciorem ſe vetexi Rhodo
Cyproque ſi jactat ; favori

Digitized by Google

Numinis attribuenda laus est.
Vos estis obliquê oppositi fero
Ceu murus hosti. vos remoramini
Pernicis alas quippe fati,
Quoad fieri pote: & ingruentes
Nudo procellas undique vertici
Ingente opum vi frangere pervicax
Durat lacertus, Colchicasque
Persequitur ratibus triremes.
Dij te secundent, o MELITE *ferax*
Heroum, & ad classem expedientium
Sese, & triumphum ex hoste victo
Laurigerum spoliisque captis
Lætê reportantum. O liceat diu
Vobis fruisci tot bona, tántaque
Magmenta consecrare Marti,
Perpete nobilitata famâ!

AD FERRANDVM AMADIM.

Fontis ut vivi liquidum fluentis
Vena, prománans penitis ab oris,
Vsum in humanum scatebras perennes
Ejaculatur:
Non aquas illi Canis æstuosus
Siccat, aut frigens Caper algefactas
Cóngelat, ventusque fragore subterraneus arctat:
Illa sic nullis operum impedita
Sublicis, aut obicibus repandis,
Cæsarum recto bona principumque
Gratia cursu

Digitized by Google

Tendit exſertas animare vires,
Nec propagatum ſine honore munus
Sera derivare per eminentum
Sæcla nepotum.
Vide quæ, FERRANDE comes tribúlis,
CAROLI juſtâ bonitate quarti
Veſtra gens in perpetuum ſtatuto
Poſſidet æquo,
Ceu per extentos laticum canales
Ducta, non cuivis homini, ſed arte
Prædito rarâ, bene ſed merenti
Munera confert.
Hinc fit, ut guſtare tuos liquores
Sit potis, juſtique capax honoris,
Quisquis acceſsit PATAVI inquilinum
Teuto Lycéum.
Te penes donum quaſi humi ſepultum
Haud ſinis; nil invidiâ laboras:
Nam nec obtúras latices, nec averſam
Obſtruis aurem
Cynthio, totique choro ſororum;
Quin nec his, quos præreliquis alumnis
Cynthius totusque chorus ſororum
Cenſet amandos.
En Palatinum comitem Meliſſum
Tu creas lubens, equitemque, qualem
Arma depoſcunt veteris Quiritum
Militiai.
Addis incrementa, quibus tributim
Olim adornari merito ſuopte
Semper illuſtres animæ ſolebant
Vrbe Latinâ.

Digitized by Google

Hunc & in prolem mihi naſcituram
Mittis (ut rarum !) generis decórem :
Haud ſecus propago reſex vigorem
Vitis adultæ
Induit . Jam nec galeam ſecundam
Clathra , nec junctæ diadema gemmæ ,
Nec fluens vexillum agiles in alto
Dedecet auras ,
Liliis conforme ſuis . In imo
Cycnus argutans clypeo ſuſurras
Ruminat voces , quadrifariamque
Dividit oras .
Euge , quàm gratum eſt animo , laboris
Præmium captare moleſtiæque !
Euge , quàm dulce eſt titulorum adeptâ
Laude potiri !
Hoc ob augmentum tibi quid debinc non
Ipſe debebit Genius Meliſſi ,
Sponſor æterno captus arrogandi
Nomine famam ?
Maximis certê benefacta penſat
Gratiis condignê habitis & actis .
Nam quid aut maius gravis auctor aut præ-
Clarius unquam
Edet in lucem , niſi laude dignis
Nomen immortale viris nepotes
Signat in ſeros , celebrisque donet
Munera famæ ?

AD

Digitized by Google

AD IACOBVM ANTONIVM GROMIM, EQVITEM AVRATVM.

QVEMNAM repentè factum
Me cerno? quemnam mutor in Quiritem,
Indutus chlamydem cóccinam,
Bracteolis Phrygiis striatam?
Cui fulgeo monili
Splendente vinctus? cui coruſco fulvum
Enſem? cui gero calcaria,
Luteolo lita circùm obryzo?
En quanta Teutonum me
Stipat corona! quantus Italorum
Grex confluxit ad encomium,
Quod mihi lux hodierna ſanxit!
Lætireor Camillum
Videre talem Romuli nepotes,
Captis o GROMI Veientibus
Vrbis ab obſidio decenni,
Diis patriis Lyæum
Libantem, & aris victimas litantem.
Bellatum mihi contra feram
Barbariem, & Lapithas atroces
Quàm fortiter tot annos:
Nec Arrhabónis ripa adorta ſolùm
Scit tirocinij debitum
Pannoniis ſpecimen ſub oris,
Cum MAXIMILLIANI
Armis ſecundi regia Alba carptim
Tentaretur, atrociſſimi
Præſide capto obiter tyranni.

Digitized by Google

Antiquus ecce mos est
Notis quibusdam dexteras viriles
Exornare: sed & præter id
Cum Telamoniade est Vlysses
Discrimen ille magnum.
Distincta cerni rem statu graduque
Vult natura. Senatorij
Ordinis, Hostiliique regis
Post Romulum Numamque,
Insigne latus clavus, at rotundum
Lunati tegimen calcei:
Aureus hinc equitum Latinorum
Anellus alligator,
Vertente sæclo ferreis abusis:
Certê non secus argenteis
Militum vetus illa primum;
Dein aureis caterva est
Donata jure fibulis. Omitto
Armillas, phaleras, bracteas,
Balteaque & meritas coronas,
Hastasque puriores,
Et cetera arma, roboris decórem, &
Virtutis dare tergum insciæ.
Quid procerum referam inclitorum
Torquata colla? quidve
Si cinniana præmia acritatis;
TRAIANIque paraZonium,
Munere quo bonus ille Cæsar
Suram remuneravit?
Præclara sanê & digna LVDOVICO
Istæc undecimo res fuit
Auctor, ut Ambasiana rite

Magnenta conchulati
Sancire torquis, laude posterorum
Lætus, rex animum induxerit,
Armigeris coryphæus adstans.
Stellata, rege IANO,
Sequuta post turma est domûs Odæna,
Cuius diruta moles jacet.
Adde perisceli dem OEDOARDI,
Qui sertus Britannas
Opes adauxit. adde chrysomallon
Illud Sequanici principis;
Vellus Iasonium PHILIPPI
Dico; eius, unde quincto
Per abnepotes lineam sequacem
Stirps materna trahit CAROLO,
Munere cuius eques crearis;
Fratrique FERDINANDO;
Quo dante, puber laureâ coronâ
Præcinctus caput, ornatus
Ilicet Austriacum Lycéum
Feci, neque indecorê;
Vatesque provocans adultiores,
Divinumque genus Musicos
Cæsareæ decus illud aulæ,
Quid ex utrâque Musâ
Haurire fructûs gnavior juventâ
Posset; non dubio gestij
Edere judicij senatu.
Nam quidquid ars, vel ipsa
Natura menti non pigræ sed ácri
Insevit, studiis dædalis
Exserere hoc generosa tendit

Virtus, amica famæ,
Hostisque probro. Quin & hac videre est
Tempestate, quibus per manûs
Sæpe ducum titulos equestres
Novasque dignitatum
Fas indipisci laureas; eosdem
Evectos aliis utier
Atque aliis in honore signis.
Te Cæsarum potentum
Regumque versatum arduis in aulis,
A primis adolescentiæ
Curriculis, GROMI; *te subinde*
Legatione functum
Multas per oras, teque dimicatis
Et terrâ & pelago prœliis
Fortem animi, teretisque palmæ,
Quis nescit? unde Cæsar
Remunerare debito labores
Non ingratus honorario,
Te gregis ipse sui merentem
Scripsit, pedumque talis
Auro coruscum jussit applicari
Calcar, strenuitatis tuæ
Indicium, gladiique cinctum.
Id quod ratum atque firmum
HENRICVS *alter ille, Galliarum*
Regnator, habet ultro, memor
Ingenij validique Martis.
Idem ipse contributor
Jam canus in me grandiore natu
Ornando facis, ac te exhibes
Dulcis adorealæ ministrum,

Digitized by Google

Inſerviens honori
Pompæque, nullam muſitanti in ævum
Collatos AMADINA *manu*
In Schedium, Schediique prolem,
Cui noctilúca nondum
Mensurat horas, munerum maniplos.
Quis me lætior eſt? quid mihi
Gratius, o veterane miles,
Acceptiusve, quàm te,
Quem ſcita rerum per tot obviarum
Annos experientiſſimum
Cognitio diuturna fecit,
Coram meis videre
Anteambulonem greſsibus, ſariſsâ
Nixum Palladiâ? quo modo
Se pater ipſe tulit Quirinus,
Aut armiger Quirini,
Reddente jura civibus Latinis
Ipſomet, Tyriæ ſplendidê
Conſpicuo trabeæ nitore.
At menſa jam vocat nos;
Jam porriguntur melle ſaccharoque
Cretæo lita condimina,
Líbaque Moſopiis placentis
Electiora: jamque
Cratére pleno, Gnoſium meracum
Exſpumante, ſalutarier
Appeto. proſit utrique; proſit
Et tertio bibenti;
Proſit tribunis, ceterisque noſtri
Actûs nomine præsentibus.
Cernis, ut huic nitidê ſereno

Digitized by Google

Sol faverit diei,
Obscuriore nubium fugato
Velo? cernis, ut acto die
Hesperus irradians amœnum
Claros vibret capillos,
Dissaviator purioris æthræ?
Sed jam te nimium forsitan
Detineo GROMI *garriendo,*
Manumque de papyro
Nugace tolli nesciam fatigo
Frustra. frustra, age, ne sis tamen
Tu quoque; pollicitî reum me
Spera dehinc, ut orsûs
Laudum retextos inchoëm tuarum,
Successu modò me prospero
Invida non spoliabit Ate.
Ne, si cani meretur
Quisquam decenter, tu cani mereris:
Ut pulchrê memori gratiâ
Stent veteris monumenta facti.

AD IMMANVELEM ALLIVM, VICEDOMINVM AMBIANVM.

PRIVABORNE *iterum luminibus tuis,*
Musarum & Charitum o IMMANVEL *decus?*
Quem per tot reducem tædia mensium
Cum desiderio anxio
Mansi? Non Veneti stagna tibi maris,
Non urbs Euganeis proxima collibus,
Nec thermarum Aponi vivida sulphura

Lentas injicient moras ;
Quando te Genius Larque Piquignia
Arcis , te revocant Sumonis uvidi
Nymphæ ; te genitrix , optima feminarum
Aulæ ad munia principum ;
Cui Regina sui masculà debitum
Commisit regimen corporis & statûs ,
Navarræus amor . Fallimur , an domum
Salvus cum repedaveris ,
Incesset tibi mox ardor inæstuans
Lustranda cupido protensus Anglie ?
Non me tam celebris Candia , non Cyprus ,
Non Phæacia divitis
Hortis Alcinoi regia traxerit
Visendi studio ; quàm rapior volens
Londinum , ad solij fulcra Britannici ,
Puris quæ Thamesis lavit
Altor gratus aquis : heic ubi mitium .
Regnatrix populorum arbitrio sui
Leges consilij sancit idoneas
Heroina , Deûm genus ;
Quam nec dedecuit nosse reconditas
Artes , nec piguit lactea rhetorum
Græcorum Latiis reddere vocibus
Verso scripta probê stylo .
Summo nata loco promovet altius
Virtutis meritum strenua ; sed neque
Doctrinæ pretium deminuit manus
Tantæ celsa viraginis ,
Nec vestigia detrudit ad infima ,
Quos sors inferior invidet arduis .
Magnos magna decent . at mediocribus

Digitized by Google

Rebus laus sua non abest.
Tu, qui non generis sanguine proximi,
Sed virtute magis nitier, ad patris
Exemplum, properas; rectius optima
Quæque intelligere es sagax
ALLI. *Macte igitur, macte tuis bonis,*
Et donis animi: dumque vigorem alit
Ætas purpureum; vincere te stude
Ipsum, & Francigenas tuos,
Quâ re cumque potes, quo calor ingeni
Aut industria fert. Non minor est labos
Acquirenda bono digerere ordine,
Quàm possessa tuerier.

AD REINHOLDVM HEIDENSTENIVM.

VIDES, ut aura obryzi,
Indæque gemmæ lucidi colores,
Et quidquid sapit exoticum,
In pretium cadat auctionis.
Merx unaquæque tanti,
REINOLDE, *quanti censet æstimator.*
Illic vilius, heic carius
Venditur aut emitur cylindrus.
At principum monetas
Neque esse constat únius valoris,
Nec formæ similes únius:
Par quota quæque ducum est imago?
Diversa ubique rerum,
Diversa ubique nominum potestas.
Sic passim titulos impares,

Digitized by Google

Dissimilesque per universum
Iovitus experiris
Gradûs. An obscurum est, Britanna si quos
Illustres Academeia vult
Adficere ante alios honore;
His artium magistri
Donare nomen erudita fuerit?
Sicut laus ea nuperrimê
Helvetio juveni tributa est,
Cui celsa saxa gentem
Produnt vetustam. Quid, quòd & magistri
Doctoresque salutarier,
Nil adeó erubuisse nostris
Annalibus leguntur
Ex principali stirpe procreati?
HENRICVM *loquar octavum item*
Signa magisterij tulisse
In Angliæ Lycéo;
Heres ELISA *cui relicta regni.*
FRANCISCVS *quoque rex Galliæ,*
Plurima cui merito bonarum
Renata litterarum
Debet seges, quid ille? nonne ab ipso
BAIARDO, *minor atsi foret,*
Sese equitem voluit creari,
Post Marte concitatam
Pugnam, reclivis fronte sub MELIGNÆ;
Ornamenta simul splendida
Magnificæ sibi dignitatis
Gavisus exhiberi
Gestanda? Nonne & Teutonum dynastæ
Auratum Solymis inclitis

Digitized by Google

Et gladium & petiere calcar?
Quorsum ista? maximi pol
Fecere, quæ jam vix pili putantur.
Pulchrum cuique suum scilicet:
Strenuitas sua cuique cordi est.
Tu, qualecumque & ipsi
Virtute partum strenuo tuemur
Conatu decus, o ne malis
Arbiter auspiciis amabo
Interpretare. Nescis,
Nescis, quid ævo spondeat futuro
Æther, quodve sequenti vehat
Luce dies revoluta fatum.
Oblitus an Jehova est
Arcana, quorum pervetusta Graij
Oracli meminit dignitas,
Et meminere piæ Sibyllæ?
ROMANVS *Imperator*
Cerâ fideli muniat diploma;
Vix dici pote, quantum mei
Feneris amplificarit auctûs.
Dum calcar addit heros,
Heros & addit robur atque vires.
Vires illicium sentiunt;
Illicio vegetatur ardor.
Innatus ardor audet
Tentare famam; fama laudem apisci;
Laus se vincere: se vincere
Cuncta trophæa sibi triumphat.
At nemo puber unquam
Rerum feretur attigisse summam,

Virtutis niſi faſtigiâ
Scanderit a teneris gradatim.

AD IO. MICHAELE MBRVTVM

VTRAMQVE *doctum Palladiâ in ſcholâ*
Linguam, & ſcientem gnaviter artium
Sublimiorum, quæ beare
Corda polo genuina callent,
BRVTVM *ſaluto. qui licet extimis*
In Sarmatarum limitibus, procul
Ab Hadrianæ ſeparatus
Illecebris agat Amphitrites,
Jucundioris non tamen immemor
Nunc creditur mi colloquij fore,
Quod ad vadoſi regna Mæni
Comiter in STEPHANI *tabernâ,*
Præſente ibidem tum CAMERARIO,
Sermone grato texere amavimus:
Cum Teutonas exſul per oras
Finibus Allobrogum relictis
Ad ſubjugatos BATTORIDÆ *tunc*
Se, BRVTE, *curſus ferret laZygas:*
Quâ piſculento fœtus amne
Lambit humum patriam Tibiſcus.
Multas ab illo tempore me plagâs
Seu cauſa Fati, ſeu variabilis
Fortuna caſûs, inquietis
Ambitibus peragrare adegit,
Salutis incertum. haud ſecus æquoris
Sulcans arenas navita lubricus
Jactatur undoſis procellis,

Digitized by Google

Vi furialis Apeliotæ.
Hos inter errorum & creperæ fugæ
Fluctûs vaganti nil mihi ſuavius,
Quàm ſempiternum vatis ultro
ANGELII meruiſſe amorem;
Tarpeia quom me ſub Capitolij
Saxo viderent limina conſulum
Faſtos, & antiquo paratu
Nobile marmor, imaginesque
Vetuſtiorum quærere Cæſarum,
Ex Marte partis non ſine laureis.
Quid ille? nequaquam profecto
Erubuit mihi credidiſſe
Recens ſuorum nata poëmatum
Typisque nondum ſcripta volumina.
Idem reverſuros ab Vrbe
Franciacum poplites in orbem
Perelegantı munere carminis
Eſt proſequutus: munere, publicis
Quod exſtat exſtabitque libris
Semper ad innumeros nepotes.
At tu, POLONI regia cui patet
Herois, auctor magne, quid exigis?
Quæ condis, æternis (ut æquum eſt)
Digna lini monumenta cedris?
Rex bellicoſus materiem ſuæ
Virtutis amplam, non ſine fomite
Sui celebrandi miniſtrat
Vatibus hiſtoricisque doctis.
Idem eruditus judicat aptius
Prudentiusque, ere quid, & ad ſtatûs
Sit publici non obfuturum

Digitized by Google

Emolumenta, bonasque leges.
Audita nobis cor fodiunt ducis
Præclara tanti dictaque factaque:
Cur non & istic Marte duro
Visa geri feriunt ocellos?
Longê sed absum. certê ego Pindari
Vel Dithyrambos, vel numeros graves
Molirer Alcæi, minaxve
Stesichori genus æmulari;
Nihil moratus, queis ferar avius
Pennis in altas ætheris orbitas,
Novum Melissæi daturus.
Nominis ellogium profundo.
Almâ triumphus laudis adoreâ
Ridere gestit, perpetuam & sitim
Accendit in fibris alumno
Pota avido semel Hippocréne.
Atqui futurum rebor, ut unus &
Alter perennem dehinc aquilex novæ
Vestiget undæ forte venam:
Quam nisi reppererit palato
Gratis placendam; pol tamen, inquiet,
Hic celsa celsis gesta poëmatis
Æquare sumpsit, rege quondam
BATTORIO, *domitore Moschûm.*

IN NVPTIAS IACOBI MONAVII SILESII.

BELLAM *& pudicam, dotis & iberem*
Cur non amico Musa MONAVIO
Optemus, integroque vitæ

Digitized by Google

(*Scis etenim*) *ſcelerisque puro:*
Vnde elegantium pignora liberûm
Producat horti, lætifico ſatu
Repullulantis, dulce ſenus,
Augificans genus atque ſexum?
Mites genuntur mitibus; & probo
A patre gnatus, fert ab avo nepos
Laudem; nec inceſti pudicam
Conjugij parit ulcus Æglen.
SVSANNA *adesdum. jam datus annulus;*
Jam dextra dextræ junctа, fidêque jus
Pactum eſt. adesdum, & luculentê
Fac nova nupta novo marito
Permiſſa dones gaudia. nunc tener
Amplexus ambos legitimê decet;
Nunc & columbatim vibratis
Baſiolis locus & cachinnis,
Et quæ volenti deliciæ placent.
Vt implicatâ claviculi manu
Circùm, maritatæ racemis
Palmes onuſtus adhæret ulmo,
Et ſeparari non amat invicem:
Sic delicati brachia conjugis
SVSANNA, *Nympharum Viádri*
Mitis alumna, ſuis lacertis
Innectit urgens, à genialium
Caſtis voluptatum illecebris procul
Ignara divelli. ſed ipſum
Hocce licet, licuitque ſemper,
Et poſt licebit. Mutuus hoc amor,
Hoc inſitorum cauſa Cupidinum, &
Natura demum ſuadet ipſa,

Digitized by Google

Se ſubolemque bene educandam
Servare pernix. Vt mihi nunc foret
Melli, vocatorum agmina civium,
Quos PRESLA *nutrit, teque coram*
Elyſiasque nurûs tueri!
Fortaſsis hoſpes non ego (ut arbitror)
Ingratus eſſem. ſed procul abſumus
Veſtris MONAVI *ſegregati*
Finibus, Hadriacæ propinqui
Actæ, reclivem quâ viridi ſinum
Obducta muſco terra ſub inſulis
Humeſcit, alternoque conchæ
Murice ſumma ſalis lacúnant.
Tecum eruditum CORASII *caput,*
Tecum & ſagaci fronte RHEDINGERVM
Habes; quibus nec cariores
Vlla tulit, nec amiciores
Ætas ſodales ulla feret. Via eſt
Picena teſtis, teſtis & Vmbria;
Albuſque Nar, Thybrisque flavus,
OEnotriæque vadoſus amnis:
Quibus relictis cum valedicerent,
Raptum abſtulérunt me mihi, nec palam
Non involatum jure privo
Hunc Genium ſibi vindicarunt.
Quin carmen amborum Auſoniis modis
Attemperatum legerit aureus
Hymen, tuarum nuptiarum
Sponſor; an ambigerem, MONAVI?
Tu præter illos, inſtar & omnium
Sentis amici DVDITHII *labra*
Tam culta, tam fecunda, tamque

Digitized by Google

Nectareo lita rore ; qui te
Metris venuſtis concelebrarit, ac
Tuam Dionen. cetera patrij
Canent olores. pauca mi ſat
Eſt humili ſonuiſſe plectro.

AD ADEODATVM MARIVORDAM BRVGENSEM.

Saxosam Meliten, aut Lilybeïum
Montem, & Pelóri Trinacrij juga,
Cum verticoſo prominentis
In pelagum ſcopulo Pachyni,
Si non vidi ego ; ſi nec malè fumidam
Ætnam, & Cyclopum fulfureos ſpecûs,
Scyllamve latrantem Moloſſis,
Vorticibusque avidis Charybdim:
At terrâ & pelago triſte periculum
Fugi. neceſſum non erat ingredi
Hamata piratarum atrocum
Brachia, non Calabros latrones.
Thraces heu quoties volturij ratem, &
Vectorem inermum cum rate, & omnibus
Cepere gazis! heu quot ultro
Et quoties cecidere cæſi!
Multo tutius eſt, in patrio ſinu
Luſtrare pictos luminibus vagis
Mundos, & auctorum bonorum
Hiſtorias iterare priſcas;
Nunc hos, nunc alios ordine debito
Raptim legendo, ſed neque inutiles
Hinc inde carpendo, laborum

Præmia

Digitized by Google

Præmia penſiculata, fructûs:
Quales ingenio SCALIGER *entheo, &*
Diviniori pectore LIPSIVS
Promit, ſalutares fruentum
Vsque bonis ſtudiorum in usûs.
Ceu gnavê ſocius mellilegarum apum
Vides catervas ambroſium thymi
Libare ſuccum baccharisque,
Non ſine floridulo anétho.
Prædatricum operi grex inhiat volans
Furuncularum. guſtus opum gulam
Proritat, & ceram innocentem
Semper amant vigiles lucernæ.
Nos jam curriculum pænè (quis autumet?)
Prædeſtinatum abſolvimus impigri:
Viæ tametſi feſſus hauddum,
Nil magis o MARIVORDA, *porrò*
In votis habeo; quàm regionibus
Claræ videndis annua Græciæ
Donare momenta, atque mores
Indigenûm bene noſſe & urbes.
Cives ah utinam non Othomannicus
Hauſiſſet enſis, nec Mahometicæ
Profanus olim faſcinaſſet
Corda ſuperſtitionis error:
Melli res ut erat, nave per Hadriam
Vehi quietum, perque tot inſulas
Portûsque ſeceſſûsque Graios
Oppida cum populis tueri!
Atqui tempus erit (vaticinor) neque
Abeſſe longinquum auguro, quum novus
Regnator Europæ, Deûm vi,

Digitized by Google

Ionio mare transfretato,
Excisi veteres imperij domos
Fascesque fractos Threicio jugo
Redintegrabit, ferreumque
In meliora reducet ævum.
Leges ille pias scilicet a Deo
Datus theatris condet, & hostico
Ædes profanatas furore,
Ædituosque ruet nefandos.
Suspirat venientem Isthmia faux ducem;
Exspectat altis hunc Marathonius
Campus decorandum trophæis;
Spe laciunt hilares Athenæ.
Felix, cui dabitur scandere nobilem
Parnassum, & evantem hoc duce liberum
Festi Cithæronis receptum,
Atque sacras Heliconis arces!
Qui fontes biberint, unde novem Deæ
Cum fratre potant, præside fontium;
Feliciores æstimandi, & Terque quaterque beatiores.
O (nam stella micans Cassiopæ novi
Prænunciavit regis idoneos
Ortûs) secundis auspicantem
Ominibus sua bella dexter
Pugnando sequitor, quisquis ad ardua
Rerum atque virtutum ilicet applicas
Mentem, supinatimque ducta
Brachia tollis ovans in altum.
Hinc, hinc perpetuæ laudis adoream
Sperare fas est. Mox age Bosphori
Sævo tyranno, fortis heros,

Incute fronte metum propinquâ.
Te Bellona, ſoror Martis alacrior
Ducat per hoſtes, te bona Fauſtitas
Beetque fortunetque: tecum &
Signa acie rata ſoſpitentur,
Tecum & Franciacæ milite copiæ
Salvo triumphent, non ſine numinis
Favore. ſic o ſic juvabit
Barbaricas peragrare terras.

IN ACTVM SOLLEMNEM ANDREÆ CHRISTIANI ET FRANCISCI HILDENSÆMI, NEOMARCHICORVM.

ASTRÆA *legum recta jubentium*
Patrona, cœli ſidus inhoſpitans;
Tuque o medendi carminisque
Auctor Apollo, favete cœptis.
Cœptis favete, & numine dextero
Pæana dulcem commodulamini:
Sic jura ſemper firma conſtent;
Sit medicina chelysque ſalva,
En CHRISTIANO, *quem Neomarchiæ*
Tulere montis mœnia Regij,
Vatique FRANCISCO, *ſagacis*
Hippolyti meritas alumno
Antiquus aulæ Cæſareæ comes
Confert tiaras; dans nova caſſidis
Magmenta, geſtandæque in ævum
Nobilitatis honora ſigna.
Vtrumque dignum duplice præmio

Digitized by Google

Remunerari ſcilicet arguunt
Virtusque doctrinæque pondus ;
Cui rata conſiliis probatis
Corona Nervarum atque Trebatiûm ,
Chirone cum docto & Podaliriis
Adſentit. O ulvosé ROBIX
Cornua tolle , ſenique Thomæ
Hæc candidati læta refer patri ,
Seu , rerum habenas dum regit arduas ,
Alto in Senatu conſidenti ,
Sive domi vigiles agenti
Sub corde curas , in patriæ bonum
Intentiores. tuque adeó celer
VIADRE, *ſeu mavis vocari*
Odera ; ió mere piſculentæ
Stagnator undæ , non ſine congrege
VARTA , *repandis plaude age brachiis .*
Sollemne CVSTRINI *triumphes*
Vrbs , validis operoſa muris .
Vox læta Manes Hippolyti ciat ,
Manesque materni indigetes avi
Naumánis , HILDENSÆMEL. *Fratrum*
Cœtus ovans Genium frequentet ,
Libo & placentis dum facit annuis ,
Partæque laudi & mutua gloriæ
Reponit hoſtimenta gratus .
Fallor , an & GROMIDIS *feneſtram*
Quæ Laurus ornat , carmine nobilis
Noſtrum duorum , jam tibi vinciet
Frontem beatâ frunde ? Lætor ,
Lætor ego , & niveam lapillis
Signare lucem geſtio candidis .

Digitized by Google

O par meorum dulce ſodalium,
O quæ repens nos ſeparatis
Dividet hora viis, amici?
Excelſa Romæ vos Capitolia
Viſetis, exin Parthenopes juga:
Me Celta rurſus, me paluſter
In ſua regna vocat Batávus.
Hinc inſulares ſpero Britanniæ
Portûs & urbes, atque viraginem
Videre ELISSAM; *cui neque illa*
Par hera, quæ Tyriis in oris
Regnavit, at nec pulchra Semíramis;
Neque illa, ſummæ quæ ſapientiæ
Conſulta, toſtis a Sabæis
Sponte adiit Salomona regem.
Quo Fata ducunt, quisque ſequamur, ac
Bonique & æqui, proſpera ſeu mala
Fuant, neceſſe eſt conſulamus,
Dum reduces ſtata meta ſiſtat.

AD IO. HAINRICVM HAINZELIVM.

DORMIO; *ſed meum cor.*
Semper HÆNZELI *vigilat. mens cata ſomnulentum*
Excitare veternum,
Fata ruminat abdita,
Conſilio potenti
Cælitis firmata Dei. Quis tua fortis heros,
Facta pangere dignê
Poßit, aut generis tui
Condere glorioſo

Digitized by Google

Ore per faſtos memores ſtemma? nites, ut albis
Lucifer radiis, ab
Vsque Memnoniâ domo
Heſperium ad cubile
Vectus: illuſtratque ſolum Mars tuus ille puris
Candefactus ab armis,
Qualiter rutilâ faces
Luce micant Olympo
Splendidæ. Te conſtituent ecce novum monarcham
Conſentiis in orbis
Aſtra duplicibus plagis.
Te metuent Eoi
Principes, atque occidui: te Boreas & Auſter
Obſtupeſcet. Iò dux,
Magne dux age maximos
Ex domitis triumphos
Hoſtibus, ſervâque vices in ſtatione firmas.
Militat tibi Mavors
Ipſe; militat & poli
Sors utriusque. Fractas
Cerno jam ruptasque acies, & populata caſtra;
Vrbiumque labores
Ac metûs, in Hymettiæ
Gaudia tuta verſos
Pacis. Euphrátes mediis aridus in fluentis
Se requirere viſus,
Vt paretur iter novis
Regibus. Eia natos
Rite, natorumque genus rite creans dynaſtas
Orbis; hosce Magogos
Hasce plebis hirudines
Exige victor, inque

Digitized by Google

Aureum corrupta reduc tempora mitis ævum.
Perge, perge; vir esto.
Quanta copia & aclidum
Heic jacet, & dolonum
Et cateiarum, verumque insuper hosticorum!
O quies, o amœnum
Otium; quis erit tuis
Vsque bonis fruisci
Dignus, IGNOTI *gremio sub ducis? Vna bello*
Instat, altera paci
Satrapæ manus integri.
Isque caput coronâ
Cinctus ex auro solido, purpureisque gemmis
Ad tuenda piorum
Agmina, auxilio Dei
Se fore jurat acrem
Vindicem. Felix regio, quæ tulit hoc in auras
Pectus! at mage felix,
Signa qui ducis optimi
Fixerit, & trophæa!
Spem fove hanc mecum vigili pectore dormiendo:
Si quid huius & olim
Fiet, esto mei memor
Vaticinantis, atque
Posteros HENRICE *mone, prospera sobriorum*
Sæpe non caruisse
Fine somnia debito.

AD IANUM DOUSAM

PROCUL *remotas a patrio solô*

Terras, & urbes viſere plurimas
Primis ab annis, DOVSA, cura
Mi fuit, & creperas ſenecti
Cognoſcere ævi ſollicito vices
Caſu ruentis. Quem juvet heu domi
Sedere ſegnem, neſciumque in
Tam variis quid agatur oris?
Faſtidioſæ lenta ſolent moræ
Momenta curis exitialibus
Exeſſe torpentes medullas:
Atque animi tenuat vigorem
Iners vetermus; quo nihil uſpiam
Nocentius, nil perditius pigras
Culpatur inſediſſe mentes,
Et ſtupido caput obruiſſe
Fumo: cavernis qualis ab humidis
Vaporat olim, cum ſilices aquâ
Frigente perfuſos caloris
Stridere vis peniti coëgit
Contraria urgens. ſed quid in exteris
Conſumpſe privas res Académiis
Prodeſt, & orbem tot per annos
Sole alio peragraſſe toſtum?
Quid usque virtutem, & pretioſius
Virtute nomen, non ſine gloriâ,
Gnavê requiſiviſſe, & altas
Pieridum penitraſſe in arces?
Quid fluxa vitæ tempora puriter
Egiſſe, & obſceno a grege turpium
Semper meretricum pudicos
Abſtinuiſſe oculos manûsque:
Si regna frigent calibis heic tori,

Et deſtinatam conjugij in fidem
Fatum puellam quinqueluſtri
Sortilegum ſpatio retardat?
Si nullus errorum eſt modus, & meum
Dempto fatigant fine graves equum
Calcarium ictûs? cumque metæ
Sperat ovans aliquem attigiſſe
Evicta per diſcrimina terminum,
Præſtò eſt labori mox alius labor:
Ceu prona Phœbéos jugales
Continuo rapit aura curſu.
Ollis quietem Temporis invident
Flagella, tortos dantis ad impetum
Sonos, & aurigantis hornorum
Arbitrio celeri dierum.
Ac pol labantem prociduis ſtatim
Feſſum videres poplitibus, niſi
Natura nervum firmiorem
Æthereisque parem indidiſſet.
Europa noſtræ conſcia tum fugæ
Tum ſortis; I nunc, atque Aſiam pete
Feſtinus, inquit, Africamque.
Forſan in Americæ, quod optas,
Plagis repertum ſera dabit Venus:
Vbi inquilinum ſcilicet incola
Virago præſtolatur, ardens
Prorſus amore tui virago.
Hæc illa. at illi non ego credulus.
Laxâne ſulcarem Oceanum trabe?
Tot hercle pertæſum eſt viarum.
Se ſibi quisquis amat marinæ
Demerſum in undæ quærere gurgite,

Digitized by Google

Se credat Auſtris naufragus imbricis.
Satis periculi eſt, me bis Iſtri
Damna ſubiſſe, ſemelque Rheni.
At tu clientum DOVSA *Cupidinum*
Tutela præsens, eia age, de meâ
Si quid ROSINA, *de fideli*
Si quid inaudieris Roſinâ;
Amabo te, fac (ſi mereor) ſciam.
Nam tute fando quidpiam, ut arbitror,
Fatale percepſti, ſagacis
Conſilio monitus Minervæ,
Cum ſanctiori te ſuperûm domo,
Lectum in ſenatum, non homini datis
Inferret alis; ac futuri
Præteritique per omne prudens
Nepos Atlantis coram ibi callidos
Præſagiorum verſiculos libro
Senſim ex Sibyllino retectos
Panderet, Vranie magiſtrâ
Oraculorum interprete. Myſticos
Probê explicatos ſi numeros dabis,
Quantâ cor ærumnale reddes
Lætitiâ mihi delibutum!

AD FR. MODIVM.

QVO *ſe proripuit*, MODI,
Marivorda veſter ille;
Brugenſis Marivorda, flos
Juvenum eruditiorum?
Liquit in Patavi ſinu
Gemitus ſui ſodalis:

Digitized by Google

Nec quisquam quid inaudiit,
An adhuc agat Cremonæ
Ad fluentisonas Padi
Genio trahente ripas;
An ver ó reditum suam
Properarit ad Melænam.
Vbicumque morabitur
Marivorda vester ille;
Nostro nomine plurimum
Age salveat., meosque
Meo nomine plurimum
Jubeat bonos amicos
Salvere, & sibi rem bene
Gerere ad bicorne Rheni
Flumen: præcipuê quibus
Vada Belgici plagæque
Scaldis hospitium danunt,
Typographicumque prælum
Immortalibus annuit
Fieri, edito sub auras
Fetu divitis ingeni.
Veneror coloque amoque
Tam doctas animas, MODI,
Adeôque planê adoro.
Nam cui non cata Lipsij
Acies, vigorque Dousæ, &
Canteri vigilantia
Animum excitet supinum?
Cui Lernutia suavitas,
Variusque Giselini
Non mentem adficiat lepos,
Neque raptum adurat ardor

Digitized by Google

Cor Vulcanius? Hæc dum ego
Meditorque ruminorque,
Pertæsum Italiæ est. Brevi
Alemanniæ revisam
Fines. hoc volui. Vale,
Et ama tuorum amantem.

AD IOANNEM LAVTERBACHIVM.

COLLES aprico palmite consitos
Ad pura amœni flumina Néccharis,
Quâ fons salutari fluento
Irrigat imperii sodalem
Perennis urbem; dum memorabili
Cantare versu ruminor, & loci
Beatioris sospitalem
Mane novo Genium saluto,
Absente quamvis corpore: ter quater
Felicem oportet te merito vocem
O LAVTÉRBACHI; qui nitentes
Aoniâ redimitus usque
Lauru capillos, sub nemore herbido
Nunc Christianæ te citharæ modis
Diurnus oblectas, fidique
Ausoniam chelyn Allemannæ
Componis, auctor carminis enthei;
Nunc & quieto lætior otio
Pulchris in hortorum viretis
Deliciare, tuamque laudans
Non invenusto pectine SVAVIAM,
Nymphis propinquis invidiam creas

Digitized by Google

Haud pœnitendam. Te canentem
Ad numeros modulata verba
Mirantur ipſæ Neccharides Deæ,
Mirantur ALTI *culmen Oréades*
LVCI *incolentes, cum Napæis,*
Cumque hilari Dryadum catervâ.
Te nemo non vatum ecce recentium,
Quem ſancta cordi Pſaltria, Teutono
In orbe novit: nemo in urbe
Non veneratur, amat, colitque
Summatim, & imi de populi grege.
Nec quisquam Alaſtor advena Baltico
Movere de gleſſo tibi audet
Exſtimulante furore litem.
Securus ævum degis, amans Dei.
Cui dedicandos, fare age, principi
Credam tot annorum labores?
Tene dehinc via LVDOVICI
Præclaram in aulam ducet idonea,
Cui Virtebergen Tecciaque arva avus
Paterque liquit poſſidenda?
Doctus enim eſt pol & eruditus,
Et liberali munificus manu;
Nec non amator nobilium artium
Cluet Minervæ, quæque ſacris
Dia reperta dedit Poëtis
Callere Riphæi patèr Orphei,
Silvas trahentis, célſaque montium
Acumina, ad vocale plectrum,
Threïciæque lyræ ſonores:
Quos tu novellâ dum fide temperas,
Scitus ſacrorum, IANE; *Heliconides*

Digitized by Google

Templo in Deorum consecratum
Aureolam citharam merenti.

AD SIMONEM FABRICIVM FRANCVM.

VIRGINIS spicam gravidâ refertam
Fruge, Sextileis referentis eidûs,
Ecce dum puri radiosa torrent
Lumina Phœbi;
Post graves ævi dubij labores
VOLFII cano senio gravati
Quarta natalem videt atque sexa-
gesima messis.
Vix foret tantum sibi polliceri
Ausus extentæ spatium senectæ;
Vix eo duci stata credidisset
Momina posse,
Calculi mordace dolore pressus,
Inque se tortos malè fractus artûs.
Vt genus perfert hominum malis ob-
noxia terga.
Nunc satis vixisse sibi superque
Judicans, libris quibus incubabat
Rite perfectis, & ad umbilicum
Non sine summâ
Laude perductis, poplite expedito
Se viæ accingit, FABRICI, terendæ
Omnibus, quicumque brevem caduci
Carpimus auram.
Quòd nisi cælebs juvenem senemque
Lectus excepset, vigilesque totum

Digitized by Google

Improbis immersum operis lucernæ
Nocte silente
Prorsus insomnem studiô occupassent;
Vel tot e Graiis monumenta chartis
Vrbe donasset Latiâ, stylumque
Teuto bilinguem
In scholas traduxet iners Suëvas?
O labos, invite labos; quid, acri
Perficâ adjutrice, tibi molestum est
Aut grave? quid non
Elaborato graphicê expolitum
Destinas fini: quid inabsolutum
Linquis? aut cuiæ tua dextra limæ
Parcere suevit?
Ad capessendum varium laborem
Scilicet nati sumus. hic minores,
Ille maiores onerum ingruentum
Sustinet ultro
Sarcinas. est cui mediocre tantum
Pondus incumbit tolerare. quosdam
Oty perdit neque liberalis
Nec sat honesti
Torpor, & socors animi veternus.
At Deæ, Phœbi comites, volentem
FABRICI *tranquilla sequi beatæ*
Commoda vitæ,
Me jubent (adsint utinamque vires)
Acta Francorum proavita regum
Dicere, & res non humili graves in-
cludere torno.
Conditor tantis numeris quid optem
Mi dari, doctum nisi & eruditum

Digitized by Google

Principem ; cui tam placeant recentis
Carmina Muſæ ,
Quàm viris priſci placuere ſæcli ?
Sed jacent artes , jacet ipſa Pallas
Spreta cum Muſis ; nec amat potentum
Aula poëtas .

AD FRANCISCVM HILDENSÆMVM, HIPPOLYTI F.

QVO quo rapit te fervida vis animi
HILDENSÆME ? agedum , non radio tibi
Sollerte deſcripſiſſe terras
Sat fuerat , regionibusque
Etinſularum portubus artifices
Deſignaſſe typos ; quin etiam polum
Vtrumque felici dioptrâ
Ætheriosque globos pererrans ,
In tam remotas te penitrare vias
Molirere ſagax ? Ecce Platonici
Jam Pandochéi nexiones
PROMNITIVS mihi comprehenſas
Tenet fideli pectore , easque tenet
SALGASTVS veteri nobilis a domo .
Edisne maturas in auras ,
An latebris ſepelire mavis
Conſcripta dextro quæ tibi ſunt Genio ?
Edis nempe , neque his lævus (uti ſolent
Plerique) prælivore blattas
Aut tineas alis invidendas .
Te STVRMIANÆ vox lita melle mero
Suadæ commonuit : tu bene prouidus

Pares

Digitized by Google

Pares momenti. nam quis usquam
Tam capiti neget erudito
Obtemperare, & canitiem nivei
Amplecti ſenis? ut qui ſapientius
Quàm Zoilorum judicare
Turba furens, melinsque multo
De rebus ipſis eliciendа bona
Veſtigare oculis atque animo queat,
Complura longo doctus uſu, &
Pluribus experiens ab annis.
O qui tot aſtrorum, & variabilium
Ambagum facili lubrica tramite
Æquare calles, totque vaſto
Conciliare plagas in orbe;
FRANCISCE *dic, queis (ſic mihi Phœbus eris)*
Inſiſtant poplites hice receſſibus,
Vbi det inventam, atque demum
Fixa RHODEN *mihi meta jungat.*
Aut ipſe mundi memet in avia duc
Tecum, conſpicui verticis alite:
Nam Dædaléis ſpero in æthram
Remigiis fore ſublevatum.
Hinc conſpicatus fertilis Europiæ
Fines, corda gravi libera pondere
RHODES *peroptato reponam*
Endo ſinu, requiem potitus.

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORVM LIBER SEPTIMVS.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

AMOENITATEM *marginis Benacij*
Mente meâ quoties
Absens recordor, o Dea,
Recordor autem sæpius præsens ibi
Degere mi videor,
Totâque nocte somnio
Colles apricos. Jam Salon, jam visui
Garda jugosa subit;
Jam Tusculanum, ad dexteram
Lacûs sereni ripulas legentibus
Inter odora situm
Vireta: jam videns subit
Peninsularum & insularum SIRMIO
Pulcher ocellus; ubi
Quondam Catullus post iter
Bithynum onusti pectoris curam exuit,
SCALIGERVM *que genus*
Agri Tyrrhi principes
utos recessus quæsierunt, arduis

Digitized by Google

Rebus ab imperij
Omissuras. Quàm virent
Frondentque cuncta amœniter! quam pectora
Mirificè rapiunt
Ad se comantes hortuli!
Montes opacâ vestiuntur Palladè:
Vitifera in mediis
Clivis Lyæus regna amat.
Imum occupavit Citry nemusculi
Fulgor, & aureola
Pomi, & frutex Lemonius;
Et Punicorum silva densa frundium:
Non sine lauricomæ
Vigore Daphones, nec sine
Myrto Diones. Limpidas ut Mincius
Volvit herilis aquas
Ad arctæ claustra faucium!
Salvete quotquot hæc Oreades loca,
Et quæ Hamadryades,
Nymphæque formosissimæ
Stagni tenetis lætioris ambitum.
Tuque venusta meo
Infixa corde millies
Napæa salve! tale cælum in Angliâ
Talis et aura tuis
Contingat hortis apprecor,
Flos virginalis castimoniæ Dea.
Rideat arboreæ
Stirpis propago: rideant
Et viva sepimenta, & omnis seminum
Progenies. Zephyri
Demulsa mi flamine.

Tuque o ELISA *masculæ in Lauri modum*
Germine perpetuo
Floreſce ſoſpes, & vige.

AD IO. CHRISTOPHORVM FVCHSIVM, NOB. FRANCVM.

VER *adeſt, anni geniale tempus,*
Et ſerenatus rediens Olympo
Mitius ſpirat Zephyrorum apricæ
Halitus auræ.
Quis domi invitum teneat Meliſſum?
Quo mihi lentos remorante greſſûs,
Noricâ (brumam ſub ut acriorem)
Claudar in urbe?
Liber excurram, ſocio viator
Vnico ſtipatus, ad usque notas
VILSII *ripas, & ad his propinquam*
Principis arcem;
Te ſalutatum generoſe FVCHSI,
Qui Palatinæ præes altus oræ,
Grande Muſarum columen, decusque
Nobile vatum:
Cui neque ex voti digito pudori eſt
Sobrium vixiſſe, neque indecorum
Sæculi noſtri temere uſitatos
Spernere mores.
Fallor, an pacti melioris ergo,
Januas veſtras mihi jam patentes
Sponte, & interni penitrale cernam
Cordis apertum?

Digitized by Google

Næ, receptatus Lare luculento
(Quæ tua est virtus, niveæque candor
Mentis) haud vani tacita experibor
Signa favoris.
Nam nec aversum tua pectus a me
MVRACHIS, *matrona gravis decensque,*
Spero gestabit; mea nec Sabino
Lumina vultu
Intuebuntur tua cura natæ:
Gratias blandê magis æmulantes,
Vt quibus linguæ studium Latinæ
Corda polivit;
Ob tui, sincere, faces amoris
Mutuas in me, patrios & ipsæ
(Quâ licet) nolent patienter in se
Stinguier ignes.
Quin & ALBERTVS, *minimusque natu*
Frater, heredes animi paterni,
Me probê adscitum sibi copulabunt
Duplice nexu.
O ibi Maias hilarus calendas
Exigam, quo me meus urget ardor!
O ibi, quo me tacitas per umbras
Dulcis imago
Ducit immissâ requie soporum,
Sistar insomnis; vigilique tandem
Fronte perlustrem loca FVCHSIANIS
Grata Camenis!
Hanc ubi invectus niveo jugali
Phosphorus lucem mihi portet almam,
Quâ tuos præsens venerer decoro
Poplite vultûs:

Digitized by Google

Licet fauſtas ego deputabo
Annuis ſtellas utriusque faſtis.
Hora natali veniet mihi illa
Carior aſtro.

AD IACOBVM MONAVIVM.

NON ſemper aptum eſt ingenium ad bonos
IACOBE verſûs, nec digitis lyram
Quamcumque in omnem locove
Attigeris, eademque plectra.
Diverſa euntum momina temporum, &
Eventa rerum atque ambigua vices,
Frequenter in diverſa mentem
Propoſitoque aliena raptant.
Cum ſæpe ſumpſi materiam meis
Modisque & ipſis rebus idoneam,
Pſallensque concinno ſonora
Pollice fila movere cœpi:
Non id, quod arguto ore, & eburneo
Præmolliebar pectine, me melos
Camena naudit cantitantem;
Verùm alia immeditata ſeſe
Labore nullo ſubjiciunt, & in
Aptos ligato carmine geſtiunt
Venire nervos. jamque Chloris,
Jam Dryades, nemorumque Fauni
Tutela frundentum, & Satyri leves
In antra ſeductum obſita cæſpite
Muſcoque vivo, me redurgent
Neſcio quâ fide murmurare
Agreſte carmen, Pánaque montium

Digitized by Google

Cuſtodem, & altas, robora fortia,
Sonare quercûs ilicesque,
Abietibusque nigris cupreſſos
Conferre pullas. Sola jub avius
Clangilla ramis accinit: accinunt
Aves peregrinæ Latinis
Auribus, inſolitusque grillus.
His nempe ſilvæ deliciis fruor,
Curis ſolutus: præ quibus aulicas
Sordere pompas comperibis,
Frete opibus modicum MONAVI.
Has ipſe porró delicias canam,
Meamque lentis corticibus RHODEN
Inſculptam olorino trecentos
Carmine perpetuabo in annos.

IN MAIVM.

MENSIVM *flos intemerate, ſeu tu*
Verna maiorum genuinus audis,
Sive Cyllenî tibi matris aptum
Nomen inhæſit;
O tuis ſalvo mihi ſit Calendis
Lesbias vivis animare chordis
Vocibus, ſeramque hilari canore
Ducere noctem.
Te patrem florum, nemorumque dicam
Principem: te purpureæ maritum
Chloridos prodam, Zephyrique adulto
Vere potentem.
Tu ſerenatum ſine nube Solem,
Pendulisque umbras foliis reducis;

Digitized by Google

Tu Jovis grati vegetante gaudes
Spargier imbri.
Te sui cantant homines avesque;
Te soli salique greges adorant:
Cuncta cunctarum te elementa rerum
Læta salutant.
Cras tuas festis itidem triumphis
Ferias, sollemne sacrum, secundis
Plausibus jucundus agam, solutus
Duplice curâ:
Namque me dignum fore judicavit
Hoc die, cui perpetuum virente
Cæsar ornaret cava FERDINANDVS
Tempora lauru.
Tertiam dehinc niveis sacrabo
Gratiis lucem, Venerique pulchræ
Septimam; nonamque novem Camenis,
Non sine voto;
Floribus postes redimire largus,
Et sacris libare focis odores.
Moris hoc servabo memor quotannis.
Nunc mihi suave
Súsinum, stillansque liquor rosarum
Imbuat crines volo; nunc sodales
(Si velint) tincti balano nitescant
Malobathroque:
SCALIGER *Juli generosa proles,*
DOVSAque *& puri* GISELINVS *oris,*
Et vetustatis catus æmulator
LIPSIVS *acer:*
Tuque LERNVTI, *prope sideratus*
Ictibus crebris oculorum Hyellæ;

Digitized by Google

Tu MODI, *tuque o* MARIVORDA, *tuque*
Sedule COLVI.
Adſit heic dulcis Jocus & Cupído;
Adſit & ſacer Genius, Leposque
Comis, argutusque nepos Atlantis,
Cum duce Phœbo.
Lis, & infeſtæ rabioſa litis
Auctor exeſto mala lingua. nemo
Lividum ſpiret, careatque dignis
Nemo corollis.

AD IVSTVM LIPSIVM.

DISERTE LIPSI, *Romulidûm decus,*
Et litterati gloria ſæculi;
Quem lectitantem ſeu docentem
Pieridum chorus obſtupeſcit;
Quem ſcriptitantem luxurians viris
Europa doctis ob veterem ſtylum
Miratur, in ſummisque ponit
Præcipuum mihi ſidus aſtris:
Quid me Poëtarum (ah pudet) optimum
Non erubeſcis dicere, in aureâ,
Quam nuper hinc miſti, papyro?
Hæc potius tribuenda magno
Laus magna DOVSÆ; *vertice cui ſedet*
Capace Pallas dædala, candidæ
Linguæ repertrix, artiumque
Nobiliore loco vigentum.
Ille entheato ſpirat Apollinem
(At quem Deum?) de pectore, callidus
Antiquitatem, & priſca noſtrum

Digitized by Google

Verba perappoſitasque lexes
Reduxe in ævum, bárbaraque extimas
Vltra relegaſſe Orcadas, & novem
Suum Camenis, haud ſine æquo
Numine, reſtituiſſe honorem.
In quo laborum IVSTE *quis eſt modus?*
Quæ meta cursûs? quæve remiſſio?
Quæ finis? Vt quondam Tyrannum,
Civibus exitium luemque,
Ex urbe depulſum & ſolio, ſolum
Mutare cogit jure potentior
Virtus, & extremas abactum
Perſequitur fremebunda in oras,
Vinci aut domari neſcia: non ſecus
Vos æſtuoſo tenditis impetu
Ex arce profligare Phœbi
Barbariem, furiale monſtrum;
Plenisque velis huic & equis citis
Vterque victor terga premit, fugæ
Commiſſa turpi. Proinde macti
Eſte vigore, animoque forti:
Sic laurea alter ſerta merebitur,
Alterque palmam; materiem bonis
Dignam (modò ipſimet ſinatis)
Vatibus, Aonioque cœtu.

AD IANVM DOVSAM.

RIDENTEM *amicâ fronte Cupidinem,*
Et ore blando; crinibus aureis
Inſignem, & aurato monili
Conſpicuum, nitidisque gemmis:

Myrrhâ calentem qui volitans ſuper
Aram Dionæ, ignicoloribus
Libratus alis, tendit arcum
Idalium, & nova tela vibrat,
Cinctus pharetrâ, cetera nudus. Hunc
Jam conſecratum rite Cupidinem
Cumam ſacerdos dedicabo?
DOVSA *tibi, tibi Douſa mitis,*
Alumne Muſarum, & Charitum comes,
Queis albicantes cumque pedes choris
Inferre gaudent. namque vatem,
Cui lepidorum Elegos Amorum
Vni inter omnes haud dubitaveris
Inſcribere, & dignam Aonio grege
Sexcenta propagare in ævi
Secula non moriture famam;
Honore, de te nil meritum prius,
Ornare tanto, quantus Apollinem
Deceret ipſum, maluiſti;
Quàm tacitas ſepelire flammas,
Queis Ida raptum, queis Charitella, fax
Secunda, & Ælis proxima detinet.
O ſi per Europæa longê
Diſſita regna diu ROSINAM
Multumque quæſitam innumeris locis,
Tantumque amatam, quantum adamabitur
Nulli puella, aut unquam amata eſt,
Tandem aliquando mei miſertus
Daret fruendam his luminibus Pudor,
Vultu retecto, & corpore vivido:
Qualem per obſcuram quietem
Noctis (Olympiades ter ex quo

Digitized by Google

Inauſpicatarum a Remorum oſcino
Fluxere binæ) Morphea ſenſibus
Conſtanter objeciſſe noſtris
Perſpicuâ memini figurâ :
Tu muneratus , præter amabiles
Vultûs , abires inſuper aureâ
Joci venuſti & liberalis
Effigie. ſimulacra quippe
Formæ , poëtarum ilicet intimis
Dios vigores inſinuant fibris ,
Oeſtroque & inſtinctu ciere
Magnanimum jecur efficaces .
Quin & juberem ceſtiferæ manum
Præſtó maritalem eſſe Lubentiæ ,
Exoſculandam , non ſine almæ
Cypridos eximiâ ſtaturâ ,
Pomum tenentis. ſed quid ineptio
Nugarum amator ? te potius tui
(Nam dignus es) perenne honorent
Aureolâ ſtatuâ Batávi .

AD IO. CHRISTOPHORVM FVCHSIVM.

Siccine Diis amicum ,
Tam diu, Fvchsi, nitidæ frontis eſſe carendum ,
Quam videre geſtij ;
Orisque , queicum colloqui diſertim ?
Illius oris , inquam ,
Quod Camœnarum liquidis imbuêre fluentis
Gratiæ & Libentiæ ,
Phœbi voluptas : illiusque frontis ,

Digitized by Google

Enthea cuius arcem
Mens, Deo par, continuis occupavit habendam
Sedibus. Quis invidet
Livor Melisso, quo minus tagace
Stringere comprehensam
Dexterâ dextram liceat, purpurans Amethystus
Quam tenace vinculo
Cinxit, modestæ vota nuncupantem
Nephaliæ, sorori
Euphrones? Hac consiliis nec sagacior ulla est,
Nec salubrior fuit
Dandis, ubi stet lance ponderandus
Calculus æquitatis,
Aut quid in primis ratio vera, caúsaque poscat
Arbitris idonea
Dijudicatu, nec nisi acriore &
Vividiore sensu
Præditis cernenda: vigor qualis emicet in te
In tuique similibus,
Beate FVCHSI; *quem nec ebriosa*
Turba dedére pessum,
Nec Pholûm nati sceleri immiscuere nefando,
Nec putrentis ulcera
Squarosa terræ polluère fungi.
Heu quibus implicatos
Et quot immersos vitiis fœda colluvies
Lama Mérmeros tenet!
Sic multus olim, depluente nimbo
Plus nimio, superque
Alveum exundante Sali, quâ via est data, latè
Limus óblutans agros,
Obducta prata quercumque silvam

Et decus hortulorum
Fine deformat misero. Flora mæsta Ceresque
Et dolens Hamadryas
Cælum omne replent anxiis querellis.
Non aliter Lyæi
Vim ferens flet Nephalia, sobrio comitata
Vix sodalium grege,
Quandoque bacchans cœtus abstinentes
Ludibrioque risuque
Excipit, damnoque gravi mulctat; utpote fœcis
Crapulantium unicos
Hostes, meraci ruminisque parcos.
Na, malè sana potæ
Nil boni fert Ebrietas, nil boni tulit unquam,
Nil boni dehinc feret
Germaniæ. quin crimen ob probrosum
Pœna peculiaris,
Pœna vix seris studio moris inveterati
Expianda posteris,
Vltore Jovâ has belluas manebit.
Quòd nisi tute quondam,
O sacer vates, aliam prorsus a genere istoc
Incitus Dei metu
Mentem induisses temperantiorem;
Quei voluisset illud,
Integris sese insinuans cordibus, penitrare
Numen in fibras mero
Vino tumentès? ast Hebræa sanctæ
Plectra lyræ, piosque
DAVIDIS *psalmos, numeris mente non alienis*
Redditos, Penatibus
Teuto Latinis rite consecrasti:

Digitized by Google

Nomine quo tuæ pol
Plurimum debet pietas restituta Minervæ,
Plurimumque familiæ
Nepos avitæ; plus honor perennis.

AD MATTHIAM ANOMOEVM VARISCVM.

SENAS, ocellum dulcis Etruriæ,
Rivis amœnas & variis jugis,
Musisque amicas, incolenti
Cum lepidis generosioris
Sexûs alumnis, me tibi nuptias
Prædicere olim commemini; fore
Verans, Gynæcéum ut modestam
Suppeditaret herile Nympham,
Formâ elegantem, stirpeque nobilem,
Tuoque dignam, quâ caleas, toro.
Evénit. omen namque vati
Præcinuit cycnus auspicatum:
Cycnus poëtarum ingeniis favens,
Idemque candorem antè alias amans
Phœbi volúcres. quippe fati
Consilio tibi destinavit
Hymen pudico pectore CANDIDAM;
Quicum quietæ tempora transigas
Vitæ, recensitamque sospes
Conspicias ANOMOEE *prolem,*
Ritu virentis mitibus editam
Ramis olivæ: quæ sacra Palladi,
Tranquilla pacalis trophæi
Signa det Idaliis columbis.

Digitized by Google

Quàm lætor, [redacted] consimilem tuis
Tandem puellam moribus, & parem
Votis anhelis obtigisse,
Non sine matre, domûs regendæ
Gnarâ! Quid aptam quærere conjugem
Præcogitabas ad vada Neccharis
Obliqua? an ingentem jugales
Danubium tibi nesciebas
Spondere tedas? scilicet meliti
Passi fuissent POLEMIDÆ, *foris*
Te post tot annorum labores,
Post iter Ausoniis in oris,
Post Galliarum atque ipsa Britanniæ
Lustrata demum regna, sine arbitro
Quasi exsulantem sciscitari
Nescio quos tripodas Melanthûs?
Næ singulari momine siderum
Non unius te per maris insulas
Terræque tractûs divagatum
CANDIDA *in Austriacas retraxit*
Plagas, vel invitum, ut liquet. at lubens
Obtemperasti suasibus optimis
Prudentiorum; queis piaclum est
Auriculas negitare lenes.
Vive ergo lætus, vive age cum tuâ
Concors maritâ: quas & Apollinis
Artes, & hortenses Napæas,
Et studia excoluisse sana
Gaudes; in illis sic, animo medens,
Versator, ut ne spes Aganippidum
Frustrere, neu te ipsum quiete,
Abjiciens meliora, fraudes.

AD

AD IANVM DOVSAM NORBONENSEM, ET IVSTVM LIPSIVM ISCANIVM.

DOVSA *Muſarum lepor ac voluptas,*
Poſſidens alti Genium SECVNDI;
Tuque delicata medulla Suada
Candide LIPSI,
Qui Menippæa ſatyræ jocoſum
In modum oblectus ſale ſomniato
Corda: quid rerum geritis, Batáva
Gentis ocelli?
Ecquid in veſtro memores Lycéo
Eſtis ardentis ſtudio Meliſſi,
In ſacræ ſodalitium cohortis
Sponte recepti?
Aureos vultûs quoties anhelo
Cernere, & vivas iterare voces,
Queis repercuſſas tenor irreprenſus
Mulceat aures;
Ne mori ſenſim videor, tot ictus
Anxiis deſideriis: & extra
Se migrans heu mens animi dolentis
Ægra fatiſcit,
More limacis calido peruſti
Sole; dum, Phœbo capitis ſacrati,
Ferreas capti manicas ROGERSÌ
Dúraque vincla
Cogor invitâ procul abdicatus
Aure inaudire, & tacitas per auras
Surda Pegneſi vada lacrimoſo
Frangere queſtu.

Cur mihi (quando nequeunt retentum
Hæ manûs, ſeu vis mea liberare)
Theſſalas artes, magicosque rhombos
Dædala Solis
Nata, faſcini genitrix, negavit?
Cur poteſtates variarum ademit
Colchis herbarum, ſubolem tyrannûm
Perdere ſollers?
Certô ego auderem patrios in hoſtes
(Si licet) dignum facinus patrare,
Teque telluri reducem Britannæ
Siſtere vatem.
O quis, & quando, mihi nunciabit
Eſſe laxatas hilaris ROGERSI
Compedes, tandemque frui redemptum
Aëre aperto?
LIPSII *Dous æque mei tabellæ,*
Nuncias ſi vos tuleritis ipſæ
Protenus; quonam benefacta vobis
Munere penſem?

AD IO. POSTHUM.

QUALIS *ſiniſtri Daulias aucupis*
Decepta ſub dio inſidiis, & hinc
Incluſa ſeptis, inquilino
Præda, ſilet taciturna, POSTHI,
Canora quondam: ſic ego retibus
Obſeptus arctis invidiæ gravis,
Adverſa Fortunæ haud libenti
Mente voro mala muſſitando.
At quanquam inani carmina gutture

Non nulla, mutâ cum fide, pérsonant,
Modosque consuetos maligna
Sors inhibet; tamen usquequaque
Ne crede, grati pro meritis tuis
Oblitteratas esse animi notas.
Agnosco curam, agnosco dextræ
In caput hoc bona POSTHIANÆ.
Heri reflatûs aut hodie malos
Expertus, haud cras atque perendie
Speres eosdem. mutat aura,
Mutat & ætherius volutos
Meatus orbes. Cernis, ut arduis
Anno futuro machina siderum
Minetur impendens tyrannis
Exitium, ducibusque magnis?
Nunquam trigónos vanus Olympios
Frustravit error. nunquam itidem vices
Junctum planetarum fefellit
Agmen, inexplicitosve casûs.
Non semper altæ crista superbiæ
Ferocem amabit tollere verticem:
Non semper audebit ferire
Dis inopem, tumidus remissum.
Quondam & minori, patre Philémone
Et matre nato Baucide, regiam
(Vt latus amnis fonte surgit
Ex humili) diadema cingit
Frontem, aut (quod usu sæpè venit) sacer
Velat tiaras. Da spatium breve;
Da cursum, & invictos labores;
Da, quod habent dare Dij volentes:
Quid non vir ultro magnanimus queat

Digitized by Google

Præstare? quid non efficere impiger?
Punctum omne fert in hisce terris,
Cui mora non odio est Olympi.

ANDREÆ DVDITHIO,
CÆS. CONSILIARIO.

PVLCHRIOR gemmis & auro,
Et quidquid usquam nitet
Pulchrius gemmis & auro;
Antiquiore nobilis
Gente, linguâ, patriâque;
Petenda vel centum procis;
Squalidi captiva in antro
Sedet puella carceris,
Dura quam numella pridem
Manûs pedesque vinctam habet.
Vinculis ARCHÆA *abistis*
Quei liberandam mi foret,
Marte quum meo excitarer
Tentare, quantum qui pote
Plurimum tentare: quid sit?
Obstas puellæ DVDITHI,
Meque deterres amantem;
Anum subinde clamitans
Obsoletam rancidamque,
Pannis & annis obsitam;
Quodque deflendum est, Megæram
Appellitans Mephiticam.
Heu nefas! heu triste probrum!
Heu sempiternum dedecus!
Anne præstingues Melisso

Digitized by Google

Acutiores ſcilicet
Lyncum ocellis hos ocellos?
Vltorem in has injurias
Invocabo Nordovicem
DOVSAM, *Iſcanenque* LIPSIVM,
Quique de SCALA *propáges*
Docto parente doctius
Nomen acquiſivit, inter
Præclara ſæcli lumina.
Concitabo ſævus in te
MODII *furores entheos.*
In tuam inſtigabo noxam
PALMERIVM *&* GVLIELMIVM,
Vindices Nymphæ Latinæ
Vnos & unicos. Dabis
Ah dabis pœnas, amice,
Non unius culpæ reus,
Ni retractes ante dicta,
Palinodiamque ſuccinas,
Supplicique depreceris
Veniam ore, mente, pollice.
O nimis crudelis! hæcne
Moriens tuâ ex libidine
Carceri infami feretur
Auctore DVDITHIO (*malum*)
Mancipata? quin ſtatim quin
Aut tradis hanc litem arbitris,
Aut Libónis ad ſeverum
Puteal referri poſtulas?
Voce ſi recentiorum
Damnatus heic causâ cades;
Quid Cato Terentiusque

Digitized by Google

Varro ſupercilijs velint,
Ac quid innuant Quirites,
Haud difficulter cernere eſt.
Cauſa jam præjudicatâ eſt
Communibus ſuffragijs.
At virago reſtituta
Per judices in integrum,
Ducet extempló triumphum,
Vnâque ſecum me vehet
Ora per Romana ovantem, &
Curru ſuperbum eburneo
Candidos Phœbi jugales
Loris laceſſentem aureis.
Illa, ceu regina Juno,
Florem Deabus omnibus
Præripit, ſuoque cultu
Plebeia vulgi ſuppara
Riſui ludibrioque
Exponit, orarum tenus.
Famque, ſublimi ruinâ
Collapſa quondam, denuo
Romuli Remique & Anci
Inſtructa pandit atria.
Tum ſacella dedicata
Phœbo, Camenis, Gratijs,
Palladi, Cyllenioque,
Et perpeti Victoriæ,
Jure ſacroſancta priſco
Sollerter inſtaurare amat.
Cernis, ut redire pergat
Ætatis aureæ decus?
Vtque vileſcant inani

Protrita plebi compita?
Ergo quid diu moraris?
Quid oscitanter hæsitas?
Jam clienti dehinc patronos
Parandum, & omnibus modis
Id studendum, ne cataſtæ,
Quam ſenſit inſons filia,
Tute mancipere, durâ
Talos revinctus compede:
Sed receptus obſecratu
In gratiam ſons ac fidem,
Judicum ſeveritatem
Sententiæque lenias,
Mitiore doctus uti
Sermone linguæ in poſterum.
Fallor, an (quod maximê opto)
Te pœnitebit aſperæ
Juris olim dictionis,
Rigidæque cenſuræ in tuum
Hunc amicum, illamque Nympham?
Pro quâ mihi tot bella ſunt
Anxiê pugnata; pro quâ
Semper tuendâ ſtrenuê,
Nulla cura, nullus unquam
Labos, opusque nullum eo
Defatigavit gravatum,
Vt quidquam ab hâc moleſtiâ
Mi remittendum putarim.
Quin, ſine læto ut cluderet
Inchoatæ texta chartæ, &
Ad umbilicos duceret,
Sæpe Perſicam rogavi:

Digitized by Google

Rogata votis annuit.
Illa eodem te, precandum est,
Tenore deducat favens,
Ut (quod in primis avemus)
Præfracta contumaciæ
Vis retundatur, tibîque
ARCHÆA *concedat locum*
Mille votis expetitum.
Nam sæpe longa, ut adsolet,
Quos reluctantes diuque
Multumque conspexit dies;
Hice momento minuto
Perversa naturæ exuunt
Optimis obtemperantes,
Aliosque mores induunt.
At redempta tu Quirini
Propago vindiciis meis
Exsili læta, ac triumpha
Liberrimis in curribus:
Liberali namque causâ
Te litteræ manu adserunt.

AD IOSEPHVM SCALIGE-
RVM, VLTRAIECTI F.

MVLTVM est, *Latinê scire loqui, & quidem*
Bene ac disertê. plus, propriê loqui,
Nullisque vulgi more nevis
Ausoniam vitiare linguam.
Per quinque jam me lustra vel amplius,
Imbutum amœnis pectora litteris,
Quas usque gusto, scriptitandi

Adſiduum cacoëthes urget,
Mentemque apertis illimere abditam
Cogit papyris: & tamen (heu pudet
Pigetque me vani laboris)
Sentio diſcipulus manere,
Rudisque tyro. nunquam etenim ſatis
Mihi ipſe feci, nedum aliis; quibus
Pimplæa cordi eſt, quosque doctos
Præ reliquis amat ara Phœbi:
Phœbi ſacrarum præſidis artium
Circùm implicatis ara comis Daphnes
Evincta, victurisque ſertis,
SCALIGERO *ingenuo virorum,*
Haud abnuente id Numine, debitis.
Nam te (fatendum eſt) omnia ad omnium
Vnum unicumque inventa rerum,
Et variæ cata diſciplinæ
Magmenta, IOSEPHE, *ingenij vigor*
Sic fecit aptum, fecit idoneum:
Vt nil ſit in toto Minervæ
Vertice pectoribusque poſtum,
Quod non peræquê promere calleas,
Vt ipſa, quodcumque in cerebro Jovis
Rerumque naturâ retruſum
Aut latet, aut latuit, dehincque
Porró latebit. Dona quis o tuæ
Æquare poſſit maxima Pallados?
Quis ampla linguarum tot inter
Munera, queis opulens abundas,
Ediſſerat, quonam ore potiſſimum,
Scitê exprimendo multiplices ſonos,
Facundus antiſtes? Faceſſat

Ales Atlantiales, supernis
Deorum & imis lectus ad Arcadas
Interpres. Hic est hic meus ille amor
Ardorque, Suadelæ medulla,
SCALIGER, *Aonidumque mystes,*
Qui cuncta sermonum omnimodis tenet.
Talaria olli nectite, & auream
Donate virgam, quemque pennæ
Pileolum decorent volúcres.
Ne tu potestatem o fuge creditam,
Caducifer; neve imperij novi
Insigne detrecta repugnax
Cæsaride. Tibi cedet ensis,
Magnus tibi ensis cedet Oriónis,
Seu fortis harpe, sanguine adhuc madens
Argi cruento, & perpetratâ
Cæde colubriferæ Medusæ:
Vt hac vel illo fretus, hiantia
Tu colla diræ Barbariæ feces,
Monstro tremendo, purioris
Delicium geniale linguæ
Contaminare præcipiti; velut
Qui virginalis purpureum ruit
Florem pudoris vi recinctâ
(Grande nefas) temerare cesto.
Dignum inde tantis pro meritis tibi
Canam triumphum. Si moriar prius
Quàm detur effectum; fac orbos
Luce mihi hos oculos resignes,
Injurioso quippe animas sciens
Cicre ab Orco. Spem sine postumam

Digitized by Google

Hanc ferre ſaltem nos, amicorum
O Coryphæe, nigras ſub umbras.

AD IOANNEM POSTHIVM.

SEX mihi poſt annos iterum cariſſime POSTH.
A profectione viſe
Italicâ, o quantis mea pectora lætitiarum
Reddidiſti delibuta
Roribus! o quantâ cumulaſti cor mihi rerum
Spe repleto grandiorum!
Dij faciant, eventus eat felicibus orſis
Dexter, optatoque fine
Sol auri, Luna argenti perfecta metalla
Conflet: obſipatus ignis
Noctes atque dies vigilacia lumina ſervet,
Excoquens flavas arenas:
Vnde ſatur lucri ſilicem rimabitur Hermes,
Partis & quinctæ medullam
Eruet, antiquos inventa decentia Reges;
Par quibus Gebar feretur.
Imperveſtigata latent quàm plurima certê,
Merſa in obſcuris tenébris.
Quod ſi Dis locuples venas aperibit opimas,
Teque cauſam originemique
Naturæ edoctum ac rerum, ſic provehet altê
Culmen artis ad ſupremum:
Soli tu ſtatuas Lunæque locare memento
Aureas argenteasque.
Dignus hic ornari, digna eſt decorarier:
Nam Deos mens grata placat.

Digitized by Google

AD MATTHÆVM SCHORERVM.

EVGANEVS collis, Nymphaque vallibus
Sese habens Etruscis,
Persæpe nostros æmulando
Gestiit ingeminare cantûs.
Testis erit Patavi docta Academia;
Testis inclitarum
Venusta Senarum corona,
Harmonico sale delibutâ.
DVCA potens illic virgineo melo
Mulcet audientes:
FELICIANVS heic sonore
Organico ferit aptus aures.
Nunc eadem nobis Musa animum movet
Ad Lyci fluenta, &
Symphoniarum mirus ardor
Quottidie magis incalescit
Ac magis: optatas ut juvenum solet
Fervidê cupire
Amore captorum impotente
Ignis Acidalius puellas.
Adspicis, ut totis ad modulamina
Pruriat medullis
Vtrique COLBINGER sodalis?
Ecquis ei faculas, quis æstum
Leniet? En hæc est lux tibi propria,
Annuo meatu
SCHORERI quam Solis reducem
Faustiter auricomi jugales.

Digitized by Google

Serta coronatas impediunt comas ;
Teque Muſicorum
Grex notus ambit . Pande ſodes
Pande fores , & amœna pulchri
Limina cœnacli ; liber in obvios
Quâ ſitûs & hortos
Silvasque proſpectus , proculque
Aërias patet usque in Alpes .
Ipſe Lycus noſtrum , & Virdo minor Lyco
Audiat canorem ;
Nymphæque feſtas explicatis
Plaudere ament pedibus choréas .
Eas mihi ſit , tantùm paſcere lumina , &
Dulce colloquentum
Et ſuave ridentium intueri
Labra , roſas imitata rubras ,
Aut folium florens arbore Punicâ .
Tetrici Catones
Abſint , & exactum perinde
Omnia cenſor agens ad unguem .
Læta decent lætos . triſtitia intimas
Conficit medullas .
MATTHÆE *tu prolixiorem*
Materiam cape geſtiendi .

AD IO. HAINRICHVM HAINZELIVM.

AVREOS *montes*
Aurei versûs
Si merentur ,
Vt ais , fidemque

Digitized by Google

Tibi vis haberi:
Ecquid age o lucelli
Carmina noſtra
HÆNZELI *ſperent?*
Quæ nec argenti
Quæ nec auri
Speciem aut colorem
Referunt. ſed ut ſit
Aurea vena, ſitve ar-
gentea forſan;
Ecquis hanc tanti
Eſſe ducendam
Æſtimabit?
Tenues profecto
Tenuem videmur
Inſtar araneorum
Texere telam:
Hacce tu pulchra
Templa Muſarum
Et cathédras
Redimire ſumis?
Vel eam, tapetum
More modoque, circa
Parietis oram
Rite ſuſpendis?
Næ moves bilem
Delioque &
Clariæ cohorti.
Cave enim, cave, ne
Præcipitem volutum
Ex Heliconis
Aureo me & te

Digitized by Google

Colle decurbent
Numina . ah quàm
Gravibus ruinis
Caderemus ! ah quod
Supplicium daremus
Plumbea moles !

AD LVNAM.

~~Cum Iocrini Postlio enixa esset~~
~~Lucas~~ F.

NOCTIVM *dux alma, comes dierum*
Luna, quæ nixu teneras puellas
Solvis, & lætos facis absque luctu
Edere partus;
O laborantí rudibus sub annis
Mitis adfulgens, uterum relaxa
POSTHIÆ, *patremque diu cupitâ*
Prole beatum
Redde: si vates medicusque sollers
Rite Phœbéis operatus aris,
Et dies noctesque tuo tuive
Fratris honori
Barbiton nervis habilem tetendit,
Teque verbenâ viridique nardo
Cinxit; aut frontem Clario Daphneâ
Frunde revinxit.
Cui torum conjux sterilem relinquit,
Orbus est heu pater, ante funus
Liberûm, vivâque adolet rogalem
Matre cupressum;

Digitized by Google

Vota nequicquam geminans, precesque
Ad Deum frustra calidas refundens.
Nec dolor dispar, eademque Nympham
Cura remordet.
POSTHII *Blandina ferax canatur,*
Vt Rudingeri facilis Creüsa, &
Estere Ley, lepidumque ridens
Suavia vatis;
Fura cui nomen dedit amnis unda,
Vnda Musæo similis liquori;
Quo tuos persæpe soles DIANA
Tinguere vultûs.
Dum loquor, LVCINA *piis parentes*
Anxios votis hilarans, in auras
Mittis optatum thalami jugalis
Pignus ERASMVM.
Ferte sacratas citó ferte limphas
Mystici fontis, riguisque primum
Editi fetûs caput evolutum
Spargite guttis:
Mox & enixæ genitricis ori
Cinnamum costique boni fragrantem
Fumulum insuffite, piâ precati
Voce salutem.
Vivat extento diuturna vivat
Sæculo proles tua, clare POSTHI;
Donec in celso veneranda Phœbe
Lucet Olympo.
Eia sic dicamus, & usquequaque
Prosperam partûs referamus horam;
Menstruos Lunæ, memores, nihildum
Fallere metas.

DANIELI

Digitized by Google

DANIELI PRINZIO, ROM. CÆSARIS AD MOSCHVM LEGATO.

MVSIS *amico quæ nova* PRINZIO
Tedas paranti carmina ſanciam ?
Quidquid canemus, ſive tritum
Cuilibet, e medio ve carptum,
Seu diligenti compoſitum morâ,
Limatioris teſtem operæ, boni
Facturus eſt æquique, cenſor
Optimus ingeniique & artis.
Sic ſpero ſanè: nil habeo tamen
Promittere alii. Tendat in arduum
REVSNERVS, *& ſollemne pangat*
Carmen, ut omnipotens Jehova
Quum condidiſſet Dædaleâ manu
Primæva mundi exordia; cælibem,
Manere, & expertem maritæ
Noluerit habitare Adamum;
Sed dormientis de latere intimo
Coſtam revulſam verterit ocyus
Fingens in humanæ figuræ
Membra, Deorum hominumque matrem.
Idem Philippus, cui patrio obtigit
De MONTE *nomen, concinat: aula quod*
Excelſa miretur RVDOLPHI
Cæſaris, Iſtricolæque Fauni
Fruſtra æmulari multiforâ invicem
Tentent avenâ. Nos popularium
Quod feſta Nympharum, venuſtis

Digitized by Google

Sueta choris, ſequerentur ora,
Pſallendum amatæ limina ad VRSVLÆ,
PRINZI, *juvaret commodularier;*
Ipſæque Feſcennina mallent
Lúdicra, luxuriante verſu,
Quæ Diva Cypri, quæque Cupidines
Nudi probarènt, quàm tetriciſſimas
Dignasque moroſis Sabinarum
Ingeniis Patavinitates:
Verùm, ut jubet lex, auribus eſt honor
Caſtis habendus. Caſta Deo placent,
Rerum ſatori: caſta mentes
Præ pietatis amore puras
Reddunt, & obſcenum agmen in ultimas
Terras relégant, cœtibus a probis
Exterminatum. ſic Amyntas
Fidus oves ſcabie malignâ
Exulceratas de grege ſeparat
Sano, bidentes incolumes putri
Contage ne læſas queratur
Poſtmodo, ſollicitus ſalutis.
O Caſtitudo, quàm prope nullum habes
Locum ipſa poſtquam legitimas Pudor
Metas coactus tranſilire
Capripedes apud impudicos,
Injurioſum perſequitur nefas,
Tandem reponi dignus in integrum.
Abite turpes in malam rem
Illico; vosque pudiciores
Adeſte ritûs. Tu quoque Puritas,
Ornata velo candidulo caput,
Præeris adeſto, & cum ſorore

Caſtificâ thalamos reſerva
Intaminatos. VRSVLA *amet virum*
Ardore tanto, quantus amantium
Nusquam exſtitiſſe ſcitur ardor:
Tuque pari vir ab igne flagres.
Sic conjugati vivite. Nil prius
Veſtris, ſecundum nil ſit amoribus.
Felicitatis in ſupremo
Cardine vos ſtatuat benignis
Fortuna pollens divitiis. Ad hæc
Veſtros amores turba Sileſidum
Miretur omnis: vos beatis
Adnumeret LEORIS, *quot unquam*
Sunt aut fuerunt, conjugibus, quot aut
Erunt futuri tempore ſæculi.
Naſcantur hinc ſperata vobis
Pignera cara tori, & nepotes
Virtutem avitam, quâ pote, fortiter
Manu adſerentes atque animi bonis.
Quid multa? votis plura dona
Juppiter his ſuperaddat æquus.

AD ELIAM PREVSSIVM, MATHEMATICVM.

INTER *innumeras conſpicuâ* DEI
Virtutes, rutilis ſideribus locum
Quisnam ſupremum, ſive partes
Præcipuas neget attributas?
Sunt tamen, quibus hæc Democriti in modum
Irridere placet, ſint quaſi ſomnia;
Mezentijque more cælum

Digitized by Google

Temnere, opusque virile cæli.
Nil Dei digitus, nobilis artifex,
Fruſtra compoſuit; nil temere omnium
Rerum creavit. En Olympus,
Quanta patet ſpatia, hunc per orbem
Maximæ loquitur regna potentiæ; &
Multo pluria, quàm ſit ratio capax
Humana, divinæ reperta
Continet ingenioſa mentis.
Tu volubilium momina cardinum
Indagare ſagax, ſignaque verticis,
Horoſcopumque, ſcite PREVSSI,
Fátaque ſortilegasque Parcas,
Quidquid & varios per poſitûs micat;
Seu quantum valeat lenn ab æthere
Seu torvus adſpectus: quid ortu
Conveniat, quid in occidentem
Vergat, & medium quid deceat polum:
Quæ Fortuna aliquem divitiis beet,
Quis caſus adfligat: quid illi
Exitium ferat atque mortem;
Huic ſtatum innocuum, atque ütibilem moram
Vitæ. ſcis itidem, quid premat óbrutum
Stellis ſiniſtris, quidve tollat
Adque gradûs vehat altiores,
Dexteris facibus. Certô equidem, ut lubet,
Mecum ſic ſtatuam, ſic ratiocinor
Mecum neceſſe eſt: Fata mundum
Dirigere, ipſa Deo ſubeſſe:
Aſtra poſſe ideó plurimum in infima.
In fatis fuerit, me fore ſátrapam
Regemve; quis fatis repugnax

Digitized by Google

Gemmiferam impediet coronam?
Fata præcipiant, te fore præſulem
Seu Pappam; quid erit, quod redimicula
Negare portendat tiaræ?
Perpetuas adeo usque ſortes
Meta ſigniferæ circumagit rotæ,
Nunc huic nunc alij proſperioribus
Amica rhombis. Sint licebit,
Queis pudor eſt eadem fateri;
Non tamen proprias exſerere abnuunt
Vires aſtra. ſuum cuique negotium eſt
Igni; nec unquam in Microcoſmum
Robore languet agens poteſtas.

AD FRANCISCVM WALSINGHAMVM, ELISABETHÆ REGINÆ A CONSILIIS.

VT antè ſeptem plus minus meſſes tuæ
Miſi legendam Heroidi
Rhapſodiarum dapſilem farraginem,
Satûs juventæ parvulos:
Sic nunc eidem grandiore mergites
Spicâ replentes horreum
Non extimeſco miſsitare, exoticam
In Albionis inſulam.
Hoc quidquid eſt aut qualecumque, ſe tuo
Commendat, o WALSINGHAME,
Dulci favori, gratiæque mutuæ.
Occaſionem commodam
Nactus, fac iſtud ad manûs pulcherrimas
Venire Reginæ queat,

Digitized by Google

Oculosquè ad ipſos ſiderum inſtar lucidos . .
Non illa propriàs ſibi
Laudes, inexſtinctæque gloriæ decus
Illuſtre dedignabitur;
Neque attributa honoris alta encomia
Diſpernet ab ſeſe procul,
Quanquam profecta vate ab externo, tamen
Illius haud certê minus
Amante, quàm ſi natus eſſet ſubditus
Sceptris Britanniæ aureis,
Normæque legum æquabili veſtratium;
Queis illa juſtitiæ tenax
Pro ſingulari pectoris ſapientiâ
Paci ſtudens ante omnia, &
Tranquillitati, civium nutriculæ,
Regnique tutrici, Themin
Conſervat illibatam, & urbes floridas,
Populique corpus integrum.
Quid commoramur hisce ſub plagis diu,
Lycumque fruſtra cantibus
Oneramus amnem? Fallor, an Thameſina aqua
Jampridem oloris Francij
Ad nota præſtolatur adventum vada,
Gratum inter alites locum
Sedemque conceſſura candidiſſimas?
Ibo, & relicto Teutonum
Cælo, Britannas hoſpes Oceanum mare
Transvectus auras imbibam.
Fortaſſis iſtic, quod diu quæſivimus,
Tandem repertum ſe dabit.

Digitized by Google

AD ROBERTVM BEALVM, REGINÆ ANGLIÆ A SECRETIS IN CONSILIO.

TEVTONVM *mirus* BEALE *o amator;*
Ecquid ut Nicrum fueras ad amnem
In Palatini celebratiorem
Principis aulam
Missus, ex illo memor es Melissi
Tempore, & nostru retines perennem
Mente sincerâ, quasi in ære puro
Aut adamante
Candido scalptam graphicê, figuram;
Quam tot exoptata colunt amici
Turba, tot servant nivei irreflexo
Corde fidales?
Nos dies noctesque tuos avemus
Cernere Anglorum in regione vultûs,
Quamque præsignem tibi comparasti
Bibliothecam,
Oppidò ditem veterum librorum, &
Arte cusorum omne genus recentum.
Tam diu quid me fera bella tardant?
O mora! quid me
Tam diu differs? quid agor retrorsum?
Stat tamen mitem BEALVM *osculari*
Velle cum WALSINGAMIO *stat ipsum*
CÆCILIVMque
Posse BROMLEIVMque *videre, nec non*
Pectus HOVARDVM, *reliquosque in aulâ*
Nominis magni proceres ab alto

Sanguine cretos.
Numen in primis venerandum ELISÆ
Versibus cultis amo demereri,
Grande laturis trifidum per orbem
Pondus honori.
Dij meos orsus, mea Dij secundent
Cœpta. Quod dilatum aliquando, quis scit
An favor compenset iter mage amplo
Munere sortis?

AD GEORGIVM GILPINVM, REGINÆ ANGLIÆ AD COMITIA AVGVSTANA LEGATVM.

GILPINE, *cui fas nosse Britannicæ*
Secreta Divæ, quique repertus es
Vnus RVDOLPHI *dignus aulam*
Cæsaris, ad Lycum fluenti
Sequi recessûs, Vimelicûm procul
Findentis oras; quandoquidem nimis
Diu feri intercepsum ab hostis
Sævitiâ gravis imminentem
Custodit arcte pœna ROGERSIVM,
Lumen Camenarum: annuis, an meos
Repellis obstando rogatûs?
Annuis benigne, meisque votis
Locum relinquis: hinc adhibis entheæ
Mittesve Nymphæ Pindaricum melos,
Measque commendare perges
De meliore notâ Camenas.
Jam concitatis quindecies equis
Titânis acres Zodiacum ungulis

Percursitarunt, gnavus ex quo
Scribere, quæ faciant decóro
Latinitatis, nunquam ego destiti,
Politiorum scilicet æmulus
Rerum, elegantiæque tersæ.
Ecquid enim melius venustat,
Quàm lima, carmen? quid magè verba, quidam
Ars? Inter hæc ego laudibus inclitam
HEROIDA *exornare sumpsi,*
Oceani dominam potentem
Et Albionis. quin etiam dehinc
Plenè absolutum versibus aggredi
Opus sonoris cogitarem,
Illius ellogiis refertum,
Præbente Divâ materiem, & modum
Præscriptum agendi. Tu precor interim
GILPINE, *quid Regina mandet,*
Quid jubeat mihi adordiendum,
Felice pennâ significaveris.
Me, quantus hic sum, devoveo illius
Famæ celebrandæ, Britannorum
Omnis ad obsequium paratus.

AD IACOBVM ZELINIVM NOB. POLONVM.

ERGO *ibis, & nos tam citò deseres*
IACOBE, *paucum vix tibi cognitos*
Ad tempus? ibis nempe, & ora
Ausonias tibi, sive Gallas
Lustrare mens est, sive Britanniam,
Subjecta ELISÆ *regna virginis.*

AVGVSTA *non tanti est, ut ultra*
Sustineat tuus heic manere
Vultus, Camenarum obsequio diu
Jam manciparus? Vah, HELICONIO
Tecum quoque abducto, gregales
Colloquio meliore privas!
Jucundus eius sermo, itidem & tuus,
Mirum in modum nos exhilaravit, ac
Mensæ voluptatem serenam
Attulit, officiosus erga
Quosvis. Vt ægrum est, pectora dividi
Aut separari (proh dolor) invicem,
In mente quorum, ceu decorum est,
Vna fides, amor hæsit unus!
Ego heic RVDOLPHI *Cæsaris exitum*
Negotiorum, quidque boni ferat
Conventus, exspectare lento
Constitui pede, nec supinus
Nec curiosus prænimis. Ilicet
Matura paullo post abitum & mihi
Suadebit Auctumni ingruentis
Hora, pari celeres diebus
Noctes adæquans mominè. Tu viam,
Quo fata ducunt alitibus bonis,
Ambage confectum brevi des,
ZELINI *Æque Jacobe gentis*
Virtutem adauctam, non sine gloriâ,
Et stemma avitum cum patrimonio
Seros propáges ad nepotes,
Aonisin decorî futuros
Dehinc & ipsos. Quid magis inclitum, &
Famæ pereunis nomine dignius,

Digitized by Google

Quàm si politorum Polonûm
Nobilitas cluet erudita?

AD ANDREAM DVDITHIVM.

De clade, quâ Turcæ a Perſis in Meſopotamiâ profligati ſunt. Anno CIↃ. IↃ. LXXXII.

NVNC eſt ovandum, nunc lyra Lesbio
Pangenda plectro: nunc popularibus
Laudes Idumæo Jehovæ
Dicere fas reverenter hymnis.
Dextræ potentis robora, DVDITHI,
Oſtendit ille, & cladibus horridis
Adfecit infeſtos catervæ
Chriſtiadûm, genus acre, Thracas.
Accepta Perſis, ac ſocialibus
Georgiani viribus agminis
Ferenda palma eſt. Sævus Oſman,
Quo rigidis truculentiorem
Vidiſſe in armis Maſſagetæ negant,
Tot copiarum ductor Amúrathis,
Hac ſtrage bis vicena fertur
Millia ſacrificaſſe Diti,
Suis ad unum ſcilicet omnibus
Fermê peremptis turbine bellico:
Magnamque Perſarum maniplis
Typhlida vi ſubitâ occupatam,
Aurique onuſtos pondere maximo
Captos camelos fama volans refert.
Audacis Euphrátes duelli

Digitized by Google

Teſtis, Achæmeniusque Tigris.
Quo te ſecundi numinis arbitrer
Favore tantas res gerere, ISMAEL
Sophi? dat exemplum ſupinis
Teutonibus tuis ille Mavors
Hoſtes ruendi. ſed timidiſſimas
Silvarum in antris ſternere beſtias;
Cornuque venatoris uncum,
Quàm lituosque tubasque pugnam
Denunciantes, tutius eſt ſequi:
Nec belluarum conſtat inermium
Tanti per haſtas aut verúta
Fuſus humi cruor, ac Gradivi
Fortes lacertos enſe laceſſere,
Ad ſuſtinendas impare flictuum
Plagas, & arcendis minore
Impetibus, violentiaque
Ferri retundendæ haud ſat idoneo.
Virtutis eſt, ſi Diis placet, imparem
Vitare congreſſum Gigantis,
Et fugere oppoſitas cohortes.
Ac præſtat inter grandia Liberi
Deprœliari pocula, Rhætico
Spumantia aut vino Caléno,
Rhenigenæve liquore vitis;
Vt multus Hector ſudat in Héctorem,
Vdoque Achilles udus Achillei
Contendit urgens: quàm ſitisque
Impatiente famisque dirâ,
Fatiſcere ægro pectore languidum.
Porró quotusquisque eſt, Helenæ in ſinu
Tepente qui non malit ultro

Sic recubans, Paridis veterno
Torpere ſegni, deliciis fruens
Deſideratis; quàm ſibi claſſico ob-
Strepente ſomnum turbulentê
Rumpier in mediâ quiete?
At præcavendum, ne vetuli modo
Canis Moloſſi, pandiculantis æd
Fornaculæ æſtum, nos meráco
Atque ſopore gravi ſepultos
Et oſcitantes hoſticus opprimat
Furor Tyranni, terribiles Scythas
Getasque Rhiphæosque ſecum
Odryſiosque truces trahentis
In noſtra paſſim damna. Volucribus
Sit, rete tracto (neſcio quis Midas
Objectat) involvi capique;
Squamigeræ pecudi, ſagenâ
Circumvenirі. Quis ſapientiam
Sero excitatos quærat apud Phryges?
Hanc nationem non niſi ictûs
Verberaque & tudites malaſſant.

AD IOAN. MICHAELEM BRVTVM.

AIN' BRVTE meæ chelyn Thaleia
Spirare vivo carmine Pindarum;
Et quadrare mihi modeſtiori
Auram cycnéam vatis Horatij,
Præſentem ex humili ſolo, ut lubebit,
Tractûs in altos tollere nubium?
Acte BRVTE negas alacriorem

Digitized by Google

Salluſtij mentem, ácreque Livij
Dulci cum Genio obtinere robur?
Næ tu diſertâ callidus invicem
Ambos conciliare quibis arte,
Alter licebit forſan iniquior
Manes alterius ciere amarit.
Mi molienti grandia, non quidem
Indéſes ſtudium & virilis ardor
Deſit: ſed atri dira malignitas
Obſtat temporis; obſtat ipſe vulgus,
Seſe eruditis qui putat auribus
Ferre judicium, ac nimis procacem
Agens Ariſtarchum, Ausonios modos
Damnat, & veteres Latinitatis
Voces. Dolendum eſt, usque adeó malam
Siniſtramque viros opinionem
Doctos tueri mordicus. Eſt, ubi
Nonnunquam, ad lapidem velut viator
Incautus, offenſum atterimus pedem;
Peccandi haud animo, ſed evehendi
Ad dignitatem, quæ cecidere nunc
Tot vocabula, ſi probaret uſus,
Fandi magiſter. Res alia eſt, ſtylo
Velle perſpicuè exarare quidquam
Vinclis ſoluto: res alia eſt item,
Cogere in numeros tibi obſequentes
Antiqua linguæ nomina Romulæ.
Famam, quâ pote quisque, conſequendi
Flagremus æſtu. Me mea FRANCIA
Vixiſſe incelebrem negare poſſit
Verſu canoro, & pectine Muſico.
Túte BATTORIDEN *perácer (at quem*

Digitized by Google

Heróa?) ſumes BRVTE *pedeſtribus*
Dicere hiſtoriis. In his quid obſtat
Criſpum æmulando, non ſine gloriâ,
Iuuencique Euganeum, ut minus feraris
Lecto repugnax cedere Cæſari?

AD IOANNEM LOESERVM PREZIVM, IO. F.

LOESERE, *clarâ nobilis a domo;*
Quem lætiorem, dic age, nuncium
Beatioremque ab ſecundo
Ferre mihi potuiſſet Albi
Ter auſpicato ſidere Atlantius?
Quæ gratiori dulcis epiſtolæ
Compreſſa ſignaclo diſertus
Gaudia, prolubio audiendi,
Portare quiſſet MEZIVS? *huc ubi*
Pegneſſum ad amnem Noridos hoſpitæ,
Me deliteſcentem ſilenti
Numina Deiphobes in antro
Eventa rerum, atque innumerabiles
Caſus futuri temporis áddocent,
Regumque præſentes ruinas,
Imperiique novas ſecures.
Omen ſuperbis triſte Bimembribus,
Conjunctionem ſidereâ in plagâ
Jovisque Saturniique magnam
Magna pericla ſequi neceſſe eſt,
Vicesque miras. His ego dum vigil
Intendo mentem, quæque volubili
Dehinc Planetarum recurſu

Digitized by Google

Fortior ad mala vis Trigoni
Portendat, acri lumine metior,
Perculsus imum cor gelido metu:
En fausta de te sparsa Fama
Conjugioque tuo, timorem
Frontisque nubem dispulit ocyus;
Ceu tædiosis nubila dividens
Opaca nimbis, sana cælum
Aura aperit Boreæ serenum.
Felicitatem non tibi gratuler?
Natura quanto dædala, & artium
Pallas repertrix te crearunt
Corporis atque animi venustis
Insigniorem dotibus; atque tu
Te castiorem usque & mage sobrium
LOESERE *gessisti, probatis*
Moribus, ingenuâque vitâ:
Tanto merenti pulchrior omnibus
Puella Nymphis, atque modestior
Oblata Fortunæ favore est,
Gente alacri sata PHLVGIORVM,
Virtute præstans VRSVLA; *non sine*
Amplo facultatum augmine, & uberi
Opum adfluentum copiâ. Tu
Dignus es hac, eademque digna est
Te conjuge. exin digna parentibus
Nascantur æquum est pignera, patriæ
Flos stirpis almus, MISNIÆque
Grande decus, columenque rerum
Cum laude partarum. O utinam mihi
Tantisper ævi ducere terminum
Concedat exorata Clotho,

Dum

Digitized by Google

Dum generi monumenta veſtro
Adfinium quam-proxima gloriæ,
Queis VOMER *inſigne eſt, ſacer exigam*
Vates! Duorum nempe fratrum
*(*CÆSARIS *alter habere nomen,*
Alterque nomen nobile IVLII,
Olborna cura ad Sequanicum Dubim)
Recordor in primis; amicos,
Gallica Marte premente regna,
Expertus ambos. At tibi, candide
Amice, quid non debeo? Quàm meæ
Adeſſe præſtó dignitati
Te nihil erubuiſſe lætor:
Præſente cum vel mille frequentiâ
Et Italorum & quos amo Teútonum,
Comes Palatinus crearer,
Atque eques, Auſoniusque civis!
Puram BOQVOLDVS *nam chlamydem Hólſatus,*
Et Francus enſem FVCHSIVS *aureum,*
Calcaria auro tinctá LOESER
Miſnius, empyriumque torquem
Mi præferebat GRYNIVS, *inclitum*
Cui terra Pallatina dedit genus.
Sed hoc parum aut nil fortè veſtræ ad
Nobilitatis equeſtre lumen
Conferre quisquam dixerit: attamen
Grati relatum pectoris ergo ſit,
Se mune præbentis togato
Carmine. Tu tibi gratulantis
Vocem ſuſurram, & Romuleum melos,
Inter canoros parvam aliquam cycnos,
Quos glaucus Albis, quos Elyſter

Digitized by Google

Vitreus amne ſuo canentes
Arcere parcit, ſponte tuâ ſinas
Habere partem. Haud omnia poſſumus
Omnes. Tubarum inflare nervos
Inſcius, hiſcat oportet aſſam.

AD TYCHONEM BRAHAM, NOB. DANVM.

QVANTVM *laboris, quantum operæ, dies*
Noctesque fontanum adproperans opus,
Fuſſu ſenatûs oppidani,
POEMERIVS, *meus ille Theſeus,*
Vir conſularis, nomine regio
Exhauriendum ſumpſerit, exprimi
Verbis (opinor) vix poteſtur,
O TYCHO, *nobilium columna,*
Danoque Regi conſiliantium
Statera. nam ſeu ſculptilibus typis
Quid præfigurandum e pyraſtro;
Sive polita, recente cerâ,
Fingenda Nymphæ forma venuſtulæ;
Seu candefacti pronus ab igneo
Fluens catino rivus æris
Subter humum, ſimulacra vênit
Obinduendus per nova: primitus
Id (ne quis error poſt remoræ foret)
Delineari rite fecit
Artificis ſapiente dextrâ;
Antiquitati ſcilicet hunc catæ
Habens honorem, ceu decet, ut nihil
Non mutuandum dignê ab ipsâ

Digitized by Google

Duceret. inde cava ſcatentum
Lymphis ſuſurros ora canalium
Secrevit inter ſe variabili
Proportionis æquitate;
Eximiam ratus eſſe laudem
Excogitando res ſuperaddere
Eiusmodi, quæ tale opus incliti
Herois ad trecenta ſæcla
Poſtgenitis memorare pergant.
At longiori te, BRAHA, *ne morer*
Ambage; quid porrò eſt, quod omiſerit
Vir ille, & in quo non abunde
Omne ſuum ſtudium adprobarit?
Effecit hercle, ut non modò ego ipſemet
Conarer ad Regem inſuperabilem
Quiddam æmulari, ceu ſolemus,
Pindaricâ gravitate dignum;
Verùm & ſonoris harmonicus modis
Concinna cantor exprimeret mele,
Deleniendis apta veſtris
Auribus. Ergo bonas utrinque
Concepimus ſpes, haud ita nos malam
Iniſſe miſſo carmine gratiam
Ab liberali in eruditos
Principe, munificæque dextræ.
Quapropter, etſi magnificentior
Per ſe futura eſt POEMERII *ſatis*
Superque commendata vobis
Sedulitas, animique noſtri
Ardens voluntas; quum tamen autumen
Egere noſtram lampada, quam vides,
Illuſtriori Sole: tute

Digitized by Google

Splendidius patienter addes
Lumen, facemque ex te mage fulgidam.
Si magnus ipse es Phœbus, uti pol es;
Stellis minutis tute lucem
Conveniet (puto) fenereris.

AD NITHARDVM THYNGENVM, NOB. FRANCVM.

NVNCIVM o gratum mihi, Posthiane
Quem tulit cursu propero verédus;
Jam locum THYNGENE *tibi secundum*
Præsule partum:
Heic ubi Pyrgos virides amæno
Mænus allábens patrius fluento
Radit, & pleno riguas Iaccho
Sufficit undas.
Suavior quænam mihi dulciorve
Icere adventu potuisset aures
Aura? quæ mentem mihi verberare
Fama secundo
Lætius rumore sonove quisset?
Gaudio exsultat cor, & ima crebro
Gestiunt, tentantque jecur fibrasque,
Viscera motu.
Testis ardorum locuples meorum
Ipse Pegnesius, socioque quamvis
Invidus Rhegnésius aquis remistis
Nomina tollens.
Euge, gratantem tibi perbenigno
Respice o vultu, patiens vocari
Numen, & vatum pater, & relicti
Cura Camenis.

Digitized by Google

AD IANVM GVLIELMIVM.

IAMDVDVM omissis deliciis Rhodes,
Plectrum sonori mobile barbiti
Abjeceramus, GVLIELMI
Æoliæ fidis æmulator:
Cum nescio quis me velut arbitrum
Vocans Camenarum, impulit ad graves
Modos, & heroos canores,
Historicis opus inchoandum
Sublime textis. Mentior, an tubæ
Clangore doctum Calliope gregem
Non solùm ad ardorem canendi,
Verùm etiam manibusque & armis
Pugnam virilem fortiter aggredi
Excit lacessens? O mihi si dies
Tot prorogaret lentitudo
Fatiferæ resupina Clothûs,
Quot finiundæ sufficerent rei
Stato tenori: quantus ab arduis
Et ipse gestis, qualis alto
Carmine gesta sonans cluerem!
Suscepta nervis juppiter omnibus,
Totoque cunctarum impete virium,
Per elaboratos Dynastas
Sudor anhelus ad umbilicum
Extremum, ut aiunt, munera duceret,
Virtute partis non sine præmiis,
Seros beaturis nepotes:
Qualia promeruisse dignê
Miramur olim pulvere Olympico
Heróas, acres quadrupedantium
Cursu caballorum citato

Digitized by Google

Palmiferam anticipare meam,
Gravisque luctæ flictibus impigros
Domare congressu oppositam manum.
Sed hacce tempestate frustra
IANE *oculis inhiamus æquis*
Rerum potentes, queis veterem lyram
Audire amicum sit. quia desitum est
Laudanda patrari, pudori
Laudem alicui tribuisse habetur.
Ergo propinquum est, si sapimus, procul
Summatum ab aulis horridioribus
Secedere ad caulas, modosque
Bucolicos, humilesque avenas.
Campis apertis, rureque libero
Libet vagari, & nunc tacitum in nemus
Reptare, nunc lenem prope amnem
Herbiferis recubare in antris;
Aut mane clivos scandere montium,
Et vespere undas visere fontium;
Atque inter errandum venustam
Æmyliam, Æmyliæque ocellos,
Et Sophroniscæ blandiloquentulam
Sonare linguam, pulchraque Myrtilæ
Labra, & Melissæam ROSINAM
Candidulâ facie nitentem.
Heic nostra sunto regna, per avios
Silvæ recessûs; heic mea fistula
Faunis, verecundoque Pani,
Atque adeó Dryadum pudicis
Certet choreis. Ardua præanimis
Tentare durum est. In mediocribus
Citra indecorum sempiternam
Glorier obtinuisse palmam.

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORVM LIBER OCTAVVS.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

METAS *attigimus temporis ultimi,*
O REGINÆ. *Brevi nomine machina*
Perfectißima mundi
Diſſolvetur; & ignibus
Arſuram metuet, quisquis in hoc ſolo
Vitam maluerit degere perpetem,
Quàm ſacrarii mentis
Illuc, unde oriens ſumſit
Duxit principium, dirigere in locos
Vulcani rapidis inſuperabiles
Flammis. Aſpice cæli
Convexa; adſpice ſiderum
Lapsûs. curriculum pelliciti ſumus
Nobis pol nimio longius, ac vices
Parcæ ferre poteſſunt.
Feßis interitum omnia
Præportant elementa, & gemitu gravi
Teſtantur ſubitos ponderis impetûs.
Vertentis tamen ævi

Errorem mediocribus
Emendare modis maxima Romulo
Cura est Pontifici. Quid juvat, orbitas
Phœbi & menstrua Lunæ
Heu vestigia sedulis
Observare oculis, & tamen interim
Indirecta sequi? Scinditur indique
In diversa populus,
Ignorans rationis, &
Normæ legitimæ. IANE bifrons, viam
Fac rectam doceas, irremeabilem
Scrutantes seriemque
Annorum, & celerem poli
Gyrum: nam & veteris gnarus es, & novæ
Ætatis. Redeant tempora Julia
In fastos hodiernos,
Ne non æquinoctes, simul
Bino solstitio, certius ingruat:
Mensis quisque suis, ex memorabili
Urbis more, Calendis,
Nonis constet & Eidibus:
Ortûs nec dubios astra habeant, neque
Incertos obitûs. Denique quos fidem
Christi & juncta professos
Ipsum nomen ab Ethnicis
Non uno indicio separat, invicem
Ceu membra animi pectore mente que
Junctissimus, ad usque
Lucis fatalis ultimæ.
At tu sive novi sive veteris libet
Ritûs picta sequi signa, ita vivito
Immortalis ELISA,

Vt quamvis tibi nemo sit
Interrâ similis, sic animum tamen
Devitæ fragili consolides statu,
Vt post pauca dierum
Interstella sonum tubæ
Credas Angelicæ desuper auribus
Illapsurum hominum. Talia qui carè
Secum mente volutat;
Fausti auspiciis novi
Anni per superos quottidie frui
Non istac in humo, sed Paradisiis
Sperans optat in hortis,
Dempto sine virentibus.

AD IVSTVM REVBERVM IVRISC.

TAm docta, & artis scita, celebrium
Scriptorum in oris TEVTONIÆ manus,
Qualem videmus cum Pelasgos
Tum Latios apud exstitisse,
Queis cura texendæ historiæ fuit,
Rerumque gestarum egregiè & domi
Forisque; si florens adæquè
Præteritâ viguisset olim
Ætate: quantum res ea commodi
Nostræ tulisset, quot bona, patriæ!
Quantis abundaremus actis!
Quot monumenta ducum potentum
Belloque & armis cernere, nec sine
Plausu, liceret! quot modò prælia
Commissa, pugnatæve pugnæ

Digitized by Google

Dispositâ in statione Martis,
Aures ferirent magnanimis viris!
Fragmenta solum, ac pléraque barbarê
Consuta nunc REVBERE *restant;*
Vix quoque digna legi, nisi auctor
Vnusque & alter vel tacitê insitâ
Quodammodo vi pectora pertrahat,
Fore adsevérans, inter istas
Vt paleas tenuesque glumas
Inventa dent se grana aliqua optima
Frugis. Dolendum est, usque adeó sue
Vixisse famæ negligentes
Teutoniæ proceres vetustos.
Atqui sat illis tunc erat, inclitas
Gessisse res; ac strenua fortibus
Ausis rudimenta, ut decebat,
Militiæ posuisse quondam,
Laudis futuræ sollicitis parum,
Nec curiosis, post nigra funera
Quid scriptitaretur nepoti.
Quemque animo sumo excitabat
Honos, & ingens mentibus indita
Virtutis ardor, non nisi in ardua
Scandentis, & præclara (quoad quis
Viveret) adsiduê minantis.
Vt quisque magnam fuderat hostium
Victor catervam, sic patriam ad dapem
Contentus in præsens vel uno
Saltem erat ille melo canentis.
An non supinos arguerim, & minus
Cautos Latinos, sicut & Atticos
Cives; nitorem ac puritatem,

Digitized by Google

Linguæ utriusque perire passos ?
Flos ille postquam concidit elegans
Sermonis, & lolium immedicabile
Insedit arvis ; derepente heu
Finitimus Aquilonis urbes
Latè occupavit Barbaries ferox,
Hirsuta frontem, & dentibus aspera,
Induta villosam lacernam,
Oraque vincta gerens solæcis.
Agrestis instar hæc suis omnia
Vastare tendens, ac ruere impetu,
Quo non penitravit locorum ?
Quidnam age liquit atrox inausum ?
Et quem fugit, quàm turpiter ipsamet
Jura atque leges collutulaverit ?
Quâ labe Celsi disciplinam
Polluerit ? Sophiæque in artes
Grassata cultus, mox etiam Jovis
Sacrum profanans contemeraverit
Impune ? Quantum exstat malorum,
IVSTE, *notam opprobrij merentium ;*
Hæc sola eorum est causa. Quid attinet
Culpare nostros ? hanc satius feram
Illuc relegandam, malum unde
Ipsa pedem tulit, arbitreris.
Quod corrigendum se patitur nefas,
Non corrigamus legitimè ac probè ?
Mutare si quid non valemus,
Ferre animo decet illud æquo.

Digitized by Google

AD IO. POSTHIVM ET FRANCISCVM MODIVM.

De obitu Iani Melleri Palmerij.

ARTIS *Pæoniæ ſcite & Hyantiæ*
POSTHI, *tuque catæ Juſtitiæ* MODI
Inculpate ſacerdos,
Vatum lumina dulcium:
Ecquonam exſequias carmine fúnebres,
Ecquæ juſta piis Manibus optimi
MELLERI *rear ambos*
Perſolviſſe, madentibus
In præsens oculis? Cernitis, ut ſuis
Nil quidquam lacrumis heu GVLIELMIVS
Demat? nil ſibi parcat,
Manans irriguis aquis,
Vel ſalſum Thetidis quæ ſuperent liquorem,
Ob fatum ſocij non reducis? Mihi
Pol rorantia largo
Fletu lumina adhuc rubent:
Nec ceſſo madidis PALMERIVM *genis,*
Phœbi delicium, & Pieridum decus,
Solis plangere in antris,
Illiusque abitum queri.
Hylen ah quoties Norida vocibus
Compello querulis! ah quoties ſono
Lugúbri cava pulſo
Pegneſi vada cæruli!
Aut tu ſilva nigris abietibus virens,
Silveſtresque Dea, reddite mi precor

Digitized by Google

Cultum reddite vatem ;
Quercum ſæpius integros
Contrivisse dies haud nimium fuit,
Extersum variarum innumerabiles
Expendisse figuras :
Aut pegnesse meum mihi
Redde o PALMERIVM, redde mihi meum
MELLERVM ; ingenio cui prope nemînem
Indagare licebit
Posthac aut similem aut parem.
Nymphæ vos memores estis adhuc, adhuc
Vos estis memores utraque ripa ; vos
Flavæ denique arenæ,
Quas calcavimus hospitas,
Non quitis tacitê non reminiscier,
Quo candore animi, queis studiis simul
Conjuncti fuerimus
Cultores Clarij gregis.
Cur suavi careo pectore ? cur nihil
Præter colloquium me penes est eo
Vivo, o Parca, relictum ?
Doctæ cur egeo manûs ?
Sic desiderium flebile ruminor
Absentis : sed enim sollicitus virum
Frustra luce reposco,
Frustra nocte reflagito.
Is vix Sequanicos liquerat angulos,
Rheno quum propior redditus, in tuum
ARGENTINA Triboſſa
Se fessus gremium intulit.
Tum (nec longa mora est) Atropos hospiti
Vitalem immerito dissicit heu glomum ;

Digitized by Google

Ceu falx mite virentis
Truncat Parthenij caput.
Heu quantum occubuit præsidium novem
Musis! quale decus! Frigida quem semel
Vitæ pausa sequuta est,
Nunquam in has rediet plagas.
At tu funeream succine næniam
POSTHI, *quam numeros Mænus ad Orthios*
Factam ediscat; & udos
Te cantantem Elegos, MODI,
Auscultans Halius Cocchar in humidas
Solvatur lacrimas. Sentiat hos recens
Vmbra in sede piorum,
Gratumque officium probet.

AD IANVM GVLIELMVIM EVMOLPIVM.

EX QVO *sacrati filium Apollinis*
MELLERVM *acerbo lanificæ Deæ*
Fato nocentes sustulere, ex
Invidiâque odioque palmæ,
Quam consequendam ex artibus entheis
Atque elegantis fetibus ingeni
Restare cognorant, nisi olli
Forfice præproperâ scidissent
Abrupta vitæ flamina: te bono
Jam litterarum gaudeo vindicem
Sollerte successisse dextrâ,
Ingenij que alacris vigore,
O GVLIELMI, *nobile Teutonæ*
Decus Lubecæ. Non modò tu libros

Vertes Pelasgos diligenter
In Latiæ genuina linguæ,
Novosque apricans in bene consitis
Leges Dionæ puriter hortulis,
Apis Matinæ more, flores:
Verùm etiam studio irremisso
PLAVTI vetustas, quâ pote, fabulas
Terso nitori restitues, locis
Opem ferendo LANE mancis;
Tum mutilis Ciceronis alti
Scripta heu lacunis plena resarcies,
Fretus sagacis viribus indolis,
Industriâque intentiore:
Quam reliqui quoque ceterorum
Auctorum oborti per vitia obvia
Nævi obligato vulnere sentient.
Quid dente obunco non vetustas
Rodere amat carioſa? quid non
Annosa turpat tristibus ævitas
Refecta mendis? Macte vicariâ
Virtute, doctrinæque multæ
Congerie, o vitiûm resector.
Vt falce ramos demit inutiles,
Feracioresque inserit annuus
Frundator, & segnes recidit
Sirpiculâ reseces colonus:
Sic tu frequentum sphalmata codicum
Truncare, & errorem innumerum stylo
Auferre correctore tendens,
Æquius ac melius reponis.
Robigo per te rancida tollitur,
Quæ paginam exest: per te itidem rudis

Digitized by Google

Squales, ſcabresque inculta limam
Aſperitate abeunte ſentit.
Duris ſalébris induitur nova
Cultura, ruri mundicies decens.
Hunc tute campum litterarum
Adſiduê irpicibus fatigas.
Per te novali jam neque cardui
Surgunt, neque horrens ruſcus, & hiſpidi
Vepres; neque hirſutis rubetis
Pullulat ægra ſeges per hortos.
Tu copioſæ per dociles agros
Frugis repertor, non ſterilem ſinis
Regnare lappam caricemve,
Non filicem, aut paliuron hirtum;
Ac ſi qua porrò de genere hoc lues
Arva occupavit Romula. Fallor, an
Te peſtis Averruncum iniquæ
SCALIGER *indigetabit, ille*
Europæ ocellus SCALIGER, *incliti*
Propago Juli Cæſaris, ortum habens
Ab urbe Veronâ indirempto
Ordine, principibusque claris?
O me beatum ter quater, huius in
Ætatis aurum qui ſatus incidi,
Cernoque florentes ubique
Gentium Apollineos alumnos!
Quos inter augens tu tibi maximam
Jam comparaſti laudis adoream,
Inſignis EVMOLPI, *tuumque*
Nomen in Aonidum perenni
Templo ſacraſti. Jam Genius viget
Perpes, laborum lætus herilium,

Spernaxque

Digitized by Google

Spernaxque livoris. Quid ultra,
Dij Genio dare habent fruendum?

AD CHRISTOPHORVM HOMAGIVM DELICIANVM.

NON in divitiis uberioribus
Vitæ hominum, fluxis aut opibus, sita est
HOMAGI; sed in modestâ
Quæ deceant ratione agendi.
Virtuti pretium præreliquis magis
Nobile debetur. Ne tibi sit Midam
Aliquem beatiorem, aut
Ducere Crœsum opulentiorem,
Vt sumunt operam lucrificabilem,
Millia ni centum possidet aureûm,
Vel eo amplius. Quid ergo,
Cui minor est modicis facultas
Aut fortuna bonis, se petulantius
Prætumido Pluto jactitet ebrium?
Sapere illud est, honestâ
Posse modum mediocritate
Servare, atque suâ sorte per omnia
Vivere contentum, nec nihili aurea
Facere eruditionem,
Innumeros superantem acervos
Gazarum Arabiæ, & divitis Indiæ:
Ne, locupletatum se sciat oppidô,
Et opimê inauguratum,
Cui pretiosa adeó supellex
Vbertim nitidarum adfluit artium,
Ipsaque divinæ quem sapientiæ

Digitized by Google

Opulentat amplior dos,
Antè alias prior expetenda.
Hinc (ut noſtra tulit ſemper opinio,
Conveniens rectis ſenſibus) admodum
Facili gradu venitur
Ad nova amicitiæ parandæ
Inter conſimiles fœdera mutuo
Percutiendum, unamque ex geminis domum
Faciundum, amore ſancto
Legitimis coëunte tedis.
Natas nobilium nobilis ambiat,
Patriciam ducat civis horeſtior:
Legat inſtitricem avarus
Inſtitor, & famulam miniſter.
Tu doctis, HOMAGI, *cura ſororibus;*
Cui pater ipſismet carus & antea
Fuit, auditque prætor
Delicianus, amans honeſti:
Thomam FABRICIVM, *non ſine proſperis*
Auſpiciis, nactus conſocerum es modò,
Qui & ipſe litteratus
Ecce cluet, patriæque conſul,
Nec non (ingenium quod teres arguit)
Muſicus haud contemnendus: ut interim
Mihi temperem Pelasgæ
Prodere notitiam loquellæ.
Huius rara viri filia dum tuo
CHRISTOPHORO *nubit, numine ſic Dei*
Statuente, cuius æquâ
Lance hominum ſtata ponderantur
Fata, & conſilio ſubjacet unius
Conjugum amborum: non tibi gratuler

Digitized by Google

Soceroque filioque?
Atque adeó niveæ REBECCÆ,
Adfinique manu, quantulacumque erit,
Vel tenui sortis prædita munere?
Equidem haud puto invidebunt
Tigna superba potentiorum
Hanc vobis gracili carmine gloriam,
Laude lacessitam nominis incliti,
Etiam omne (livor absit)
Post mihi perpetuandam in ævum.
Non solum procerum florida verticem
Cingere amat laurus: verùm etiam boni
Popularium bonorum
Quondam hederas meruere nati.

AD FRANCISCVM MODIVM BRVGENSEM.

DIVERSA vitæ negotia inter
Et studia & mores, queis capimur, MODI;
Hæc grata cura est, posse doctis
Gnaviter invigilare Musis,
Rerumque causas originemque
Elicere abstrusam; & nunc penitrare se
In cælum, & astrorum meatûs
Mente animi; modò subter undas
Terræque centrum, modò extima ultra
Cælicolûm altorum templa reducere
Sensûs profundos, præsciæque
Fatidicâ ratione Sortis
Arcana rimari; & intimarum
Notitiam rerum prorsus apiscier.

Digitized by Google

Tu quid laboratæ Minervæ
Ingenio, aut operosiore
Molire conamine? In sacrati
Vertice Parnassi non puto somnias
FRANCISCE, *nec condormientem*
Endymionâ sopore lento
In Latmij montis æmularis
Culminibus: Lynceis verùm oculis pigri
Sollers veterni vela & umbras
Discutis, & nebulas volantes
Circùm occupati labore magno
Palladij tectum numinis entheum.
Sic atra nubium notharum
Sol radiis fugat actuosis.
Tu lumen auctoribus vetustis
Ecce recens præfers, ac veteri novam
Splendoris adlucere tendis
Rite facem Latiæ loquellæ:
Quali tibi anteisse claret acer
LIPSIVS, *arguti præditus ingenI*
Acumine, oræ (quantacumque est)
Belgicæ geniale sidus.
Atqui quiete otioque abundas;
Corda serenari queis liquido autumem,
Rixæ forensis litiumque
Et strepitûs vidua insolentis.

GOTFRIDO LIMMERO.

VLLA *si parabili*
Mortalibus cor adficit voluptas
Gaudio, & Libentias

Digitized by Google

Omnes fruiſci Gratiasque donat:
Veris hoccę proprium eſt,
Apriciori flore pullulantis.
Vere nil amœnius
Natura comptrix elegantiusve
Protuliſſe creditur,
Opes tot inter divitesque cultûs.
Arbores regerminant;
Herbæ vireſcunt; pampinosque gemmæ
Hinc & inde truſitant,
Ridente Baccho: ſpem dat amplioris
Meßis altior Ceres.
Gaudent Napææ parturire prata,
Verna prata, & hortulos
Extra urbem & intra. Perſonans Aëdon
Voce rumpit aëra,
Nullo dierum feriata, nullâ
Feriata noctium.
Alauda gyro ſe rotans in æthrâ
Criſpulas amabili
Melo vibriſſat cantitationes:
Scitulàsque Acanthidos
Minurrientis ore flexilingui
Senticeta fiſtulas
Mirantur ipſa. Solis ardor, ardor
Solis ille priſtinus
Amore Daphnes inclitæ puellæ
Rurſus integraſcere
Viſus. Calorem pulcher entheatum
Sentit ipſe Phosphorus;
Tam mane, ſudo mane, quàm ſereno
Veſpere, igneâ flagrans

Digitized by Google

Cupidinum vi. Taure tu micantem
(Vt ſolet) protervius
Ocellum in Europæ obvios ocellos
Flecte, flecte quo libet:
SVSANNA ſannæ ne tibi eſto, molli
Delicatior roſâ, &
Comâ tenellâ candidi liguſtri.
Neſcin' hancce virginem
Deſponſam in ulnas GOTFRIDI *mariti*
Alite haud malâ dari?
Sic cana virtus optimi parentis
Matre cum piiſſimâ,
Soteropégæ quos tenent renatæ,
Suaſit: idque numine
Dextro adprobatum ſancta matrimoni
Jus Fides habet ratum.
Quin ipſe fauſtè lucidus pudicus
Ventilat faces Hymen:
Adſpirat aura lenior Favoni.
Huc adeſte, quos ſacra
Vox copulavit. Præviam Dionen
Planiore ſemitâ
Sequi memento ſponſa: tuque Amori
Tam bono comes duci
Morem gere ultro GOTFRIDE, *eque caſto*
Carpe floſculos ſinu.
Tibi, tibi ver hoc novum auſpicatâ
Luce ſiderum nitet,
Tuæque nuptæ. Si bene ominatur
Grex jugalium oſcinum;
Felice tedâ conjugem peribis.
Ergo age Herculis modo

Digitized by Google

Virile sexus LIMMERIûM *propaga:*
Macte; nec caduciter
Succumbe, quum te primulas ciebit
Sustinere gymnadas
Amans Cythéris mutui duelli.
Vt pater senex, anus
Vt mater hilari parvulos nepotes
Lumine intuebitur,
Nutrice mammâ pendulos, racemorum
Instar, e domesticâ
Exhuberantium vite! Sola restat
Finis hæc parentibus
Ævo solutis, hæc quies senectæ.

AD IACOBVM SCHECCIVM.

SCHECCI, *retrusis in Sophiæ viis*
Versate multum, atque in penitralium
Secreta naturæ Minervâ
Et comite & duce, non inerti
Deducte curâ: tune etiam mei
Felicitatem (sic HELICONIVS
Non erubescit prædicare)
Et Genij ingenijque laudas
Amasque, nullo promeriti licet
Pellectus æstro? tune reconditas
In mentis hoc artes recessu
Plus aliis, o acute, sentis?
Amo vicissim judicij tui
Sinceritatem. sed nimium, cave,
Nobis (quod ultro præmonemus)
Attribuas. Mora nostra quanquam

Digitized by Google

In elegantum pegmate carminum
Vsque occupata est ; namque potissimas
Verbis strnices aggeramus :
At vereor tamen, ut vetustas
Res æmulari sim sat idoneus,
Novisque fulgorem addere debitum ;
Tam luculentê & tam politê
Quum niteat vetus illa vatum
Structura . verùm quo minus arduum
Quid moliaris, pondere virium
Probê ante consulto ; quis ausum
Jure aliquo prohibere possit ?
Regum est, ad astra educere grandium
Molem laborum vasta palatia,
Arcesque non unis minantes
Cælitibus . mediocris instar
Ego architecti, non sine Dædalo,
Parvi sacelli condere fórnices
Aggressus ; ad quos, consecrata
Perpetuis IACOBE *sæclis,*
Suspensa amicorum inclita nomina
Post fata vivant ultima : nil magis
Pol adlaboro, quàm quod æquum
Ædificî specimen quadratis
Adorno pilis, illud ut arcuum
Clausis supernê vel cuneûm angulis
Ne lapset, incumbis solutis
Parietibusve ; sed usque firmo
Duret coagmento, & laterum bases
Stent irretortæ : nec tholus insuper
Nutet, nec adnixu gementes
Robora deficiant Atlantæ.

Digitized by Google

Illud quotannis Phœbus, & agminis
Chorus noveni, non sine Pallade,
Precor frequentet; laureisque
Frundibus aureolisque sertis
Innexus ordo tempora Musicus
Pæana cantet. Tu simul hoc tuum
Audire nomen ni recusas,
Báccare cinge virente frontem.

AD GEORGIVM LYTTICHIVM IOACHIMICVM.

LYTTICHI, *fratrum grege doctiorum*
Macte, & arctorum in numerum recepte
Pridem amicorum: quid habebo vestris
Scribere dignum
Auribus? quodnam rogo delicatis
Nobilis FVCHSI *specimen Gamenis*
Venditem? cuius tua cura quondam
Pignora cultis
Litteris instruxit, & optimarum
Artium fontes liquidos recludens,
Cereæ ætati documenta primis
Tradidit orsis.
Tu quidem mansura putas in annos
Nostra longinquos. utinam manerent
Plusculum sæcli, neque tam perirent
Labe senecta,
Quàm faba extremâ sata agelli in orâ:
Perpetes ausim tibi polliceri
Carminis luces, inibîque carè
Nomina nuptæ

Digitized by Google

Insimul comprensa, futuro ab ævo
Sæpe lectum iri. Tua dulcis ANNA,
ANNA, *quæstori face nuptiali*
Per breve tempus
Antea quæ Rœschelio jugata
Vixit, & jam nunc thalamum secundo
Tecum init; priscos sibi Reiseleutros
Sanguine junctos
Proximo nunquam poterit negare.
SVABACVS *verax, ditioque tota*
SVABACO *vicina genus peræquê*
Laudat avitum.
Te sed in primis IOACHIMA VALLIS,
Et tuos fratres patrios alumnos
Jactat, argenti solidique dives
Vena metalli.
Quâque MONS ANNÆVS *in astra celsum*
Verticem tollit, Dryadum recessus;
Conscios sanê indigenas adepti
Constat honoris
De perhumanâ sibi gratulari
Stirpe: quòd non solùm animum geratis
Candidum, verique adeò tenacem,
Sed quoque Musas
Atque Musæi studij colatis
Numen in tantum; prope nemo vatum
Vt Deas, pulchrumque ducem Dearum
Aut amet æquê,
Aut colat maiore fide. Quid ultra?
Non tuos mirer digitos GEORGI?
Organi docto quoties pererrans
Pollice nervos,

Digitized by Google

Excitus ſuaves modulos; vel ipſis
Qui Deis cæli dape gratiores
Accidant multo, & roſeo beati
Nectaris hauſtu:
Næ novum terris Linon arbitramur
Tum revixiſſe, aut Thamyræ melódi
Spiritum, aut Amphionium canorem,
Timotheive
Mobilem audiri ſtrepitum canentis.
Vnicâ hac ſi tu celeber cluéres
Dote, nec virtute aliâ Minervæ
Præditus eſſes;
Maximâ pol laude fores ferendus,
Ac merereris modulatam ob artem
Inſeri celſo, pare cum venuſtâ,
Clarus Olympo.

AD FRANCISCVM MODIVM.

QVOS Hippocrénes ſitis bibendæ
Vrit, ad hanc omni, quâ pote, conciti
Feruntur æſtro. nil palato
Præ Clariâ ſapit Hippocréne.
Hac ipſe (nam ſentio) parumper
Ebrius, ad cantûs neſcio quos lyræ
Adſpiro, & ingens ore quiddam
Hiſcere poſſe humili, mihi ipſe
Perſuadeo, credulus Thaleiæ.
Túte animi fidens, haud timidê MODI
Maiora conaris, nec uno
Plena ſatur lavis ora fonte.

Digitized by Google

Jam te latebrosa Nympha MÆNI,
Liber & adjuncto cum Lare POSTHII
Miratur, haud potum, sed usque
Sobrium, & adsiduæ lucernæ
Adfixum: item te Dryas prope antra
COCCIA *miratur, non sine Oreadum*
Choro decenti, quâ superbas
STYRMERIVS *tenet usquequaque*
Apollo sedes, & elegantem
Congeriem doctorum in pluteis locat
Mille & trecentorum librorum
Amplius. Heic benefacta Franci
Laudis ERASMI, *illinsque cantas*
Lætus iter priscorum arva per Aúsonum,
Et regna Celtarum; suosque
Incolumem reditum ad Penates.
Natalis horam annuam diei
Carmine festivo dum celebrare amas;
Tibique & illi se favore
Insinuat Genius benigno.
Hæc inter oblitus haud es ipsum
FRANCIADOS *culto dicere principem*
Versu, peroptatum Camenis
Præsidiumque decusque, nullo
Tacendum ab ævo: neque es merentes
Inmemor ECHTEROS *sidereis poli*
Æquare flammis. Pan quid autem,
Mænala Franciacis viretis
Mutasse dictus? quid ipse Daphnis?
Quid Bervë, nullo tacta Cupidine?
Neæra quorsus? Luciæque
Effigies quid, Amorque sanctus?

Digitized by Google

Hæc cuncta vivent, MODI *poëta*,
Tuque in eis vives, ut mea, quâ flagro,
PALLANTIA *æternum libellis*
Nomen habebit inauguratis.
Matura enim scripta vestra, quæ non
Insubidê luci dat stylus, oppidó
Concinnus, ætatem necesse est
Ipsa ferant diuturniorem.
Macte esto virtute! jam coronam
Ipse tibi spondet Phœbus idoneam
Vivacis ex decóre lauri,
Sive oleæ, viridisve myrti.
Ex te (quod o utile & bonum sit)
Maxima quamvis est urbs aliâs, tamen
Grandescere hinc porró paternæ
Occipient, tua vita, BRVGÆ!

GEORGIO SALMVTHO.

TILIA *novum maritum*
Philyreïæ Camenæ
Cingite. nam tilias virentes,
Tiliæque florem
Quo nihil fragrantius,
Vt amavit ille semper;
Ita dignus hac capillos
Nectier, ante alios Dionæ
Et Adoniorum
Floscules Cupidinum.
Tibi LIPSIS *invidere*
Tiliaceam corollam
Oderit, ad riguas Elystri

Digitized by Google

Sita jugis undas ;
Lipsis illa Misniæ
Pretiosior smaragdus ,
Et ocellus oppidorum ,
Quotquot Atlantiaden benignum
Charitumque blandam
Gratiam experimini .
Tibi nemo juniorum
Salmvthe mensis huius
Delicias , & honesta festi
Focá , nuptiali
Delibuta nectare ,
Temerare ; nemo temptet
Aliquid toro siniſtri
Inserere , aut malè nominatis
Onerata verbis
Fascinare limina .
Hera quin vocata nuptæ
Zygia exhibere honorem
Talem amet , ut niveis rotundum
Manibus per orbem
Spargat alba Lilia ,
Tumidissimis (ut aiunt)
Generata de mamillis ,
Lacte mero per humum profuso ,
Vbi destinata
Parvuli Herculis labra
Sator ætheris solique
Admosset entheatis
Conjugis uberibus , perennes
Bibitura succos ,
Queis liquet Deos geni .

CATHARINA *ades pudica, &*
Prece cælites adora:
Qui tibi (quid dubitas?) in urbem
Patriam reductum,
Matre adhuc superstite,
Caput hocce sospitarunt,
Et ab ingruente quondam
Naufragio, rapidâque venti
Rabie furentis,
Per Ligusticum mare,
Per & alta dorsa Tusci
Pelagi, metum inter ac spem,
Incolumem Latio stitérunt.
Vt opimiores
Posset ille ab utili
Studio referre fructûs;
Sibi monte Pessulano
Digrediundum, & in Italorum
Medicûm Lycéa
Maximè celebria
Statuit pedem inferendum:
Tulit unde non minorem,
Quàm nitidâ e regione Gallûm,
Titulum ac decórem,
Laudis incitabulum.
Age nunc adepte quidquid
Et erat super domandum
Viribus ingenij capacis,
Vigilique curâ,
Quidquid & propagini
Modò deerat educandæ;
Itate geras, GEORGI

Mænigenis oriunde Francis,
Vt ab omnium uno
Ore rarius audias:
Neque enim maligna ſæcli
Patiere te (quod omen
Scævum in aquas abeat profundas)
Sibi mancipatum
Vindicet protervitas.
Bene res habet. Modeſtus
Animus, decensque candor
Non niſi quæ merito probentur
Agit: & decorum eſt,
Hac ſenére gloriâ.

AD IANVM IACOBVM BOISSARDVM.

O IANE, *ni te plus oculis meis*
Amem, atque in ipſo pectore geſtitem;
Non Phœbum & illuſtres Camenas
Amplius experiar benignas.
Mite & verecundum ingenium tibi eſt,
Suavisque ſermo, qualis Apollinis
Decere cultores; fidesque
Rara animi, placidique mores.
Thaleia culti carminis addidit
Vſum, & venuſtas Zeuxis imaginum
In te profectus, ſive Apelles,
Pingere poſſe dedit figuras.
Ne quasque fauſtæ commemorem indolis
Dotes; vel ipſa EMBLEMATA *ſint ſatis*
Opinor exemplo futura,

Artificis

Digitized by Google

Artificis monumenta dextræ
Perennie in ævum, nec minus ingeni
Sollertioris signa, per entheos
Deducta naturæ recessus,
Et Sophiæ locupletis artes.
Hæc ipsa pulchris si LEPIDI *tui*
Poësis ornat versibus, o bonum
Factum! sed ambarum sororum
NICOLEÆ *mihi* LOIDIS*que*
Intexta si sint nomina, id optimo
Quin sit secundatum auspice, quis neget?
Laurum meretur teste Phœbo
Clarum opus, Aonimque vates.
Tu proinde Musis care, & Apollini
Dilecte, posthac percelebrem, Comes
Quem do Palatinus, POETÆ
O titulum gere LAVREATI.

AD MELCHIOREM LEVCORINVM.

QVID *me Poëtarum istiusce temporis*
Et Musicorum principem
Vocare sumis? istiusce temporis,
Quo cuncta sic vigescere
Cernuntur, in tantumque honorem litteræ
Passim bonæ efflorescere;
Vt quotquot usquequaque perdocti viri
Germaniæ illustrant scholas,
Quot inclitarum vividum exornant chorum
Musarum, & artes vindicant:
Tot nominare MELCHIOR *Reges queas,*

Tot nominare Cæsares.
Ad me quod attinere visum est; sic habe.
Priscos quidem æmularier
Tentare me, sed adsequi vix tantulum
Potesse. Pone me tamen
O LEVCORINE, *pone me inter Barbaros,*
At non ut omnem Barbarum:
Fortasse, cæcos inter ut luscus, tibi
Rex eminere censear.
An principatum, præter hunc, mihi arroges
Alieno ab arrogantiâ?

AD IVSTVM REVBERVM.

LIBERTATIS *amans, ac fidei tenax,*
Semper IVSTE *fui. quæ duo si mihi*
Quisquam demere certet;
Certet non modò sanguinem,
In quo vita sita est, verum etiam Jovis
Incrementum animam demere. Me quidem
(Stat sententia) ad usque
Extremum juvet halitum
Nil mutare; bonas sive malas ferat
Sortes ambiguæ lubrica frons Deæ,
Dispensantis iniquis
Cæcas arbitriis vices.
Tali me siquidem pectore præditum
Cognosti, melicam dum chelyn increpans
Te sermone morarer
Apto, grándeque Principis
Laudarem facinus, pro patriæ focis
Vltro Teutonicum proque fide caput

Digitized by Google

Objectantis acutis
Circumquaque periculis.
Gaudebam (neque adhuc in tacito ſinu
Tempeſtiva redux occulo gaudia)
Heróa eſſe repertum,
Qui ſe ſponte tyrannidi
Opponens, famulum belligerâ manu
Noſtris excuteret ſervitij jugum
A cervicibus. Ipſum
Bifrontem, árctaque cardinum, &
Poſtes cum ſupero limine & infero
Teſtes laudo, adeôque ipſa Penatium
Inculpata tuorum
O frater penitralia;
Adverſus patriam non niſi quod pium eſt
Senſiſſe hunc animum, nec niſi idoneum
Recto voce profatas
Has fauces. Age ſi ſciens
Fallo, diſpeream; aut me Xenius gravi
Mactet ſupplicio Juppiter, & malam
In rem ſævus adaxit.
Verùm iſtoc precor hoſtibus
Noſtris ſit potius, fas violantibus,
Quod ſanctum eſſe jubet penſior æquitas.
Contra, numen amicum
Tu mecum experiare, qui
Muſas hoſpitio munifico meas
Accepſti, & reſidem plus nimio moram
Æquâ mente tuliſti.
Idcirco Clariæ Deæ,
Quoad vivam, meriti haud immemores, mihi
REVBERVM *celebri nomine concinent,*

Digitized by Google

Æternoque rependent
Dignas munere gratias.

AD SIGEFRIDVM RIBISCVM.

SIC *constitutum est inter homunculos,*
Qui lucis usum carpimus irrita,
Speremus ut RIBISCE *rebus*
Quottidie meliora lapsis:
Nec vota remur vana. sed in dies
Peiora certant deterioribus,
Atêque & infelix Enyo
Congeriem duplicat malorum.
Confusionem respice temporum,
Et obligatas relligionibus
Mentes, & obscurata passim
Fana superstitionis umbrâ.
Quàm discrepamus moribus invicem!
Crudele quantum pectora sanguinem
Haurire fervent! In quibusvis
Regnat atrox domibus tyrannis.
Quid multiformem perfidiam loquar?
Quid fraudis astûs & varios dolos?
Quid monstra? quid sævum Gradivum,
Aut furias memorem Gradivi?
Parum relictum cædis erat truci
Gallorum in orâ, & limite Belgico:
Diris amicum est Rhenum ad amnem
Finitimâ regione tristes
Produxe motûs. Vt bene victitat,
Tranquilla quem pax orbis in angulo

Digitized by Google

Latére tuto, nec latronum
Insidias sinit experiri
Periculosas; nec nece territat
Horrendus ensis, non minus imbibens
Fusum innocentis quamdè sontis
(Grande nefas) animæ cruorem!
Horæ sed instant fata novissimæ,
Summumque nobis accelerant diem:
Mirumne, si diro furori
Eumenides fera frena laxant?

AD FR. MODIVM.

O MODI, *non est Genius locorum*
Vnus atque idem. sed idem Poëtas
Numen ad certos agit incitatâ
Mente furores.
Impetum nemo potis est ruentum
Frangere, aut strictis rapidum alligare
Vinculis, postquam calet entheato
Pectore fervor.
Nascimur vates, alimurque vivis
Siderum flammis. Inhibere currûs
Solis auratos temere ecquis ausit?
Ecquis Eoo
Tentet injectare moram, aut Phlegonti?
Mittar ut Moschûm rigidas in oras,
Aut iter carpam glacialis ultra
Æquoris undas,
Vltimæ vel me vada salsa Thules
Hospitem acceptent: tamen orta mecum
Vsque naturæ propriæ necesse est
Semina sector.

Digitized by Google

Hanc lyram, has artes (memini) decoras
Prorſus abjecturus eram, Themiſtos
Legibus jurique operam forenſi
Pollicitatus.
Jamque me plenis mare per profundum
Ire plorabat Galatéa velis,
Circij flatu. ſed ubi relinqui
Seque Deasque
Præſides quondam ſtudy ſacrati
Cerneret Phœbus: quid inepte cæptas?
Inquit. invitâne nihil Minervâ
Non facere audes?
Sicne te primis docuere ab annis
Juſſa ſuaſoris veneranda Flacci?
Non vides, quanto pelagus periclo
Fluctibus undans
Nare ames? ne Scylla tibi & Charybdis
Otium turbent, rabidæque Syrtes.
Noſter es, noſtrumque dehinc futurum
Spondeo Muſis.
Sic ait, tangitque oculos. Ab illo
Tempore ardentem magis has in artes
Cauſa naturæ, ratioque fati
Provida fecit.
Tu quoque inviſos ſcopulos peroſus
Barbarûm, FRANCISCE, quietiores
Provocans Muſas, tetricis valere ex
Tempore juſſis,
Ludis; & ſeu te PABEPERGA *amœno*
Detinet clivo, viridesque PYRGI,
Sive COMBERGI *trifido frequentas*
*Calle receſſûs;

Digitized by Google

Nunc opus vivax Elegos recentans,
Nunc Maronæum genus aut Lucretî
Æmulans, horarum obitûs perenni
Carmine fallis.
Nympha Rhegneßis tibi præbet aurem:
Proximant Mæni ſuperi inferique
Accolæ, nec non ſinuoſus arcto
Gurgite Cocchar.
Quippe tres amnes ſibi promereri
Vnius STYRMERIADÆ *favorem*
Geſtiunt, digno tua proſequentis
Carmina dono.
Me Palæcóme putat eſſe quiddam,
Suſpicit Noris, peramica fautrix
Omnibus, quotquot Clarias laborant
Scandere in arces.
Nil tamen magni cano: ſed cicada
Quale paupertina ſibi fritinnit,
Æthera & Solem medium fatigans;
Tale minutim
Carmen exili modulamur ore,
Et Poëtaſtris ſimiles putamur.
Aſt in hoc ſpretus placeo mihi ipſe,
Grande quòd ultro
Sorte contentus modicâ potentum
Limen evito. Satis eſt, ubi olim
Me trium mirata legat nepotum
Serior ætas.

AD MARTINVM CRVSIVM.

NVSQVAM *locorum vivere dulcius*

Digitized by Google

Fore aio, CRVSI, quàm vel Achaïæ
In urbium excultis viretis,
Vel marìs Ionij per actam:
Tutis liceret ſi modo in exteras
Contendere oras hoſpitibus. Sed heu
Sed hoſtis atrox Chriſtiani
Nominis, e Stygij lacunis
Excitus Orci, vi ſuperûm, loca
Longê atque latê (proh pudor!) Hellados
Impune graſſans occupavit:
Nec modo in ulteriora regna
Sceptrum Otthomannum intruſit, & obvias
Quascumque gentes depopulatus eſt,
Deditque ferro peſſum & igni;
Verùm etiam magis ac magis jam
Nunc prædo noſtræ Teutoniæ immimet.
Sic vultur uncis impiger unguibus,
Roſtroque inexpleto prehenſum
Láncinat alitium minorum
Gregem, aut inertum quadrupedum genus
Imbelle raptat, dilaniare amans.
Modò has, modò illas. ſic cruentans
Caulam ovium lupus immerentum
Graſſator audax, nil veritus canum
Cuſtodiam, adverſo irruit impetu,
Faucesque præmorſit miſellis
Dente fero, horribilique rictu
Eviſceravit vellera. Queis age
Queis nunc Athenis, quâ Lacedaémone
Aut quâ Corintho, queisve Thebis
Parca dabit mihi commorari,
Ne culta priſcæ nomina Græciæ

Digitized by Google

Mandaſſe dignis non memorer cedris,
Geſtasque res & clara facta
Hiſtoriamque locis in ipſis
Totaſſe veram, non ſine teſtibus?
Ne quicquam aventes talia fortibus
Inquirere auſis, atque coram
Oppida cum populo intueri,
Deterret heu triſte periculum:
Thracum Tyrannus nec patitur ferox,
Humaniores ut per artes
Tigrides Odryſiæ imbuantur,
Adſuetæ in armis quærere gloriam, &
Cruore tinctis aclidibus. Domi
Sedetur ergo, totque tractûs
Cum fluviis, Aſiæque picta
Errore tuto per varium ambitum
Luſtrantur: & ſeu tempe Heliconia
Imaginamur, ſive Pindi
Culmina, vel minitantem acuto
Parnaſſum Olympo ſtare biverticem;
Seu nunc Iliſſi Cecropias aquas,
Nunc Hippocrénen ſomniamus,
Caſtaliſve liquoris undas:
Felicis ævi tempora laudibus
Tollam neceſſe eſt, quo viguit fides
Sincera, maieſtasque honosque
Conſtitit imperio Eóo;
Nec non & almarum entheus artium
Splendor refulſit, jam penitus (nefas)
Fuſcatus obſcuris tenébris,
Cimmeriisque ſepultus umbris.
Quid? absque libris eſſet idoneis,

Digitized by Google

Ex cueis vetuſtæ fax Sapientiæ
Elúcet: o quantâ Camenis
Vtilitate foret carendum!
Exſtincta linguæ lumina Ionicæ,
Caliginoſis óbruta noctibus,
Tu reddis auræ, clare CRVSI:
Reliquiasque atavûm Pelasgûm
Scitûque digna abscondita Teutonum
Refers in orbem. Quæ licet omnia
Jucunda lectu Chriſtianis
Sint minimê, quod ad hoſtem amarum
Resque occupatas pertinet; attamen
Ob poſterorum ſæcula, cognitu
Inſuave ne ſperes futurum,
Quidquid in hiſtoriæ maniplos
Multâ aggregavit laude vigil labor,
Meſſoris inſtar, torrida mergitum
Retolligentis, frugibusque
Horrea triticeis replentis.
Non his in athlis lumina paſcitet
Germana pubes cum ſenioribus?
Non mentem abunde his inſtitutis
Exſaturetur, Apitiasque
Pergræcitantum pontificum dapes
Rejectet his præ delicijs meris?
Sic nempe vivamus nepotes,
Ingluvie licitâ guloſi:
Vivamus, inquam, & quisque tuos libros
More heluonis luxurioſius
Voremus. Ecquænam appetitum
Eſca animi potior ſatullet?

ARNOLDO SITTARTO ET DIONYSIÆ CAVELLATÆ.

DIONYSIAM *puellam*
Thalamo tuo jugandam
SITTARTE *cantatura Musa*,
Cui nomen est amabile,
Et amoribus juventæ
Peridoneum canendis;
Non Atticarum Achaidumve,
Nec Romularum virginum
Modulamina & sonores
Sibi poscit æmulandos:
Sed Belgicarum, Sequanæque
Nympharum amœna cantica,
Variabilesque voces;
Quibus ad choros vicissim
Festiva ducendos caterva
Sub Hesperi adspectum utitur,
Vbi sicca ridet æstas,
Rutilantiusque noctes
Splendent, sereno lapsæ Olympo,
Stellæque flammantes micant.
Memini, ac quidem libenter
Memini, recens in oris
Cum forte vestris hospes essem,
Quali voluptatis favo
Animum mihi irrigatum
Satiaverint Napææ,
Quali medullâ suavitatis
Aures mihi repleverint.

Digitized by Google

Ades huc canora turba,
Ades; & novo marito
Novæque nuptæ cantitato
Novum ad novi fulcrum tori
Hymenæon. Inde cunctas
Veneres, Cupidinesque
Salesque cum jocis venustis,
Omnesque Gratias simul
Memora; Deosque cunctos,
Quibus ignis iste cordi;
Deasque cunctas, queis jugalis
Probatur in primis fides.
Nihil heic inauspicatum,
Nihil heic sit ominosum;
Postquam CAVELLATÆ *pudicæ*
Jam matrimonium est ratum.
Amet hic suam maritam,
Amet hæc suum maritum:
Gignantque lecti pignera ex se
Fraterculos, sororculas.
Habeant bene ac beatê,
Videantque se renasci,
In filiabus ipsa mater,
In filiis ipsus pater.

AD REINERVM REINECCIVM.

STANTI *in superno vertice montium, &*
Rerum intuenti lumine flammeo
Subjecta, nativasque formas,
Obvia cuncta velut patescunt,
Quæ copiosus Dædaleâ manu

Digitized by Google

Mundi architectus condidit in bonum
Commune: sic per templa mentis
Enthea dispatianti in arvis
Campisque latis Historiæ novæ
Inscæve, nil non sit manifestius,
Quod scire fas est liberalis
Indolis ingeniique pectus.
Hæc nempe testis provida temporum est,
Lux veritatis, nuncia præpetis
Ævi, recordandique facti
Tanquam anima, atque magistra vitæ.
Exempla nos ex hoc speculo undique
Desumpta miris eruditint modis,
Et ad capessendum laborem
Exstimulant animos, amore
Virtutis: unde & quid fugias habes,
Et quid sequaris. Te vigili ádsitum,
Dilecte REINECCI, *lucernæ*
Hoc studium sibi mancipavit
Totum, Cleanthis more. Quid uspiam est,
Latére quod te possit? In abdita
Momenta rerum temporumque
Sic penitras, ut & illa in auras
Et publicum usum promere, muneris
Tui esse ducas. Jamque, operæ tuæ
Conamen, in lucem recentem
It CHRONICON *Solymæon; in quo*
Se comprehensos (adspice) gestiunt
Manes Guëlphi: principe quo genus
Claros Ateſtinum nepotes
Saxonicæ in regionis oras
Cum laude summâ transtulit, & ducum

Digitized by Google

Porró propagem ſevit, ab inclitâ
Brunonis urbe, & urbe Lunæ
Nomina cum titulis gerentem.
Quid prædicem, quæ tu bonus aurèa
Vulgâris auctor ſcripta prius, quibus
Adplauſit exſultans Lycéum
Marchiacum, Viaderque flavus?
Aut quos debinc te poſt Académia
Libros videbit IVLIA *publicis*
Mandare prelis; non modo uni,
Sed (quod aves) mage profuturos
Sæclis trecentis? Macte animi bonis,
REINERE. *Jam nunc ſe tibi Principum*
Commendat ortus ceterorum,
Et ſubolis genitalis annus,
Claſſes in aptas diſtribuendus, ac
Concinniori, quàm prius, ordini
Reddendus, argutos refulgens
Per numeros, memoresque faſtos.
O ſi meæ quis tam cuperet lyræ,
Nec concinendis laudibus impari,
Nec forſan imbelli, tetrarcha
Rexve potens, celeberque Achilles:
Sudore quanto qualia quántaque
Abſtruſa rerum emergere niterer,
Molemque ſuscepti laboris
Non humeris tolerare iniquis!
Sed rarus iſtoc tempore fautor eſt
Muſarum, & arctarum ingenia premit
Opum ſupellex. hinc dynaſtis
Fama minor, minor & Poëtis.

Digitized by Google

AD IOAN. CRATONEM.

FELICITATIS *pars*, CRATO, *maxima est*
Stratis quietis in patriâ mori,
Partasque fortunas adulto
Linquere post sua fata nato.
Jam sine lætâ te superûm manet
Conclave: jam te regia cælitum
Stellata præstolatur. *Heic tu*
Seu maneas, abeasve civis
Supremo Olympi debitus ordini,
Seu more prisco pectora candidum
Mutatus in cygnum, beati
Flumina pura colas Phisónis,
Aut entheatos lacteolæ viæ
Petas liquores: te patrij Lares
Honore mactabunt; Viádrus
Suspiciet, referetque BRESLA.
Aulæ potentum nec modò Cæsarum
Regumque, florens quos tulit Austria,
Te sempiternis prædicabunt
Muneribus; sed & inclitarum
Cortina Phœbi præsidis artium
Responsa quondam de meritis tuis
Dabit roganti vera, teque
Persimilem veterum, parenque
Sophis vetustis indigetabit, &
Extollet inter cælicolûm choros
Supra beatas eminentem
Elysiis animas in hortis.
Nos (si quid istæc carmina polleant)

Digitized by Google

Cum fecerimus te ſimilem Deo
Vates, & immortale nomen
Aoniis titulosque templis
Inſcripſerimus: thure litabitur
Vmbris Sabæo. Filius audiet
Patri ſuperſtes conſecrantum
Vota, animumque pium probabit,
Vocesque dignas, tuque adeó e poli
Tuos amicos vertice fulgido
Grandævus adſpectabis, atque
Participes fieri bonorum
Optabis æterni ad ſolium Jovis,
Splendens ſmaragdo partim & iaſpide;
Partim pyropo ſardioque,
Nobilibusque aliis lapillis.
Atqui profecto jam videor tuos
Videre vultûs, o CRATO, *poſt quater*
Senos ſenatores ſedentes,
Aureolis nitidos coronis:
Quâ flamma ſeptem ſpirituum faces
Efflat flagrantes; quâque animalia
Bis bina TER-SANCTVM *vocando*
Ingeminant ſine fine plauſum.
Signatus o frontem inveniar typo
Sancti miniſtri, teque ſequar ſtolâ
Candente velatum, & fideli
Palmea dona manu gerentem!

IVLIO CÆSARI VAQVERIO, IANI MATTHÆI F.

IVLILLE mi Cæſarcule,
Puelle matris ſcitulæ

Primum

Primum Silesij poli
Sub axem auras edite
Ad fluenta Viádri:
O cresce cresce parvule,
Patris voluptas & lepor,
Vigens tenellâ ætatulâ,
Præbensque signa acuminis
Non sine indole rarâ.
Vt pulcher horti flosculus
Colore candidissimo
Propinquiores herbulas
Pudore suffundit, pari
Haud honore nitentes;
Aut qualis aura Phosphori
Quum mane se exserit novo,
Viciniores stellulas
Præstinguit ardentissimis
Solis æmula flammis:
Sic tu coævorum gregem
Candore fidi pectoris
IVLILLE *vinces; & viris*
Virtute claris splendidâ
Eminentior ibis.
Flos urbium Silesiæ
Te Presla demirabitur:
Te diliget Constantia
Ocellus Acronij lacûs,
Cælum ubi pater hausit;
Pater Camenis deditus;
Ipsisque amatus Gratiis:
Astræa quem leges sacras
Et jura docuit, & bonis

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Evidentibus auxit:
Cui præter Atticæ ſonum
Linguæ, Latina trita ità eſt,
Primos ut æquet Aúſonas,
Queis purus eloquentiæ
Rivus imbuit ora.
Adhæc Iberum & Gallicum
Sermonem, & Italum, teres
Sic & rotundus exprimit,
Illis ut in regionibus
Natus eſſe putetur.
Quid, quòd ſonoris cantibus
Quum perſtrepit ſymphónia,
Pars audit ille eius chori,
Melosque vibrans tinnulâ
Voce dulce fritinnit?
Quapropter exemplo patris
Incumbe in hæc adultior
Studia, & laborum grandium
Adſueſce. Nil mortalibus
Arduum eſt, modò tentes.
Te CÆSAR *ille Julius*
Dictator ad laudem excitet;
Vel nomine æquo SCALIGER:
Hic dulcium tuba artium,
Ille bucina Martis.
Fortuna te felicitet;
Genius ſecundet; ſoſpitet
Salus, puſille IANIPOR.
Sic perge. jam te fama, jam
Te manet nova laurus.

AD IO. BADEHORNVM.

OBLIVIONI *qui veteres dare*
Amat ſodales, illum ego lividam
Biliſſe Lethen, & cicutas
Cum blitcâ dape miſcuiſſe
Reapſe teſter. Quæ tibi me dedit
Primum videndum culta Bononia,
Quæ deinde grato junxit uſu
Vrbs Patavi BADEHORNE *utrumque*
Nos vindicabunt a fatuæ Deæ
Stupore, famam notaque pectora
Oblitterantis, candidæque
Teſſeram amicitiæ receptam
Stultê abnegantis. Vin' tibi, quas loquor,
Vocum ratarum jam velut arbitrum
Fratrem SIGISMVNDVM *reponam,*
Lipſiaci ſynedrI dicaſten?
Atqui involutam nominis in tui
Errore telam haud texet araneus;
Nec tætra robigo, metalli
Pernicies alioqui inertis,
Arrodet icti fœderis auream
Lamnam; aut honoris purpureum decus
Obâter obſcurabit unquam
Nube nigrâ tenebriſve amictus.
Tu comis ore, & moribus integer,
Rebuſque conſtans; tu gener audies
Amorque PEIFERI, *Poëtæ*
Et ſtudia iſta favore magno

Digitized by Google

Vt proſequentis, ſic celeberrimi
AVGVSTI *in aula Saxonis omnibus*
Juvantis, ut par eſt, modisque &
Viribus. O liceat recoctum
Tantiſper ævum ducere, ut illius
Laudes, & altum nomen in ultimi
Latè patentes orbis oras,
Pegaſeis ſpecioſus alis
Eques, decoro carmine porrigam:
Tu victus albæ remigis avis,
Quæ ſacra Phœbo eſt, oſcitantes
Antipodes BADEHORNE *reddes.*

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI MELICORVM LIBER NONVS.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

QVA viridis flavas radens Pegneſſus arenas,
Subintrat urbis angulosa Noridos
Mœnia, & aggeribus per brachia bina diremptus
Amœniorem utrinque lambit inſulam:
Quattuor æſtates properis transegimus horis,
Latente ELISA *deſides in otio*
Pieridum; gratisque animo ſic pavimus eſcis
Amiculorum, ut impotentius ferant
Heu deſiderium cauſamque abeuntis in oras,
Jubente rege cælitum, remotius
Diſtantes patriæ a telluris limite amato.
Valete candidiſſimum ſodalium
Turba; valete, pari concordia fœdera mente.
Bono profectus ut vertator omine
Gallica rura peto, memori vos pectore ſervans,
Colensque amansque ſemper approbâ fide:
Omine ſic eodem bene vivite meque canendo
Dediſſe ſingulare Noricis decus,
Eximiumque urbis meritæ celebraſſe ſenatum,

Dehinc futura ne silete nesciant
Tempora. Quin etiam studium reverenter amicum,
Et hospitale prædicate civium &
Patricij meritum generis: quibus ut mea primum
Placere Musa cœpit, antea minus
Cognita; complaudens ea liberioribus alis
In altiora se elevare gestiit,
Ausa graves aditu Perrhæba cacumina Pindi,
Deinde sospitalis alma tangere
Munera, divini nunquam abscedentia mystis.
Propinquior sit en mihi Lutetia:
Ardua prænonstrant celsæ fastigia turres,
Acutæ pinna se exserit palatij.
Heic ego notitiam veterem (nisi desita vita est)
Novabo cum eruditioribus viris,
Perpetuæ quorum clarissima nomina famæ
Apollo consecravit auspicatior.
Hinc mihi posthumum, si numina dextra favebunt,
Cupido certa navigare in Angliam
Dippano exorta: teque o pulcherrima rerum
Videre virgo, cui potens Britannia,
Londinumque caput regni, cui paret Hyberne,
Marisque late vastioris æquora
Cum grege Nereidum, & cum Teutonico Neptuno,
Citas libenter ad statuta gurgitis
Litora provolvente rates. Ast advena postquam
In Albionis appulisse marginem
Conspiciar Eutam, nitidasque intravero portas,
Tuâque mox dâ ELISA *fixero pedes,*
SYDNEIS *comitatus, & egregiis* RVSSELLIS:
Quid est tenuis quod offeram Penatibus,
Emodulata nisi Schediæ syntagmata chartæ,

Digitized by Google

Recente cuſa diligentius typo ?
Optima tu cumulis, Regina, & maxima, nec non
Suprema luminarum, in orbe quot quot hoc
Auram hodie carpunt; habeant patieris apud te
Locum minima, & ima, & haud minis bona.

AD AVGERIVM GISLENIVM BVSBEQVIVM.

QVAM *ſæpe nobis nec meditantibus*
Vſu venire, o maxime BVSBEQVI,
Videmus; ut quos hac in orbis
Parte aliquando manens vel illâ
Nutu Minervæ conciliaveris
Benignè amicos, poſt aliâ in plagâ
Mundi det indulgens repertos
Sors tibi, non renuente fato.
Tu primum ad Iſtri litora fluminis
Mi viſus es, quâ turrigerum caput
VIENNA *apertas fert in auras,*
Auſtriadûm procerum Vienna
Natalis ortus; tunc ubi Thraciis
By Zantiorum a mœnibus, inclitam
In FERDINANDI *latus aulam*
Cæſaris incolumi fuiſſes
Statu reverſus. junxi ego dexteram
Tecum, & paratis accubui toris
Menſisque, TANNERO *cupitæ*
Notitiæ reſerante portam.
Longè remotam deinde in Iberiam
Curſus tulit te proximus, indeque

Salvum reduxit ſoſpitemque:
Poſt aliæ atque aliæ viarum
Tritæ, peractis rite negotiis
Pro rege Francorum & dominâ tuâ,
Juſſisque MAXIMILLIANI
Principis, ac juvenis RVDOLPHI;
Cui nunc labaſcens imperij ſtatus,
Et ſumma rerum in Teutoniæ ſolo
Commiſſa, vix ægrê cavere
Suſtinet horribilem ruinam.
At me labore exercuit improbo
Saturnus atrox, florem hilariſſimi
Depaſtus ævi, Marsque torvus,
Prædo rapax viridis juventæ.
Vis tanta, tantum nec tamen adfuit
His robur, ut mi viſere Galliam
Truces negarint, Auſonumque
Oppida cum populo Latino.
Quin ecce rurſus remige SEQVANAM
Veloce ſulco: rurſus in exteras
Profectus oras (quod bonum ſit)
Moribus haud patriis viciſſim
Adſueſco paullatim; atque iterum tua
(Quis credidiſſet?) lumina conſpicor,
Illuſtris AVGERI, *tuosque*
Sex ab Olympiadum meatu
Lares ſaluto. Vix, puto, vix mei
Potes recordari: interea tamen
Monebar in mentem prioris
Acta tibi revocare vitæ,
Suadente Musâ: quam placidâ rogo
(Vt dia ſueſti numina Hyantidum)

Cum fronte, cum vultu ſereno
Suscipias, veterique vatem
Favore dignere, immeritum licet,
Nulloque cenſum nomine. Quidquid eſt
In rebus immortale noſtris,
Omne adeo hoc tibi pollicemur.

AD GVIDONEM LAVRINVM.

QVANTVM eſt in orbis tractibus amnium,
Obverſa quoquo lumina flexeris,
Curſûs in æquor devolutos
Exonerant agitante fluctu.
Sic quotquot annos ducere contigit
Vivis, ad unum præcipite impetu
Tendunt baráthrum. Quàm minuto
Velificamus iter phaſelo,
Mergendi in undis occidui maris!
Turbarum abunde eſt: nullibi nec quies,
Nec portus. Inſtant hac procellæ,
Et Boreæque Notique flatûs;
Illac tremendis efferæ rictibus
Monſtra, atque vaſto corpore belluæ,
Ac quidquid adverſum eſt ituris
Horrida per pelagi ſonora.
Hos inter æſtûs occubuit tuus
LAVRINE frater, Pieridum decus,
Alterque Mæcenas, virisque
Præſidium Latiare doctis:
Paulloque poſt, qui traxit originem
Ab urbe noſtrâ, GOLZIVS óccidit,

Digitized by Google

Heri benigni pectore æquo
Interitum haud tolerare fortis.
Lugentur ambo Belgide in intimâ,
Româque in ipsâ præcipuê. Tamen
Exstant, & exstabunt in ævum
Omne libris memorata claris
Antiqua priscorum æra nomismatum, &
Inscriptiones omne genus, ferê
Totam per Europam fideli
Et digito studioque, & acri
Labore quæsitæ undique & érutæ,
Typisque mandatæ auxiliaribus.
Fastosne porrô Consulares
Enumerem, tibi, Cæsaresque
Duos priores, atque sequentium
Decem repostas ordine imagines?
Referre coner Græciamve
Sicaniamve, aliosve libros
Industriores, haud modicâ stipe
Parvisque in auras sumptibus editos?
Quod restat, o LAVRINE,
Parce simul sepelire MARCI
Cum fratris umbrâ; sed sine liberê
Missum evagari: qualis ab alveis
Tepore verno liber, inter
Floriferos spatiatur hortos,
Suave hinc & illinc grex apium imbibens
Nectar Napæarum. Hinc opibus tuis,
Sollerte curâ tamque longo
Tempore sollicitâque dextrâ
In unum acervum compositis, juvans
Rem litterarum provehe publicam:

Digitized by Google

ARCHÆA *princeps ſueta veſtris*
Vt Laribus, comes ævitatis,
Dicatur heic non hoſpitium vetus
Mutaſſe, ſed tantum, ut liquet, hoſpitem;
Et tu ipſe venturis coronam
Perpetuam mereare ſæclis.
Sic, cum probanda exordia feceris,
Opus ſecundatum auſpiciis bonis
Succedat, inceptis & abſint
(Quin capis omen?) aves Inébræ.

AD [illegible] AVGVSTVM
[illegible] M.

AEMERI, *priſcis nova quem poëtis*
Æquat heroo tuba clara cantu,
Digna præclari ſuboles THVANI;
Quid rogo cauſæ eſt,
Debitis nullo mihi quòd favore
Prævenis noſtrum meritis amorem?
Quodque Germanum tibi Gallus ipſe
Conciliare
Ten is inceptis Pyladen ſecundis?
Si valet tantum STEPHANI *diſerti*
Lingua, ſi tantum valet æſtuantis
Pectoris ardor:
Quei vices reddam taciturnus æquas?
Quei pari flammâ referam calorem?
Næ, peregrinos quòd amare vultûs
Hoſpitis audes,
Antè non viſos tibi cognitosve;
Candidum oſtendis ſine labe pectus,

Digitized by Google

Atque ſinceri manifeſta prodis
Signa ſodalis.
Fraudis expertem tibi contra habeto
Cum manu mentem, fidei ſigillum,
Quod tibi cunctos maneat per annos
Inviolatum:
Ac, niſi exile eſt nimis aut minutum,
Pro dato grandi melos hoc viciſſim
Sumito. Nullas foret indecorum
Reddere grates.

AD HENRICVM ST[redacted]

QVIS *credidiſſet, mi* STEPHANE, *tria*
Poſt luſtra, & annorum orbiculos duûm
Fore, ut relictis heu paternis
Sedibus, ingenuisque amicis,
Celtarum in oras longam iterum viam
Molirer hoſpes, nec regionibus
Contentus unis? Credo ſanê,
Me mea fata trahunt, trahantque
Debinc neceſſe eſt. Pegaſus aliger,
Natalis horæ præcipuus comes,
Vltro peregrinos vagantem
Quærere ſollicitat receſſûs.
Fruſtra ſodales o animæ integræ,
Fruſtra Napæarum agmina Noridum
Tentaſtis argutâ loquellâ
Me retinere penes Penates
Hortosque veſtros. Ipſa LVTETIA,
Quâ nulla magno clarior urbs viget

Digitized by Google

In orbe (vestrâ pace dictum
Sit Veneti, veniâque Romæ)
Illa ipsa, doctorum hospitium virûm,
Suopte nutu plus potuit trahax,
Quàm verba promissis refercta
Grandibus, illiciumve Pluti,
Rerum potentis. Fallor, an insitam
Natura vim per se facile exserit,
Et pectore innatos in ipso
Haud patitur sine fine certo
Latére motûs? Scilicet incitant
Ad hos vel illos astra virum impetûs,
Et sponte agentem sponte ducunt.
Vt volupe est mihi tecum amicos
HENRICE, *purgatæ o decus Hellados,*
Tuæque fulgens gloria Galliæ,
Miscere sermones, loquique
De Latiæ studiis Minervæ!
Vt lætor, ingens Noctibus Atticis
Ex CARRIONIS *lampade, & ex tuâ*
Accesse lumen, vividâque
Tot tenebras face dispulisse!
Sic plena quondam cornua Cynthiæ
Caligine atrâ mersa, gravissimo
Telluris objectu, receptant
Sole avidam irradiante lucem.
Macte esto GELLI, *macte agedum novo*
Splendore. Nox quòd Noctibus en tuis
Dempta est; lucernæ CARRIONIS
Pervigili STEPHANOque *debes.*

Digitized by Google

AD IANVM ANTONIVM BAIFIVM.

Sic fortuito cesserit, an Deus,
Cui lucis almæ principium, & sacrum
Genus poëtarum, BAIFI,
Semina debet originemque;
Monstravit istanc ceu digito viam,
Redux ut in claram ecce LVTETIAM
Hortos suburbanæ Napææ
*Incolerem, tibi Gr*usque
Vicinus? Atqui sic animo prius
Mecum ipse Musarum ádsecla volvere:
Si cura me vestri, Camenæ,
Vnquam aliqua aut tenuit tenetve,
Aut post tenebit; perficit, ut áchinc,
Quando relictis Teutoniæ plagis
Gallorum in oras sum profectus;
Talem habitare locum Laremque
Contingat, ipsæ quem mihi maximê
Vnâque vobis nostis idoneum,
Aptumque Phœbo commodumque,
Aëre nempe salubriori.
Novem corollas quottidie novas
Dicabo vestris verticibus, Deæ,
Ex pullulanti frunde lauri,
Aut hederâ, viridive myrto,
Sertisve nunquam non nictuentium
Marcere florum. Talia supplice
Vixdum rogantem mente, voti
Participem citò reddidérunt.

Digitized by Google

Gratare vati. Vatibus hic locus
Jure est sacratus. hoc viridarium
RONSARDVS *implevit sonore,*
Grandiloquis numeris canorus.
AVRATVS *hoic, vatum emeritus pater,*
Magnum sonaturam increpuit lyram,
Et numine adflatis benigno
Præbuit ingenium poëtis.
Ne quid, BAIFE, *cultibus absoret,*
Hortorum amator tu manibus tuis
Vmbrosa tempe densiori
Tegmine disposuisse gaudes.
Amœnitatem Teutones adpetunt:
Demas voluptatem hanc oculis meis,
Demas decórem: me renidens
Continuo Genius relinquet.

AD PHILIPPVM PORTÆVM.

ORPHEVS *si Rhodopes robora frigidæ;*
Amphion potuit saxa sequacia,
Et delphinas Arion
Mulcere Aoniâ chely;
Si vates alij sistere flumina, &
Devincire feras obsequio tigres:
An mi difficile esset,
Vnam carmine Januam
In præsens aperire? & faciles heri
Sic in vota mea atque arbitrium manûs
Aptis cogere nervis,
Vt tardantia postmodum

Digitized by Google

Vltro prendere amet brachia convenæ
PORTÆVS *celeber carmine Gallico?*
Næ, nullo obice clauſæ,
Per ſe nempe fores patent
Muſarum & Charitum. Sponte ſuâ tui
Me excepere Lares; ſponte ſuâ tui
Me duxere Penates
Convivam in penitralia,
Mundo ornata ſuo, nec modicis recens
Inſtaurata tibi ſumptibus. At foci
Quâ ſe margo PHILLIPE
Tollit recta per ambitum,
Inſcriptum legitur marmore: GRANDE TOT
INTER RES HOMINVM NIL, ANIMVS NISI
RERVM GRANDIA TEMNENS.
Quid ſententia vult ſibi
Tam ſcita & ſapiens? Pol mediocritas,
Quam Flaccus merito nuncupat auream,
Vt magnum, tibi cordi eſt;
Et melli eſt tibi Theſei
Vnius ſolida atque alterius fides.
Quin concors animis turba gregalium
PORTÆANA *frequentans*
Dextro limina poplite,
Tantum pectoribus diligitur tuis,
Quantus vix nec amor Caſtore cum pio
Pollux exſtitit olim,
Nec fratres Siculi duo,
Atridæve graves, nec ſocium in ſuum
Vis ardens Pyladis, mutuave invicem
Niſique Euryalique
Cura in morte probatior.

O digna

O digna ingenuis corda ſodalibus !
Tecum quisquis agit, pectore candido
Et verax ſit oportet,
Nec barros crepet Indicos.

IN OBITVM HVLDERICHI FVGGERI, KYRCHBERGÆ ET WEISSENHORNI DOMINI.

CVi jam parabam condere epos grave,
Et FVGGERORVM *nobilium genus*
Illuſtre, REVBERO *monente,*
Perpetuis celebrare chartis:
Cui tot librorum congeriem, ſuis
Quosque ordinatos in pluteis locans,
Et diſtributos claſſe certâ
Compoſiturus eram, virilis
Inſtar tribuni, fortia in ordinem
Ad prœliandum pectora militum
Cogentis, armataque aperto
Marte aciei ſeriem inſtruentis:
Quei ſæva Clotho tam properê tibi
HVLDRICHE, *fatis haud renuentibus,*
Vitale rupit ſtamen, atque
Jura ſub imperioſa mortis
Miſit cadentem? Proh ſubitas vices!
Hoc nempe caſu ſpes mea concidit
Ferê omnis. hoc caſu Camenis
Pernicies data quanta ſacris!
Legante quanquam te Dionyſias
Vbertim ad ædes tot redeunt bona, ut

Digitized by Google

Hæ rursus instaurentur, inque
Pieridum potiora alumnos
Æra erogentur: quâ Nicer aureus
Vndis susurrans lenibus alluit
Arcem Palatinam, ac superba
Turrigeræ juga Myrtileti.
Frustra obstrepentem nunc ego Sequanam
Largê profusis irrigo lacrimis,
Frustra propinquis luctuosas
Collibus ingemino querellas.
Vicina ab antro flebilibus modis
Respondet Echo mœstior, & venit
Communis in partem doloris
Aura bibens querulum eiulatum.
Jaces, jaces ah optime FVGGERE, *&*
Tecum sepultum est, quidquid amaveram
Virtutis antiquæ, ipsiusque
Justitiæ, & pietatis almæ.
At (quæ reposta est gratia Manibus)
Heroas inter præcipuos cubas
Domûs Palatinæ, piosque
Ipse cinis cineres humatus
Exoscularis; nec pote pristino ab
Amore quidquam deminui, inclitos
Quo prosequebaris tetrarchas
Vivus; amicitiam fidemque
Testatus umbris infragilem, ac supra
Quàm possit unquam dicier, integram
Firmamque & illæsam, per ævum
Omne, adeôque dehinc futuræ
Æternitatis sæcla perennia.
Mi proinde, qui te non minus, atque tu

Digitized by Google

Illos, & obſervare ſemper
Et colere ſtudui; mihi inquam,
Quem carum habebas ſemper, have ac vale;
Have ac vale, mi FVGGERE. *Tangat hæc*
Extrema voti pars propinquos,
Temporibus peritura nullis.

AD SCÆVOLAM SAMMARTHANVM.

SAMMARTHANE *novem cura ſororibus,*
Aureolæ quæſtor ſplendide FRANCIÆ;
Quanto ardore flagrantem
Pertentaſſe mihi jecur
Cenſes lætitiam, cernere ubi tuos
Contigerat vultûs nuper, apud Lares
Feſtivosque Penates
PORTÆI *lepidiſſimi?*
Cum primum unanimes Bibliotheca nos
Doctior excepit: dein Saliaribus,
Irritamine menſæ
Grato, ditis heri coquus
Replevit dapibus viſcera, & algidum
Cella merum, ſuccendente ſitim Cane,
Sicco præbuit ori,
Gratis non ſine riſibus?
Quid jucundius aut dulcius uſpiam
Ingenuis credas eſſe ſodalibus?
Nam ſeu ſeria forſan,
Seu ludicra loquentium
Sermones hilari pectore condiant,
Sive verecundo ſcommate per jocum

Digitized by Google

Tentet lingua remissos,
Cessantesque redincitet
Fari: legitimo quæque fluunt modo,
Nec serie trudunt illicitâ sales
Mendace óblita fuco
Dicta. at nec stomachum movet
Nec bilem Pyladi liberior sonus,
Ex animo citra morsum ab amiculo
Accumbente profectus.
Verùm antè omnia, quæ juvant,
Quantinam esse putas, SCÆVOLA, *mutuis*
De studiis conferre, inque sacris pedem
Confirmare Minervæ
Castris, atque Heliconidum
Divinis ædytis haud removerier?
O nimium felix, cui licet ingredi
Templa arcana Deorum,
Nullo obstante, & Olympiæ
Scrutari Sophiæ sensa recondita!
Illa reor demum est vita, ubi Persicas
Tuto spernere gazas
Ausis, Mygdoniasque opes.
Regum nobilium splendor inutilis
I procul. En, longê est magnificentius
Fidos inter amicos
Musæum terere otium.

AD IANVM GVLIELMIVM EVMOLPIVM.

FERO *molestê, nos hodie invicem*
Sic separatos, quanquam itere brevi;

Digitized by Google

Vt non niſi eheu difficulter
Alter ad alterius Penates
Venire poſſit. quôque moleſtius
Fero negatæ diſſidium viæ,
Hoc ægriorem me ſubinde
Ipſa cupido tui videndi
O GVLIELMI *reddit. Inanibus*
Ardeſco votis: forſan & ipſemet
Æquo cor adfectu, parique
Credo geres animum calore.
Non hercle Oreſtes ſic Pyladem ſuum
Exemplum amoris; non ita Theſea
Ixione ortus expetivit
Euryalive cupido Niſum:
Vt ipſe lentâ IANE *tui flagrans*
Abſentiâ angor. Quando erit, ut tuam
Spectare frontem, candidamque
Noſſe fidemque manumque detur?
Verùm intueri quid juvat obvios
Vultûs amici, nos eadem niſi
Vrbs inquilinos advenasve
Cernat, & hoſpitio fruentes
Conjunctim eodem? Non ego plurimis
Doctis refertam muto LVTETIAM
Iſtacce tempeſtate: vix te
Vix etiam Biturix avarus
Dimittet ab ſe longius. Interim
Tuo remotus non niſi commodo,
Abore CVIACI *diſerto*
Quâ libeat liceatve pende
Auditor, & juſtam ad trutinam exige
Legum tenorem, non ſine provido

Prudentis Aſtræa ac Minervæ
Conſilio, facilique ductu.

IN LAVRVM
IANI ANTONII BAIFII.

LAVRE, *Laure virentibus*
Vsque florida ramulis,
Quæ boni ſata dexterâ
Proſperante BAIFI,
Solis ad jubar aureum
Geſtiens quaſi, Punici
Proximê fruticis nemus
Criſpulasque cupreſſos,
Æmulum caput exſeris;
Creſce, & Aonio gregi
Serta ſuffice frundea,
Plexilesque corollas.
Te quidem vocitat meam
Silvulam ipſe BAIFIVS,
Grande Pieridum decus,
Teque poſtmodò laudi
Pollicetur, amans mei,
Hisce timporibus fore:
At meâ tibi gratiâ
Ne ſit, optima Daphne,
Pulchra perdere brachia, &
Admodum juvenes comas,
Vt ſenentia vincias
Frunde virgine templa
Verticis. Meminit (ſcio)
Eloſculûm pater aureus

Digitized by Google

Lustra jam sibi quattuor
Transiisse volutim,
Imperator ut inclitus
FERDINANDVS *in hoc caput*
Dona laurea contulit;
Non sine illice Divâ,
Liberalia præsidem
Quam vocant studia artium:
Vnde perpetuum sibi
Comparavit honorem
Cœtus entheus, ebria
Rore Cástalio gerens
Corda. Cui quia tu comes
Aggregare BAIFI,
Gallicæ fidicen lyræ,
Romulos & Achaïcos
Docte præ reliquis sonos:
Impedire quis ausit,
Quo minus tibi propriam
Hancce carpere lauream
Debeas, manibus tuis
Consitam, velut ipsos
Separatim etiam hortulos,
Areas, seriem arborum,
Vitiumque propaginem,
Liberi patris augmen?
Quippe dignior est herus
Perfrui placitis bonis:
Extero satis, unicam
Posse tangere baccam.

Digitized by Google

AD MARC. ANTONIVM MVRETVM.

MEMORNE Franci vatis adhuc manes,
Oblitus anne es ſuavis amiculi
MVRETE, longinquis remotum
Ambitibus peragrantis orbem?
En (quod, niſi erro, tu nihilominus
Mirere) caram viſere GALLIAM
Poſt quattuor me ſingularis
Rurſus Olympiadas coëgit,
Gentem in cupitam mens pia quo flagrat,
Amoris ardor. jamque LVTETIAM
Frequento magnam, Sequanæque
Mente recentem oculisque pontem
Contemplor, HENRICHI auſpitio bono
Pridem inchoatum regis, & ultimus
Deſiderantem tot laborum
Rite manûs opere exigendo.
Jam cum eruditis de variis loquor
Rebus, vetuſtatum oribus æmulis
Addictus, antiquumque ſervans
Obtineo, meritumque honorem.
Sed præter omnes me juvat angulos
Locus ſalúber, púlchraque amœnitas
Hortos ſuburbanos venuſtans,
Et patulis viridem comantum
Vmbram miniſtrans frondibus arborum:
Sub queis ſedenti, léntaque ad ulmeos
Subnixa truncos tergа habenti,
Neſcio quæ mihi dictat augur

Digitized by Google

Apollo nugas carmina publicas,
Impune Romanu n ad Capitolium
Itura, MVRETIque acutas
Haud tenui petulanter aures
Vibice læsura, & (quod abominor)
Pro laude ludum, proque notâ prōbâ
Latura probrum. Quidquid huius
Acciderit, malè num ferendum
Malè occinenti tam bene idoneis
Et delicatis auribus? Attamen
Vt docta cantandi magistra,
Impatiens siluisse silvas
Sub nocte solâ, aut Cecropium nemus,
Vernans Aëdon nec levem acanthida,
Dulcemque frigillam, neque ipsam
Mane novo mihi vesperive
Alaudam ovantem gutture tinnulo
Fastidit unquam: sic mediocribus,
Sublime MVRETO sonante,
Nulla repulsa venit Poëtis.

AD PETRVM VICTORIVM.

IAM copiosæ frugibus annuis
Messes replerunt horrea quinquies,
Ceresque de plenis agrorum
Flava tulit toties aristis
Sertas corollas, vótaque rusticis
Soluta miti sensit adoreâ:
Florentiam ex quo, PETRE, vestrum
Nempe solum genitale liqui,

Digitized by Google

Splendentem ocellum dulcis Etruriæ ;
Arnique Nymphis exhibui ferens
Extremum honorem , qualis a me
Cumque in eas potuit canendo
Manare eburno pectine . Vidi ego
Contra tuos in me placidiſsimos
Vultûs , perhumanæ integræque
Indicium geniale mentis ;
Expertus omnem non modò gratiam ,
Verum omne præsens officij genus ,
Sed absque fuco , aut arte fictâ ;
Vulgus uti ſolet improborum ,
Nunquam ore ſincero intima proferens ,
Qui verba dulci nectare condiunt ,
Merumque mel linguâ loquuntur
Suavidicâ : ſed amariora
Heu felle amaro ſcrinia pectoris
Plerumque geſtant . Candor ineſt tuo
Sermone , VICTORI , fidesque
Ceu decet intemerata , nulli
Obnoxia aſtu . quo merito optimus
Audis virorum , quotquot in Italis
Verſantur oris : atque talem
Eripiet tibi nemo famam ,
Nemo invidebit hanc tibi gloriam
Mortalium . laus hæc memorabilis
Cluebit . En unquamne rurſus
Cernere te potero his ocellis ?
Tuæque dextræ jungere dexteram ?
Tecum & prius , quàm te ſupero inferat
Aſtræa calo , mutitatas
Conſerere , o PETRE clare , voces ?

Digitized by Google

Vivas precamur ſæculum in alterum,
Vivas: & annorum ad ſeriem, quibus
Grandeſcis, addat æviternus
Iuppiter innumeram ævitatem.

AD IOANNEM AVRATVM.

AVRATE, canos cum ſene partiens
VICTORIO æquos, æquaque tempora,
Linguæ profeſſor utriusque, &
Nobilium coryphæe vatum:
An erudito degis in otio
Suavem ſenectam, & mulſea candidæ
Per verba ſentiſcis THYMILLÆ
Primigenos nitidæ renaſci
Ætatis annos, inque aquilæ modum
Fallentis ævum te juveneſcere;
Interque donatos ſuprema
Jam rude, & emeritos labores
Tibi omne punctum cedere? Quisnam age eſt
Gallorum in acri gente, Poëticis
Pellectus inventis, & illis,
Quarum hodie illecebras & ipſe
Sectamur, ultro deditas artibus;
Qui ſe cathédræ diſcipulum tuæ
Non erubeſcat non fateri?
Aut duce te ſolidas in arces
Scandiſſe Muſarum inſitias eat?
En tot tiaras, tot celeberrimos
Juris ſacerdotes, chorosque
Adſpice Pieriis ſacratum

Digitized by Google

Crinem impeditos frundibus. Adſpice
Per litteratam multa LVTETIAM
Lycéa, doctis deſtinata,
Nomine plena tuo, tuæque
Honore laudis: neſcia nec tuæ eſt
Europa famæ. Suſpicere Italis,
Amare Gallis atque Iberis,
Teutonibus colere & Britannis,
Et manſuefacto pectore Sarmatis.
Vnum eſt, quod abs te, ſi pateris, peto
AVRATE; *ne, quantum tuorum*
Eſt operumque poëmatumque,
Tam longo in arcis tempore ſupprimas;
Sed tandem in auræ lumina publicæ
Prodire, te vivo ac vidente,
Nosque ſinas veterum æmulantes
Tantis fruiſci (quæſo) laboribus.
Numne eſt, quod intra ſcrinia tam diu
Servare, ceu minus polita,
Tot Genij monumenta cures?
Nil non venuſtum, nilque niſi aureum,
Planêque perfectum, ac numeris facis
(Vt debet) omnino abſolutum,
Tam Latio pede quàm Pelasgo.
Quo me per altas usque tenes moras
Suſpenſum, & ingenium ipſius heu tuum
Tanquam refrenas, Palladique
Lactea difficili lupato
Conſtringis ora? Ah deſine, deſine
Cunctationum, non dubiam tuis
Spondens amicis ſpem fidemque,
Nempe brevi fore, quo fruamur

Digitized by Google

luce apertâ fetibus integris.
est fata si quis forte recenseat
Voluminne uno comprehensos;
Ne labor arte vacet, timendum est.

AD IO. PASSERATIVM.

O PASSERATI, censor exactissime
Priscorum, item recentium;
Totquot Poëtas Roma florens aureo
Produxit olim sæculo,
Et quot per Europæa passim compita
Nunc gignit ævi ferrei
Propago: sicne cuncta quæ dicis, legis,
Scribis professor regius,
Ad normam amussimque, atque libellæ fidem
Refers, coæquas, pensitas?
Non est, quod inculces id ipsum crebrius
In eruditis pulpitis
Discentium audientium ve pectori,
Sollerter ad doctas sato
Pridem Camenas. Vnaquæque carminum
Lexis tuorum & exteris
Ostendit accuratioris ingeni
Satis superque industrium
Studium & laborem, & collocatam in litteris
Cum laude summâ dædalæ
Mentem Minervæ. sed tamen curam improbam
Nimiamque diligentiam
Modum requirere arbitraris, optimum
Probê cohercendi styli
Magistrum, & artis multiformi segmine

Limatioris indicem.
Noſtram libenter te ſequuturam ducem
Proclinis aio Pallada,
Tuoque ſubſcripturam amicê calculo;
Vt quæ fluenti, ceu dedit
Natura, venæ promptius morem gerat,
Quàm lege conſtrictam arctius
Cohibere vinculisque tentet. Adſpicis,
Fontis ſcatébras uberes
Ex matris antro ſponte lætioribus
Manare ſueſſe rivulis:
Quos, ne evagentur laxius, certis viis
Deduxit aquilex. En pari
Modo hic canalis temperari per vices
Amat, liquoris prodigus.
At tu, bibendum ſitne lympham extraneam
Muſarum alumnis, judica.
Sapiat palato: hac pol ligurritor putet
Nil cariùs, nil penſius.

AD PETRVM ANGELIVM BARGÆVM.

ASTRIS ſecundis atque ave dexterâ
Suscepta, & argutê in tredecim libros
Diviſa, læto jamne fini
Splendidum opus SYRIAS propinquat?
Opus, quod altas vel Colophonij
Tires Homeri debilitaret, aut
Succumbere exhauſtum labore
Cogeret ingenium Maronis.

Digitized by Google

Macte esto, vates o sacer ANGELI:
Macte esto partâ laude. Prioribus
Famæ sat ex scriptis Poëtæ
Contigerat: cumulare famam
Honore maiore impetus æstuat,
Succensus acri in pectore? Qualibus
Videmus athletam lacertis,
Et gladio sociorum in armis
Vincente robur, quærere gloriam
Decusque & applausum ingenuæ manûs,
Rebusque quæsitis potiri:
Haud aliter calamo Cycnéo, &
Nullis secundo pollice maximam
BARGÆE *summæ laudis adoream,*
Et nomen es nactus perenne,
Semideisque pares honores.
Vtque ad Britannûm litora qui diu
Luctatam in undis æquoreis ratem
Compage salvâ, merciumque
Pondere, & innumeris paratis
Communem ad usum frugibus, appulit,
Gaudens triumphat: sic pelagi velut
Elapsus immensi procellis,
Dum Solymum PETRE *Bollionem*
Vocans ab umbris, alterum Iasona, &
Res Marte gestas orsus, ad ultimos
Duxti laborans umbilicos,
Gratum opus Aoniæ catervæ;
Tu lætus exsultim, ac merito quidem,
Gestis: & ipsi, queis operarier
Sacris Camenarum est voluptas,
Ex animo tibi gratulamur;

Cui ſancta præſtó Numinis adſuit
Aura, & beatorum ubere fontium
Rigare rivo labra dives
Muſa dedit, veteremque Romam
Auctare dono SYRIADOS *novæ.*
Quæ vivat, opto; vivat, & annuo
Cum Solis ac Lunæ meatu
Perpetuas agat ipſa luces.

AD CAROLVM SIGONIVM.

NVNQVAMNE *de te, ſive labor diem,*
Seu cura noctem continuam trahat,
Poſſum SIGONI *cogitare;*
Quin tua Bibliotheca, doctis
Refercta libris, mi veniat ſimul
In mentem, & ipſos ante oculos queſi
(Monſtrata ut exſtabat videnti)
Conſpiciatur adhuc eorum
Redacta certum claſſis in ordinem?
Nimirum id effectum eſt monitis tuis,
Dulcique linguâ, quæ jubebat,
Ne, quoties meminiſſe amico
Tui luberet, quâ mihi cumque humo
Foret manendum, gaza libraria
Oblivioni traderetur.
Quinque recordor abiſſe meſſes,
Ex quo ſupremum pulchra Bononia
Nobis relicta eſt: quæ tibi commodum
Multos per annos prompta ſedem
Præbet, & eximias per artes

Erecta,

Erecta, nomen nosse celebrius
Totam per Europam ingeniosa te
Scriptore gestit luculento,
Historias melioris ævi
Mersas tenébris, véraque tempora
Prodente in auras; non sine Romulæ
Splendore linguæ, propriique
Vindice laude adeó nitoris.
O te beatum terque quaterque, cui
Semper domi inter tanta voluminum
Consortia, & chartis repletos
Esse licet pluteos quieto!
Vt defatiges usque avidam manum,
Æterna condens; mentis acumini
Quid ægra noctis, quid diei
Forte queat rogo derogare
Molestia, illis juncta negotiis,
A queis honestum Palladis otium
Nequaquam abhorret? Me nec ætas
Heu stata jam niveo nigellos
Conspersa crines vellere, nec viæ
Longinquioris grande periculum,
Nec vota amicorum precesque
Adsiduæ, genitalem in oram
Vt mox revertar, sollicito valent
Movere suasu. Sic mihi perditus
Vernans amatæ flos juventæ;
Sic abiit prope, dum vagantes
Eheu peregrino atterimur solo,
Decor virilis: nec licet aggredi,
Quod a nepotum ævo legatur,
Dignum opus ingenio, vel arte,

Vel Marte noſtro. Tempus inutili
Fugax Poëtarum in ſtudio perit:
Merces, SIGONI, tot laborum
Carmina pauca aliis ſuperſunt.

AD GEORGIVM AVERLIVM.

VILLA ſi noſtri tibi cura reſtat,
Aut manet mens illa hodiêque, ut olim
Ad Palatini vada torta Nicri
Dulcis AVERII:
Mutuas tecum ſociare dextras,
Tecum & alternas iterare voces
Quæro, Celtarum vagus erro magnæ
Redditus urbi;
Quam ſaburratis ſinuoſus undis
Sequana ſtringit mediam, in novoque
Vaſta miratur lapidum obſtupeſcens
Pondera ponte.
Quid? ſatur nondum es gravium viarum?
Inquies: necdum requies modusque
Lubricum erranti varias per oras
Parcere canis
Suadet, ac tandem patrios reverti
Ad Lares, bellamque aliquando Nympham
Ducere, & tranquilla ſequi beatæ
Commoda vitæ?
Nunc erat, juſti pretium laboris
Cerneres, & te toties cupita
Somniis pulchrâ faceret ROSINA
Prole parentem.

Digitized by Google

Auguras vero ex animo, GEORGI:
Atque idem certè mihi Noricorum
Conſulum patrum pia corda. verùm
Vsque morantem
Fata me fata impediunt, & aſtra;
Aſtra fortunam venientis ævi
Tempus in longum ſenumque protra-
hentia retro.
An repugnando ſuperos laceſſam
More Titanum, & caput in Tonantis
Moliar magnum ſuperag gerare
Pelion Oſſæ?
Ne mihi pœnæ ſit idem experiri.
Ordinem natura Deusque certum
Servet, arcanæque neant tributa
Stamina Parcæ.

AD IOANNEM VVLCOBIVM, REGIS FRANC. CONSILIARIVM.

QVA vorticoſas Danubius pater
Celſis Viennæ mœnibus Auſtriæ
Allidit undas, explicatque
Brachia tergeminis fluentis:
Tui videndi copia, VVLCOBI,
Mi facta primum eſt. Ilicet advenam
Complexus exceptſti benignis
In Laribus, placidisque verbis
Adfatus, ut mos eſt tuus, ad dapes
Admotum opimas, non modo ferculis

Digitized by Google

Præsente LANGVETO *ſatullas;*
Verùm etiam potiore gemmis
Regumque gaZis colloquio ſatis
Superque contentum, uberioribus
Subinde ineſcans provocatum
Illiciis alis appetitum.
Jam poſt ariſtas octo iterum tuos
Spectare vultûs contigit, & frui
Sermone grato mutuoque;
Heic ubi Francigenûm nepotes
Potant amœni flumina Sequanæ.
Non ſic Hymetti ſaltibus, aut Atho,
Dulcive delectantur Hyblâ
Melliſicarum apium catervæ,
Quum vere aprico lene Favonius
Spirans, odoræ flore flagrantiæ
Implevit auras: ipſe quantâ
Lætitiâ adficior, bonorum
Cernens amicorum ingenuam fidem,
Pectusque apertum, & conſona pectori
Verba. unde purus candor, unde
Suaviter harmonia educata
Concinnitatis vivum animat ſonum;
Vivum ſonum, inquam, candide VVLCOBI,
Qui paſcat aures, paſcat ipſa
Corda lubens, animique mentem.
Talis viciſſim ex carminibus meis
Concentus ad te ſi redit, an rogo
Non me putabis Orpheoque
Eſſe Linoque beatiorem?

Digitized by Google

AD ANTONIVM CAVCIVM.

CAVCI, *quantum age quantum abeſt,*
Vt credas parili conjugium fide
Fatale eſſe, Deique
Solius aſtu conciliarier?
Vix olim hoſpes adiveras
Gentes Holſatij limitis incolas,
Ignarusque loquellæ
Eras in ædes Chriſtophori AVCVPIS
Ductus: cum tibi parvulæ
Infantis facies, quam genitrix erat
Primo enixa dolore,
Spectanda in ulnis lacte tumentulæ
Nutricis datur. Ilicet
Exſultim tacito cor tibi gaudio
Pertentaſſe Hymenæum
Non absque ſalſis credibile eſt jocis.
Hæc virguncula creverit,
Vxorem dabimus poſtmodo, ſedecim
Exſpectare volenti
Meſſes. peractum eſt tempus; & omina
Eventus bona comprobat,
Finem nacta ſuum. Non jocus abnegat
Semper, quod dare firmat;
Nec ſemper abſunt ſeria lúdicris.
En te ſponſa manet decens,
O digna HOLSATIÆ *gloria principum,*
Spectatiſſime CAVCI.
Nam quod petiſti, RANZOVII *probè*

Digitized by Google

Confectum est operâ : Senis
Inquam Ranzovij , cui dominatibus
Dani nomine Regis
Hæc ipsa dudum terra vicariis
Regnari meruit . Favet
Doctis ille viris , doctus & ipsemet ;
Musarumque fideles
Amore magno diligit ádseclas .
Tu magnas age gratias
De te sic merito : Ranzoviumque fer
Altá ad sidera munus ,
Quo nemo nomen splendidius gerit ,
Nemo nobilioribus
Jam claret titulis . Cetera se tuis
Quàm prosperrima votis
Simulque nostris sic precor offerant ,
Vt de matre puerperâ
Post annum videas CAVCIOLVM *pater*
Caris ludere in ulnis ,
Lenique morsu sæpe papillulas
Tentare , & teneris patrem
Ridendo propius nosse labellulis .
O quàm rite fereris
CAVCI *potitus Aucupio bono !*

DE PHÆDROCRENE, FONTE AVGERII GISLENI BVSBEQVII.

MNEME *perveterum gnara ab origine*
Rerum , cui varias datum
Milleformis ævi

Digitized by Google

Indagare vices ; ſi tibi non grave eſt,
Enarra mihi, amabo te,
Vnde PHÆDROCRENE,
Lætos BVSBEQVII *colliculos rigans,*
Prima exordia ſumpſerit.
Pande, pande cauſam
Eventumque rei. Sic ego ; ſic dea
Contra. Quas modo vineas
Pampinis amictas
Hoc in monte vides, quâ ſacra verticem
Tollunt aëriam in plagam
Templa Clodoaldi ;
Saltûs umbriferos apta cubilia
Scito montivagis feris
Frunduiſſe quondam,
Longê (nam recolo ſenſibus) ante quàm
VARMVNDVS *vada Sequanæ,*
Galliæque regnum
Tentaſſet, Saliis rex dominans agris,
Francorum addere viribus.
Acris heic ſolebat
Venatrix nemorum luſtra per avia,
Fidis non ſine vertagûm
Naribus, vagari,
Phædrorum ſuboles : cui medio die
Feſſæ cum ſitis aridas
Æſtuoſa fauces
Torreret nimium, ſeque profuſius
Nymphe Sequanis calens
Proluiſſet undis ;
Diſtento heu gelidis ventre miſerrima
Exſpirans animam occidit

In jugi ſiniſtri
Clivo. Quid ſit? Eam non Dryades modò
Fleverunt, & Oréades;
Verùm & ipſe amator,
GISLENI *ingenuo ſtemmate nobilis,*
Tantis cum lacrimis dies
Flevit atque noctes,
Hinc ut perſpicuis fons ſubitaneus
Emanarit aquis, fluens
Limpido liquore,
Compeſcensque ſitim ſub calidiſſimo
Rubri ſidere Cárcini,
Siriæque flammæ.
Hæc Mneme (memini ſi bene) rettulit
Tu GISLENIA *ter quater*
Lympha PHÆDROCRENE
Salve, & perpetuas BUSBEQVIO *ſeni*
Nunquam deficientibus
Suffice ſcatébras
Venis: unde bibens lætitiâ ſibi
Totum ſentiat imbui
Gaudioque pectus.

AD IVSTVM LIPSIVM.

INVICTA *priſcæ regna Britanniæ*
DDVSAM *petentem nave reciprocâ,*
Quonam ore, LIPSI *docte, quonam*
Omine, quâve celebritate
Es proſequutus? queis comites viæ
Votis potenti Nerëidum patri

Digitized by Google

Impune mandaſti, & profundis
Fluctibus Oceani tumentis?
De rebus illum non minimæ notæ
Conſultum ELISÆ *ſceptra viraginis,*
Ob publicæ augmentum ſalutis,
Patria fida ſubire juſſit
Legationem. Quænam age gloria
Seu laus Gradivo, nil rabido niſi
Furore agenti? nil apertâ
Fronte, ſed arte malâ patranti,
Technisque opertis? Occidit, óccidit
Heu grande fulcrum Belgiaci ſtatûs,
Totius & commune cauſæ
Præſidium, columenque rerum.
Tantumne Fati ſæva neceſſitas,
Tantum latronis ſacrilegi manus,
Tantumne Fors atroce caſu
Evaluit? Malè agat neceſſe eſt,
Cui mente dirum propoſitum eſt nefas.
Divi Penates, vosque ſacri Lares,
Tutela quorum ſervitutem
Letiferam capiti Batávo
Defendit, arctumque Heſperiæ jugum;
Adeſte, & obnixê omnia tam pedum
Virtute conſtanti rebelles,
Quàm manuum facitote nervis;
Quo demum anhelis indigenis frui
Donetur almâ pace, & in otio
Dehinc, poſt tot exhauſtos labores,
Degere poſſe redintegratam
Quiete vitam. Nulla etenim ſalus
Belloque & armis. His utinam bonus

Vertumnus obstet; quanta merces,
Quanta foret populis voluptas!

AD CAROLVM CLVSIVM ATREBATEM.

CLVSI, *pars animæ tui* SECVNDI,
Petri LOTICHII *illius Secundi,*
Cui tumulum consecravimus
Ad Nicri liquidas perstrepentis aquas:
Quid rerum geris? ut vales? valetne
Tecum AICHOLZIVS *urbe in Austriâ?*
Quo duce quondam alta Cæcij
Montis attigimus Styrijque juga
Verticis, nive semper obvoluti,
Et durâ glacie obsiti, sub ipsum
Solstitium. namque Apollinis
Deditus studiis, nosse Pæonias
Quærebat juvenilis ardor herbas,
Et terræ vario educata fetu
Germina. Quæ cura vos adhuc
Detinet, studioso obvias animo
Stirpesque & frutices, novasque plantas
Indagare per arva, perque silvas
Et nemora; aut in cacumine
Montium lapidosi sve litoribus
Succrescentia caulium vireta,
Et quidquid medicos ferax in usûs
Gignit humus, persequi. Sua
Quemque nempe voluptas trahit, facili
Naturâ ingeniatum ad hæc amanda.
Nil non CAROLE *tu perambulasti*

Digitized by Google

Et pede triſti reciproco ,
Si quid aut patriis , aut in exterius
Sitis forte locis fuit repertu
Dignum. non modo enim patente tractu
Quid ferat Europa , ſeminium
Fertiliſsima mater ; ſed ipſa etiam
Quid florens Aſia Africæque tellus ,
Promis : atque adeó novi quid orbis
In ſinubusve inſulisve ſit
Rarum & eximium , ſcripta per varia
Oſtendis Latio virisque doctis .
Vnde perpetuum decus paraſti
Tam tibi , clarique nominis
Gloriam. Tua deprædicat merita
Frugum terra parens , & ipſe pontus :
Certatimque tuis vient corollas
Crinibus , æterna munera ,
Naidesque Napææque Hamadryadesque ,
Et quantum eſt genitalium Dearum
Cum Nymphis & Oreadum catervâ .
Te quoque Fauni ſenes volunt
Regna per viridantes tenere toros .

AD IANVM DOVSAM.

GRATIIS *amice* DOVSA, *cœtuique Muſico ,*
Anne Teutonum fretum
Diis faventibus marinis
Es remenſus , ad Penatium illices redux focos
Vltimâ ex Britanniâ ?
Soſpitisne membra & artûs
LIPSII *datum eſt videre ? non ob illius caput*

Cura nos edit minor,
Quàm tui ipſius. Profecto
Intimis mihi ſedetis in fibris amiculo.
Vos amo medullitus;
Vtque vos amem neceſſe eſt,
Simplici piâque mente candidâque præditos:
Quâ fuiſſe proditum eſt,
Queis Remive Cecropisve
Olim in urbe, pulpita inter ac voluminum ſtrues
Læta ducere otia
Contigit, potente Cræſo &
Aureo Midæ nitore pol beatioribus.
Proprium ſit hoc tibi
Care DOVSA, *propriumque*
LIPSIO; *mihique, ſi nec abſonum a fide integrâ,*
Nec piaculi reum
Culpa publicarit ulla.
Recta mens, tuique amore plena, neſciens doli,
Quin tibi probanda ſit,
Ambigamne? quin probanda
Sint utrique aperta cordis, hæſitem? Prius polo
Cynthium, atque Cynthij
Dimovere tu ſororem
Sis potis, gemellulique fratris æqua ſidera;
Quamdè ſepararier
His meis feram medullis
Igneas faces amoris. Vror, uror admodum,
Æſtuoque praénimis,
Teda ſulfurata qualis
Ardet, aut picata nocte lampas, alta flatibus
Mutuis Eteſiûm.
Tu velim, ſodalis, hæc ne

Digitized by Google

Sopiatur ipſa flamma, fomitem entheum ſuper
Ingeras, perennibus
Vividum usque & usque flammis.

AD IANVM LERNVTIVM ET VICTOREM GISELINVM, BRVGENSES.

BRVGAS *ocellum viſere Flandriæ,*
Laresque amatos COLVIVS *integer*
Ævi, Camenarumque ſacris
A teneris operatus annis,
Dum cogitaret, certus iter die
Sibi inſtitutum carpere craſtino:
Tu Jane LERNVTI *poëta,*
Tuque adeó GISELINE *Victor,*
Mihi ex medullis (haud jocor) intimis
Globatim, & ipſis ex oculis, quaſi
Facto reſultaſtis ſodales
Impete. Dulcis imago DOVSÆ, *&*
Imago Juſti candida LIPSII
Simul ſubibat. Cur nimium breve
Me tempus arctat? cur minutis
Inſolitum ſpatiis iniquæ
Concludit horæ terminus? Vt citis
Longê evagari curſibus, ut juvat
Laxis per immenſos habenis,
Non ſine laureolâ decenti,
Errare campos, inſtar equi dato
Signo ſoluti carcere, præmium
Partâ reportantis coronâ, &
Quadrupedum ſuperantis agmen!

Digitized by Google

Sed me per anguſtam ire jubet viam
Amicus, immo heic ſiſtere poplitem,
Excurrere in præsens aventem
Aonij per aperta prati.
Certare vobiscum eſt animus pari
Candore; ſi Francum eſſe putabitis
Dignum, vetuſtæ quem novæque
Veſter honos pugilem palæſtræ
Admittat æquis paſſibus. Aſt erit,
Vt, quando Taurus cornibus aureis,
Sub veris adventum benigni,
Purpureum reſerarit annum, &
Me lene reflans aura Favonij
Viſo Britannorum orbe reduxerit
Cis Teutonum æquor, ſoſpitemque
Litoribus ſtiterit Batavis;
Tum non, uti nunc, pauca, ſed admodum
Prolixa fundam verba; neque eminus
Bellem, ſed (en dextram fidemque!)
Mutua congrediar per arma
Coram repugnax. Interea hunc locum
Tempusque veſtri ne vacuum ſoni
Præſtate; verùm LIPSIO*que*
Significate meoque DOUSÆ,
Vt doctiorum copia me virûm
In regna rurſus Celtica traxerit,
Vrbemque Muſis deſtinatam,
Quam liquidus mediam gemellis
Stringens fluentis Sequanâ dividit,
Bibens meorum ſeria carminum
Haud aure lævâ. vos canentis
Verba itidem bibite aure dextrâ.

AD CAROLVM VTENHOVIVM C. F.

VTENHOVI, *totam ſtudiis amatis*
Lucem, tótaque opaca
Noctis fatigans: quisnam age te locus
Jam nunc, quod tenet oppidum;
Quandoquidem Mars ſanguinolentus atro
Paſſim cuncta cruore
Conſperſit, & Rheni irriguas aquas
Infecit ſanie horridâ?
Tutus agas, quocumque loco moréris
Securusque pericli;
Nec ſint rapinæ quæ bona poſſides
Heres ingenui patris.
Ecquid agunt fratres, patrueliumque
Indiviſa propago?
Satisne rectè veſtra valet domus,
Et veſtrâ quibus in domo
Vivere privatim datur? Allemannis
Nos disceſſimus oris,
Rurſusque Celtarum innocuo hoſpitam
Tellurem premimus pede;
Quâ placidus ſeſe indigenarum aquarum
Infert Sequana rector
Glauco per antiquám amne Lutetiam,
Septâ exceptus ab inſulâ.
Aſt ubi poſt brumam redeunte vere
(Adſit fors bona cæptis)
Almi ſecundans aura Favonij
Impellet cava lintea;

Digitized by Google

Oceanus gratâ vice temperatus
Me conspexerit unctâ
Celoce formosam ire Britanniam,
REGINÆ *celeberrimæ*
Proximius visurum oculos, & ora
Tot callentia linguas;
Queis comparari nulla reor queant,
Quàm latê patet Africa,
Aut Asiæ terra, aut novus orbis ille.
Namque Europa sileſcit,
Atque audit ultro muta. Libet, libet
Talem HEROIDA *cernere,*
Delicias mundi: libet eius aulam
Perlustrare decóram;
Mitemque dextrám, si licet, oſculo
Porrectâque simul manu
Tangere. Confecto hoc, via nulla posthac,
Dum possim meus esse,
Me longiores ducet in ambitûs,
Erroresque volubiles.

AD IOSIAM MERCERVM.

MÆRORE *magno conficior dolens*
Tuo ex relatu, qui GVLIELMIVM
Febri laborantem malignâ
Audieris, Alemannidûmque
MERCERE *plures, quos Biturix suâ*
In urbe cernit degere, nobiles.
Vix hercule exspectare possum,
Quin, simul ac fueris reversus
Illas in oras, certior illico

Fiam,

Fiam, quid illi fiat Hyantidum
Pullo sororum. Uæ Camenis,
Uæ Charisin, malè si poëtæ est,
Anacreontis quâ libet æmulo.
I quæso velox, i propero gradu
Uisum quid ægro rerum agatur.
O utinam meliusculê ipsum
Domi valentem tunc reperire sit,
Museon eius cum reserabitur
Apertum amicis, verùm opertum
Queis violare fidem haud pudori est.
I quæso velox, i propero gradu
MERCERE *noster; nec* GVLIELMII
Languentis aversare morbum,
Quo graviter cruciamur ipsi.
Te contuenti mox reducem precor
Reddatur ultro pristina sanitas,
Aut jam (quod impensê præoptas
Spes bona) convaluisse, pestis
Expertem acerbæ, conspicias. Mala
Cito verédo præcipitare amant
Cursum, sed abscessum immorando
Tardigrado pede moliuntur.

AD ERRICVM MEMMIVM.

ALLATVS *anne est nunctius ad tuas*
Nunc nuper aures ex timâ ab Austriâ,
Errice MEMMI, *desisse*
Uivere Pannonium tuum illum
SAMBVCVM: *& Istri funere flebili*
Turbasse Nymphas, ipsaque Cæcij

Jugosa luctu concitasse
Culmina, semideosque Faunos?
Magno redemptum Cæsar eum velit
RVDOLPHVS, *ut prima historiæ ordia,*
Felice jamdudum & Minervâ
Et Genio simul inchoata,
Pertexerentur. Nunc jacet ille humi,
Scriptis supremæ præsidio manûs
Sic destitutis: inque mentem
Mi revocatur, uti (ferêque
Fluxere abhinc jam sex trieterides)
Scriptas amicê me per epistolas
Tibîque LAMBINOque *commendaverit, eximioque* RAMO;
Tunc cum quietam visere Galliam
Vrgeret ardor corda flagrantior,
Mihîque doctorum virorum
Conciliaret amor favorem.
Vt multa ab illo tempore (proh dolor)
Mutata! quantis casibus óbrutos
Celtas Aquitanosque fortes,
Et creperos genus acre Belgas
Nec hercle siccis vidimus heu genis!
Hæc missa faxo. Quin GVLIELMIVM
Plorare defunctum necesse est,
Quo juvenem magis eruditum
Non educarat Teutona terra; nec
Lubeca dives. Fata SIGONIVS
Et ipse naturæ subivit
Jam senior, Mutinensis ille,
Nimis libello qui tribuit notho,
Vafrê diserti Tulliolâ super

Digitized by Google

Ex arte confecto technisque
Rhetoris, adsimilique formâ.
Sic usque, MEMMI, *perdimus inclitos*
Virtute, doctrinâ, eloquio viros;
Illis & orbamur perinde
Ac patulæ viduantur orni
Comis caducis, vis quoties Noti
Furens sub Auctumnum ingruit humidum,
Silvasque tempestas virentes
Frundifero spoliat honore.
O si, resarctæ ceu foliæ arbori,
Renascceretur flos juvenum integer;
Quàm non iniquo cerneremur
Ferre animo data damna Musis!

AD PETRVM DELBENIVM.

De obitu Iani Gulielmij Lubecensis.

MANES PALMERII *carmine flebili*
Musis fidelem vix GVLIELMIVM
Eluxisse putarim,
Tam multas quia nænias
Dictavit citharæ Leucadius potens,
Queis sempiternæ, ceu merita expetunt,
Famæ nomen amici
Laude adscriberet inclitum.
Mutatis modo jam nominibus pari
Sonent eædem funere næniæ,
DELBENI *Petre, fatis*
Exstincto GVLIELMIO;
Quo tellus juvenem Teutona nuspiam

Nec doctiorem nec magis integrum
Eduxisse feretur,
Scriptis seu Latiis opus
Concertare foret, sive opus Atticis;
Candore mentis rebus in omnibus
Præluceute, sodales
Erga & Pierium gregem.
O rarum caput, o dimidium mei,
Sic derepente heu te Biturix rapit?
Sic te funere acerbo
Vis letalior obruit?
Ah quantum immeritis morte tuâ datum est
Damni Camenis! quantum Academiis!
Quanta inflicta recenti
Clade heu vulnera Tullio,
Quem sanare manûs præsidio tuæ
Jam destinaras! O utinam plagas
Nunquam externus in istas
Venisses: obitu tuo
Nostris nec lacrimis Sequana crescceret,
Francóus amnis, nec graviter dolens
Te DELBENIVS *imis*
Suspiratibus e cavo
Exciret tumuli, nec querimoniis
LVBECA *alumnum mæsta frequentibus*
Fleret lumine cassum.
Qualis Hercynio in jugo
Enascens abies coniferum caput
Celsus in auras tollit, & invidâ
Suppernata securi
Procumbit moriens humi:
Talis laurigero vertice sidera

Parnaſſo ab alto tangere ſueverat,
Succreſcens venientis
Flos ævi GVLIELMIVS.
Trux non Parca tulit, non tulit hoc atrox
Mors, falcem aduncam in nobile moliens
Collum, non ſine magno hor-
rore ipſius Apollinis.
Caſum tam ſubitum docta Lutetia
Tremiſcit. ac multo ære animam illius
Vellent poſſe redemptam
Hæc in membra revertier
Præſtantes meritis eximiis viri,
BRISSONIVSque & MEMMIVS, *aurei*
Fulgens gloria ſæcli:
Tum PIMPONTIVS, *arbiter*
Muſarum, & Themidos tu PVTEANE *amor,*
Et cum THVANO *Nicoleus* FABER,
Et PITHOEVS *uterque.*
Vellent ac cuperent idem
Noſtri præcipuê lumina temporis
GVIACIVSque & SCALIGERO *patre*
Natus, DOVSAque, *& ipſi*
Doctæ LIPSIVS *intimis*
Hærens pectoribus. quin aliis idem
Velle eſt, ad aures quorum iit ultima
Vitæ pauſa gelatæ.
Sed fruſtra. Quid amiculo
DELBENI *ſupereſt, quàm gemitu queri*
Luctûs amaros, & cinerem alloqui?
Æternum mihi ſalve,
Æternumque cinis vale.

Digitized by Google

AD FRANCISCVM AVERLIVM MINÆVM.

Qvæ te quieti sub vada Sequanæ
Fortuna Francis finibus appulit?
Quæ te per adversos labores
Incolumem, o mihi care AVERLI,
Huc misit æquo sidere Faustitas?
Vt te libenter cernimus! ut tuas
Ardenter haurimus loquellas!
Vt veterem renovamus ultra
Dextris prehensis notitiam, Nicrum
Firmätam ad amnem! cuius in arduo
Substructa clivo MYRTILETVS
Cæruleis ferit astra pinnis.
Nos interim, dum te peregrina gens
Versavit huc illuc, nive frigidas
Alpes & Apenninon altum
Trajicere, & remeare juvit,
Periculosas per Latium vias
Emetiendo. jamque iterum, ut vides,
Tellure natali relictâ,
Francigenas populos, & illam
Vrbem petivi, in quâ viget omnium
Sensim renascens nobilium artium
Et disciplinarum facultas,
Omnigenumque decus docentium:
Quales Athenis vix rear Atticis
Vixisse, clarâ nec Lacedæmone,
In flore cum summo hæc, at illæ
Numine Palladio vigerent.

Digitized by Google

Vt mente numen cuique ſuum ſedet,
Sic hoc vel illo pellicitur modo
Inſtinctus ad quemdam laborem
Sponte ſuâ, ut libuit, ferendum.
Me fama doctorum excitt en virûm,
Plagas laceſſens hoſpitem in exteras,
Domi ſolutus cum manere,
Ac ſolitos habitare quiſſem
Focos Penatum. quippe trahentia
Sequar neceſſe eſt fata. Vbicumque ſim,
Merebo ſub caſtris Minervæ, &
Aonidum in ſtudiis ſeneſcam.

AD THEODORVM CANTERVM.

NE TV *caducas ad* GVLIELMIVM
CANTERE *poſthac mittere litteras*
Curato. reſpondere amicus
Haud potis eſt, niſi vocem ab imis
Erumpat umbris. Elyſias domos
Petivit, uſtus continuâ febri.
Maligna febris, cur ocellum
Pieridum, patriæque lumen,
Citò abſtuliſti? vim rigidiſſimam
Feros in hoſtes mitis Apollinis
Decebat exercere, non in
Aonidum genialem alumnum.
Heu caſum acerbum! Quàm ſpatio brevi
Clauſit juventam! non modò quattuor
Septennia exegiſſe vitæ
Non poterat numero referre,

Sed examuſſim ne proprios quidem
Nobis recenſere ante obitum libros,
Quorum prope adfectos labôres
Adſiduis ſtudiis habebat.
Ætatis in vere óccidit aureæ
Flos ille Muſarum & Charitum tener:
Sic herba Teucri, ſic repentè
Lyſimachi cadit herba florens,
Contacta aratri dente male invido.
Dic ergo DOVSÆ, *dic age* LIPSIO
CANTERE; *tam doctum, elegantem,*
Candidulum juvenem ſupremo
Vterque honeſtet munere næniæ,
Poſcente fletum funere. Dic item
LERNVTIOque & GISELINO,
Ne ſolitâ pietate parcant
Morti invidendas fundere lacrimas.
Namque eius, ultro qui voluit litans
PALMERIANOS *flere Manes,*
Manibus eſt itidem litandum.

IVSTI LIPSII
vicem dolet ægrotantis.

QVIS (*malum*) *volaticus*
Rumor, alitis ſiniſter haud bonæ famul, meas
Verberat frequenter aures,
Inſolente LIPSIVM (*at*
Quem virum?) *obſitum dolore, multo habere peſſimè?*
Noxioque membra morbo
Corripi graviſſimè?
O decens ſalubritatis adminiſtra Sanitas,

Digitized by Google

Quid rei eſt, quòd edomari
Vis ab improbâ lue,
Corporumque atroce peſte? Sitne proh valentior
Te potentiorque; & artûs
Inmerentis, ut velit,
Vi tyrannum agat, furente vexet impetu, modum
Neſcius tenére languor?
Vsquequaque ſed caput,
Sed jecur, ſed ilia ipſa, viriumque pertinax
Robur acre frangere? immo
Sic homunculos humi
Sternere anxios, ut inde neſciant reſurgere,
Priſtinasve opes apiſci?
Nuper ut malignius
GVLIELMIVM *cremare febris illa quérquera*
Gratiarum adorta pullum,
Haud quidem ante deſtitit,
Quàm neci daret miſellum, & inferis Proſerpinæ
Victimam immolaret aris.

O & artium puer
Mille, & integrarum amator integer viraginum,
Templa lucida incolentium
Theſpij cacuminis;
Tam repentè te rapitque mors, humatque Biturix?
Sic SECVNDVS *Hagienſis*
Vix poëta viderat
Pauculæ peracta meßis annua, ut diem ſuum
Heu coactus eſt obire,
Ditis ingeni bona
Dans fabrê abſoluta, qualia ipſe GVLIELMIVS,
Primulo vigentis ævi
Flore: qualia ipſemet

Digitized by Google

Datum eſt? manum inquam, tam ſolidâ fide
Præſtantem, & auſis grandibus inclitam?
O ſive cœptum moliéris
Vaſconicis iter hoc ab agris,
Sive abdicato limite Pictonum,
Seu forte notis ab regionibus,
Rupes ubi illæ CASTANÆO
Prædiaque illa columtur ampla:
Te cura Divûm, SCALIGER, *advenam*
Celtarum in oris incolumi pede
Siſtat precamur, ſoſpitemque
Mœnia ad alta Pariſiorum
Ovante geſtu ducat, itemque poſt
Quo vis reducat, quove cupis. Viæ
Longinqua ſint contractiora:
Si qua tibi veniet ſalebra,
Plano atque molli par ea tramiti
Reſidat: & cum ventus inhorruit
Adverſus, aut imber luteſam
Reddidit heu ſeriem orbitarum;
Te penna rapidis candida Pégaſi
Provectet alis, núllius obſitum
Madore nimbi, nullinsque
Turbinis implicitum procellis.
Quemcumque curſu pertigeris locum,
Iſtic ſodales invenias probos
Fidosque: qualis CHRISTIANVS
Ille tuus, tuus ille qualis
CVIACIVSque eſt & PVTEANVS, &
Vobis amicis quem nota lectior
Ceu Theſea adjunxit, THVANVS.
Aſt ubi jam fueris receptus

Digitized by Google

Vrbis quieto SCALIGER *in sinu,*
Tot eruditis hospitio viris;
Europa cui se civitatem
Vix similemve paremve nosse
Adfirmat usquam: ne rogo ne citò
Digressum adorna; verùm aliquantulum
Morare nobiscum, tuâque
Luce frui sine litterarum
Bonarum amantes. vultus enim tuus
Clari renídet sideris in modum:
Viso hoc, serenum prædicarim
Ver mediâ nituisse brumâ.

AD IACOBVM CVIACIVM IVRISC.

RVMORNE *vera aut falsa renunctiat;*
Te velle caram linquere Galliam
Consulte CVIACI, *plagaeque*
Ausoniae salebras adire,
Illuc vocatum a nescio quo ducum,
Magno aut dynastâ? Siccine tu bonos
Fidosque amicos, & catervam
Desereres studiosiorem,
Ab ore pendentem adsiduê tuo,
Sacrasque leges juraque civica
Discentem, & aequatas ad unguem
Sidereae sibi pollicentem
Divae bilances? Siccine patriae
Te ipsum negares; & meritum decus
Nomenque jam partum tibique
Invidus abstraheres & illi?
Vix credo tantis totque potentibus

Digitized by Google

Te posse donis in loca pellici
Externa ; promissisve magnis
(Quod nimis esse frequens videmus
Ætate nostrâ) sollicitarier ,
Vt anteponas Italiæ solum
Solo paterno . Non profecto
Rex sinat hoc , proceresque regni ;
Non hoc senatus , non Academicus
Permittat ordo ; nec Biturix ferat ;
Nec fors repugnax orbitarum
Millia tot patiatur uxor
Dimetiendo limite confici .
Magnum est , vocari principe ab extero :
Sed maius , adsueto vacare
Finibus in patriis labori .

AD AVGERIVM GISLENIVM BVSBEQVIVM.

ALGIDVM Sol Ægoceron coruscis
Cálsacit lustrator equis , & Arcto
Proximos tractûs violentiori
Frigore torret .
Bruma contractas breviore luces
Arctat includens spatio , vaporque
Densus obtendit nebulosa operto
Pallia cælo .
Tu focum præsces cole luculentum
Magne GISLENI , Cromisque sacris
Lentus ad mites operare flammas
Mense Decembri .
Vesta tutelam sibi vindicavit

Digitized by Google

Ignis, excluſo patre claudicante;
Qui tamen ſupplex calida ad verendæ
Limina cuſtos
Adſidet Divæ, tremulo ore largam
Expetens regnantis opem, bacillo
Dexteram nixus, caput obvolutus
Bardocucullo.
Nam ſenem canum temere expulérunt
Lemnides gens pulchra nurûs avitis
Inſulæ ex antris, & ad officinæ
Munia fabræ
Sponte legerunt nitidos ephebos,
Prima lanugo quibus ora veſtit,
Et lacertoſi bene roborarunt
Brachia nervi.
Fabulam narro. Salibus jocoſis
Gaudet hic menſis. Rigidus faceſſat
Aut Cato aut Timon, aliquisve morum
Fronte ſeverâ
Cenſor. In partem veniant cachinni
Jure conceſſi patrio, & ſerenum
Rideant. natalis enim mihi iſta in
Tempora fauſtis
Ingruit ſtellis. Parit ova tuto
Litore Alcedo: maris ira ponit.
Tu meum AVGERI, *quaſi dona Saturnalia, carmen*
Accipe; & poſt huius euntia anni
Fila, fac Jani toties calendis
Inchoës, ætas ut in abſoluto
Stet tua ſæclo.

AD IAN. ANT. BAIFIVM.

RVRSVS ecce terminos
Ad ſuos properat lubricus admodum
Fugacis anni pes ; & ætas
Noſtra labitur repens ,
Vt celer rapido Sequana vortice ,
Ligerve lymphis inquietis .
Te BAIFI *candide*
Intuor quoties , mi videor cycnum
Album intueri : tale canas
Vellus induit genas ,
Timporumque ſinûs inveterantium .
Ævo decórem ſi ſenectus
Addit ; ævi nos quoque
Floridâ nive , nec non ſpecie comæ
Superbiemus , albicantis
Ceu liguſtra , vel color
Ille lacteolæ ſplendidior roſæ .
Proſit , juventam exercuiſſe
Liberalium hactenus
Artium in ſtudiis , & numerarier
Partem eruditæ nos caterva :
Sic fluant porró dies ,
Sic fluant Genio mella poëtica ,
Phœbo miniſtrante Hippocrénen .
Hac licet ſeneſcere
Mente ; & Aonidum præſtat inémori
Amore , quàm curis avaris .
Sacra quos auri fames
Vsque vexat , opum ditia congerant ;
Vatem ſatullat bacca Lauri .

PAVLI

Digitized by Google

PAVLI MELISSI MELOS AD ACADEMIAM PARISIENSEM.

O ERVDITI *lumina ſæculi,*
Pariſienſis flos Académiæ,
Honor Camenárum & Minervæ,
Gloriaque intemerata Phœbi:
Si digna canto Pieriis choris,
Linguæ Latinæ ſi decus æmulor,
Virosque doctos & Poëtas
Suſpicio venerorque amôque;
Permittite, inter vos ego uti legar
Vates modeſtus, ſobrius, integer.
Me quippe cenſuræ bonorum,
Judicioque per omne punctum
Exactiori ſubjicio lubens.
Sententiam de carminibus meis
Feretis æquam. ſtabo veſtris
Nutibus, ellogioque claro.
Quis ambigat, quin calculus omnium
Veſtrum futurus ſit generaliter
Vnusque & idem judicando?
Quæ liquido ſemel approbarit
AVRATVS *ore, &* SCALIGER *optimus*
Cenſor, locúplesque ÆMERII *fides,*
PIMPONTIVMque *acumen; & quæ*
MEMMIA *lanx bene ponderarit,*
Et PASSERATI *regula certior*
Examinarit, juſtaque LIPSII

Digitized by Google

Amuſsis, & DOVSANVS *unguis;*
Denique quæ ratio AVDEBERTI
Et CHRISTIANI *florida veritas*
Digna æſtimarit publicitus legi:
Vos hercule ipſi non poteſtis
Illa eadem reor improbare.
Quapropter hæc ſi quem ſinitis locum
Mele tenere, & quæ dabo præter hæc;
Præbebit anſam veſtra nobis
Gratia, non juvenile carmen
Plectris minutis, ſed gravius dehinc
Quiddam ſonandi: ſi neque me liquor
Muſæus, aut Pallas, nec almæ
Deſtituent mea corda vires.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM
PRIMÆ PARTIS.

ABelus Strasburgus Iuriſc. 55.
Academia Pariſienſis. 561.
Achilles Statius Luſitanus. 305.323.330.
Adamus Ditrichſtænius Baro, Cæſ. Palatio præfectus. 120.
Adeódatus Marivorda Brugenſis. 384.
Adrianus Amadis, Ferrandi F. ſecundus. 360.
Aldus Manutius, Pauli F. 25.
Alexandri Piccolominij, Senarum & Patrarum Archiepiſcopi obitus. 332.
Alphonſus Secundus, Ferrariæ dux. 85.
Andreas Chriſtianus Neomarchicus. 387.
Andreas Dudithius, Cæſ. conſiliarius. 420. 443.
Andreas Vvolufgangus Polhemius, Baro, 133.
Anna Pallantia. 30.198.
Antonius Caucius. 533.
Arnoldus Sirtartus. 491.
Augerius Gislenius Busbequius, Cæſs. conſiliarius. 141.503.558.
eiuſdem fons Phædrocrene. 534.
Aviculæ Meliſſi. 184.
Aurora. 184.

BArbaræ, Hainzeliorum uxores. 179.

CAmilla Morella Pariſienſis. 194.197.199. 202.206.

Digitized by Google

Carolus Cluſius Atrebas. 538.
Carolus Hovvardus, ſummus Angliæ thalaſſiarcha. 158.
Carolus Quinctus, Rom. Imperator. 62.
Carolus Nonus, Galliæ rex. 69.
Carolus Sigonius Mutinenſis. 24.288.294. 321.337.528.
Carolus Vtenhovius, Caroli F. patric. Gandavenſis. 30.543.
Catharina Heuïa Clerevantia. 188.
Catharina Puiſia Chamerollia. 213.
Chriſtianus dux Saxoniæ, Auguſti F. 93.
Chriſtianus Egenolphus. 256.
Chriſtophorus Homagius Delicianus. 465.
Chriſtophorus Schillingus Sileſius. 346.
Claudius Ancantherus Auſtraſius. 27.290.
Claudius Antonius Viennæus, Baro Clerevantius. 131.
Claudius Maillardus Aurelianus. 260.
Clerevantiæ, mater & filiæ. 203.
Conradus Dinnerus Acronianus Iuriſc. 223.

DAniel Prinzius, Rom. Cæſaris ad Moſchum legatus. 433.
Daniel Rogerſius, Anglorum Reginæ legatus. 163.
Dionyſia Cavellata. 491.

EDoardus Staffordius, Anglorum reginæ apud Gall. regem legatus ordinarius. 148.
Eitelfridericus Comes Zolleranus. 126.
Elias Preuſſius Mathematicus. 435.

ELISABETHA regina Angliæ. 3. 60. 92. 110. 165. 170. 215. 264. 353. 402. 455. 501.
ciusdem Fons hortensis. 172. Hortus. 173.
Ernestus Archidux Austriæ. 87.
Erricus Memmius, vir cl. 545.
Euphrosyna Hainzelia Augustana. 175.

FAbianus Burggravius Donæus. 136.
Ferdinandus Rom. Imperator. 65.
Ferrandus Amadis, Comes Pal. & Eques auratus. 355. 366.
Flora. 171.
Fons hortensis ELISABETHÆ Anglorum reginæ. 172.
Fontes Franciæ. 227.
Francina. 201.
Franciscus Averlius Minæus, nob. Gallus. 550.
Franciscus Hildensæmus, Hippolyti F. 387. 400.
Franciscus Modius Brugensis. 394. 460. 467. 475. 485.
Franciscus Portus Cretensis. 234.
Franciscus Vvalsinghamus, reginæ Angliæ a consiliis. 162. 437.
Fridericus Secundus, rex Daniæ. 8.
Fridericus quartus, Comes Pal. Rheni, dux Bavariæ. 102.
Fulvius Vrsinus, Civis Romanus. 300. 313.

GEorgius Averlius, nob. Gallus. 550.
Georgius Buchananus Scotus. 232.
Georgius Erasmus Tschernemblius Baro. 146.

Digitized by Google

Georgius Gilpinus, reginæ Angliæ ad comitia Auguſtana legatus. 440.
Georgius Lyttichius Ioachimicus. 473.
Georgius Rupertus Baro Polhemius. 134.
Georgius Salmuthus Medicus. 477.
Gotfridus Limmer. 468.
Gothartus Livoniæ dux. 106.
Gregorius XIII. Pont.Max. 55.
Gualliotus Turrianus, Lymolij dominus. 142.
Guido Laurinus, dominus Vvaterfleti. 505.
Gulielmus Cæcilius, Baro Burgleius, regni Angliæ theſaurarius. 156.
Gulielmus Robertus, dux Bulionius. 95.

HAinzeliorum uxores. 179.
Henricus Comes Ortenburgius. 111.
Henricus Secundus, Francorum rex. 63.
Henricus Stephanus Pariſienſis. 508.
Henricus Valeſius, rex primum Poloniæ, deinde Galliæ. 72.
Hercules Ciófanus Sulmonenſis. 297.315. 328.
Hieronymus Groslotius Lislæus. 50.
Hieronymus Vvolfius Oetingenſis. 40.217. 235. 270.
Hortus ELISABETHÆ Anglorum reginæ. 173.
Hugo Boncompagnius, Gregorius XIII. P.M. 55.
Hugo Donellus Iuriſc. 240.
Hulderichi Fuggeri, viri illuſtris, obitus. 513.

IAcobus Antonius Gromis, Eques auratus. 369.

Digitized by Google

Iacobus Augustus Thuanus, Æmerius, regis Franc. consiliarius. 507.
Iacobus Cuiacius Iurisc. 557.
Iacobus Kimedoncius. 262.
Iacobus Marchio Badensis, Caroli F. 100.
Iacobus Monavius Silesius. 381.406.
Iacobus Scheccius, philosophus. 471.
Iacobus Strada Mantuanus, antiquarius. 293.
Iacobus Zelinius, nobilis Polonus. 441.
Ianus Antonius Baisius. 510.518.560.
Ianus Dousa Nordovix, nobilis Batavus. 391. 410.417.539.
Ianus Gulielmius Eumolpius. 453.462.516.
eiusdem obitus. 547.
Ianus Iacobus Boissardus. 245.351.480.
Ianus Lernutius, nobilis Brugensis. 541.
Ianus Matthæus Vaquerius [qui & Corasius] Constantinus. 274.276.
Iani Melleri Palmerij obitus. 460.
Iaquelynna Charrua Aureliana. 211.
Immanuel Allius, Vicedominus Ambianus. 374.
Ioachimus Camerarius Pabepergensis. 246.
Ioachimus Comes Ortenburgius. 111.
Ioannes Amadis, Ferrandi F. primus. 360.
Ioannes Auratus, Poëta regius. 523.
Ioannes Badehornus Iurisc. 499.
Ioannes Baptista Hainzelius, Septemvir Augustanus. 257.
Ioannes Baro Tschernemblius. 138.
Ioannes Christophorus, Baro Tschernemblius. 130.144.

Digitized by Google

Ioannes Chriſtophorus Fuchſius, nob. Francus. 404.412.
Ioannes Comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ. 91.
Ioannes Crato Crafthemius, Cæſ. conſiliarius. 237.495.
Ioannes Georgius Zobellus, Epiſcopus Bambergenſis. 13.
Ioannes Hagius Francus. 222.
Ioannes Hainrichus Hainzelius, Senator Auguſtanus. 389.429.
Ioannes Hortinus, Hebraicæ linguæ profeſſor. 254.
Ioannes Iacobus Hainzelius, patric. Auguſtanus. 44.
Ioannes Lauterbachius, P. Laureatus. 244. 396.
Ioannes Lœſer Prezius, nob. Miſnius. 447.
Ioannes Lucienbergius Iuris-conſultus. 269.
Ioannes Ludovicus Hainzelius, patricius Auguſtanus. 44.
Ioannes Michaël Brutus, Stephani Poloniæ regis hiſtoricus. 22.379.445.
Ioannes Paſſeratius, eloquentiæ profeſſor. 525.
Ioannes Poſthius Germerſemius, Medicus & P. Laureatus. 225.231.418.427.460.
eiusdem natalis. 221.
Ioannes Rosbachus Miſnenſis. 33.
Ioannes Seccervitius Sileſius. 267.
Ioannes Sturmius, orator. 15.

Digitized by Google

Ioannes Vulcobius, regis Franc. consiliarius. 531.
Ioannes Vvarmundus Scaliger, Veronæ & Vicetiæ dominus. 116.
Ioſephus Scaliger, Iulij Cæſaris F. 118. 219. 424. 555.
Ioſephus Zarlinus Claudienſis. 29.
Ioſias Mercerus. 544.
Ismaël Sophius, rex Perſarum. 89.
Iulius Cæſar Vaquerius, Iani Matthæi F. 496.
Iulius Comes Salmæus. 114.
Iulius Echter, Epiſcopus Wirzeburgius, dux Franciæ. 79.
Iuſtus Lipſius Iſcanius, nobilis. 409. 417. 536. 552.
Iuſtus Reuber nobilis, Iuris-conſultus. 457. 482.

LAbiæ Roſinæ. 181.
Laurentius Gambara Brixianus. 303.
Laurentius Scholzius Sileſius. 36.
Leonardus Lechnerus Atheſinus. 51.
Lois Viennæa, Claudij Antonij F. ſecunda. 46. 186. 191.
Ludovicus Caſtanæus Ruſſipozæus, Regis Franc. ad P. M. orator, Eq. torquatus. 282. 554.
Ludovicus dux Vvirtenbergius. 97.
Luna. 431.

MAius menſis. 407.

Digitized by Google

Marcus Antonius Muretus ic. & civis Rom. 16. 283. 309. 318. 326. 335. 344. 520.
Maria Viennæa, Claudij Antonij F. tertia. 193.
Martinus Cruſius, utriusque linguæ profeſſor. 487.
Matthæus Schorer Auguſtanus, Iurisc. 428.
Matthias Anomœus Variſcus, med. & P. L. 415.
Mauricius Landegravius Heſſiæ, Vvilhelmi F. 105.
Maximilianus Secundus, Rom. Imperator. 66.
Melchior Leucorinus, conſiliarius Palatinus. 481.

NAtalis Rosinæ. 171.
Nathan Chytræus Menzingius. 253.
Navigatio in Angliam. 151.
Nicolaus Ciſnerus, tribunalis Imp. adſeſſor. 221.
Nicolaus Comes Oſtrorogius. 127. 150.
Nicolaus de Ponte Venetorum dux. 10.
Nicolaus Rhedinger Striſæus. 276.
Nicolea Viennæa, Claudij Antonij F. prima. 46. 186. 190.
Nithardus Thyngenus, nob. Francus. 452.

OBertus Giphanius Iurisc. 47. 238. 242.

Digitized by Google

PEtri Lotichij Secundi obitus. 222.
Petronilla Campanica, uxor Iacobi Comitis Mongomerij. 207.
Petrus Angelius Bargæus. 20.307.341. 526.
Petrus Delbenius, regi Franc. a consiliis. 547.
Petrus Enocus. 236.
Petrus Monavius, aulæ Cæs. medicus. 271.
Petrus Ronsardus, nob. Vindocinus. 251.
Petrus Victorius Florentinus. 18.38.285. 326.521.
Phædrocrene, fons Augerij Busbequij. 534.
Philippus Huraltus Chevernius, regni Franciæ cancellarius. 139.
Philippus Portæus. 511.
Philippus Rideselius Cambergius, Eques Melitæus. 364.
Philippus Sydneus, vir illustris, ELISABETHÆ Anglorum reginæ ad Rom. Imp. legatus. 161.265.
Piccolominij, nobiles Senenses. 332.
Princeps ignotus. 73.108.

REinerus Reineccius, historicus. 492.
Reinholdus Heidenstenius, Regiomontanus. 339.376.
Rhenus fluvius. 229.
Richardus Streinius Baro. 122.
Robertus Bealus, ELISABETHÆ Anglorum reginæ a secretis in consilio. 162.439.

Digitized by Google

Robertus Dudlæus, Comes Leiceſtrius, regiæ in Angliâ hippocomiæ præfectus. 159.
Robertus Sydneus, vir illuſtris. 161.
Roma. 278.
ROSINA MELISSI. 53. 166. 196. 205.
Roſinæ natalis. 171.
Roſinæ labiæ. 181.
Rubbo, fortitudinis exemplum. 71.
Rudolphus Secundus, Rom. Imperator. 76. 87.

SCævola Sammarthanus. 515.
Sebaldus Vvelſer, patricius Auguſtanus & Norimbergenſis. 41.
Sebaſtianus Schefférus. 248.
Sebaſtianus Venerius, dux Venetorum. 81.
Sigefridus Ribiſcus, Cæſ. conſiliarius. 484.
Sigismundus Viheuſer, Imperij procancellarius. 124.
Simon Fabricius Francus. 398.
Simon Stenius. 261.
Stephanus Battorius, rex Poloniæ. 74.
Stephanus Neudorferus Norimbergenſis. 250.

THameſis, fluvius Angliæ. 153.
Theodorus Canterus, vir nobilis. 551.
Theodorus Cyſſa, vir nobilis. 234.
Thomas Bromleus, regni Angliæ cancellarius. 155.
Turrures Meliſſi. 183.
Tycho Braha, nobilis Danus. 450.

Digitized by Google

VEnus. 259.
Victor Giſelinus Brugenſis. 541.
Victorinus Strigelius. 228.

WOlufgangus Comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ. 68.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MELISSI SCHEDIASMATVM POETICORVM

PARS ALTERA.

Secundo recognita, atque edita

PRIVILEGIIS

ROMANI CÆSARIS AD VII. ET
FRANC. REGIS AD IX. ANNOS.



LVTETIÆ PARISIORVM.

Apud ARNOLDVM SITTARTVM ſub
ſcuto Colonienſi, monte divi Hilarij.
Anno CIↃ IↃ LXXXVI.

Digitized by Googl

Digitized by Google

ELISABETHÆ

ANGLORVM REGINÆ

MELISSVS S. D.

QVEM in priore Schediasmatum meorum parte, ELISABETHA Regina clarissima, ordinem servavi atque modum; eumdem non hac secundâ modò & tertiâ, verùm etiam aliis subsequentibus in partibus omnino mihi servandum constitui: nimirum ut, quandoquidem NVMINI tuo semel & mea omnia dedicavi consecravique, & me ipsum, nulli planè mortalium aliâs obnoxium, meâ sponte quasi mancupio dedi; præter operis totius exordium, & uniuscuiusque sectionis initium, singulorum etiam libellorum frontispicia, quæ vocant, NOMEN tuum præ se ferrent, toto terrarum orbe celeberrimum. Quemadmodum enim unam atque unicam virtutem, non tam spe laureolæ alicuius adipiscundæ, quàm per se ipsam, mihi naviter æmulandam consectandamque a primâ usque adolescentiâ proposui: ita quidem sanè ad hanc unam postea metam, perinde ut ad scopum aliquem certum collineantes sagittarij, cursum direxi studiorum meorum; ut Maiestati in primis tuæ, si possem, laudem eiusmodi scribendo

attribuerem, quæ quantum ipſa lucis atque fulgoris ex ſplendore tuo ſibi clam mutuaretur, tantumdem rurſus tibi palam fenerari videri poſſet. Conatus equidem ſum nónnihil, atque in hoc ipſum quotidie incubui, ut ſi non per omnia, quod prorſus ἀδιώατον eſt, at ſaltem nonnullâ ex parte meritis ſatisfacerem tuis. Interim hoc me cepiſſe conſilij, facile omnes, qui mea legent, animadvertent, uti videlicet haud mediocrem hoc pacto a te gratiam inire voluiſſe, publicê teſtaret. Cuius utique gratiæ particulâ quadam ſi tu me, HEROINA excellentiſſima, dignum æſtimaveris; maius ego mehercule beneficium abs te accepiſſe arbitrabor, quàm ſi ad unum omnes Dij Deæque, quotquot ab artis Poëticæ cultoribus celebrantur, me ſive amplexibus dignati, ſive oſculis mutuis, cum in familiariorem conſuetudinem, tum in interiora ſanctiſſimorum adytorum penitralia admiſiſſent. Vtcumque res cadat, eo me tamen feliciorem beatioremque ducam, quo tu melius accuratiusque, utpote eruditiſſima, linguarumque multarum peritiſſima, de Latino ſermone potes, & de hisce ſtudiis judicare. Vale, & quàm diutiſſimê nobis vive ac flore. LVTETIÆ Pariſiorum, anno CHRISTI ſupra milleſimum quingenteſimum quincto & octogeſimo, menſe AVGVSTO.

Digitized by Google

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI GERMANI

COMITIS PALATINI & Equitis, Laureatique Poëtæ, Civis Romani

EPICA.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

EPOS PRIMVM.

SI PIETAS *superûmque metus, virtusque fidesque*
Et constans animi robur, formidinis expers,
Seu lævas adversa vices, seu dextra secundas
Fors tulerit, laudes clarumque merentur honorem:
Si quis in historiâ scribendus fortis, eritque
Magnanimi gestare viri memorabile nomen
Dignus, ut ad seros volet inclita fama nepotes:
Hunc quoque Posteritas heroa celebribus ausis
Conspicuum, meritisque gravem, te judice ELISA,
Quâ Reginarum nemo sapientior exstat,
Nemo bonus animi præstantior; unde Britanni
Te dominam merito venerantur amantque coluntque,
Carmine nos vario superis æquavimus ipsis:
Hunc quoque Posteritas, æquam, dignabitur olim
Heroûm illorum in numero ponique legique,
Queis immortali laus nomine parta, decusque
Nullius adversis peritura casibus ævi.
Ibit in exemplum virtus interrita bello,
Virtutemque eius discent, petentque minores.
Scilicet in primis memorentur, ut obvia cunctis
Solus, amans fidei, contra objectare periclis
Ausus, in integrum violato fœdere pacem

Reſtituens, validis patriam defenderit armis.
Interea non mille dolî totidemque venena,
Mille neque haſti jugulo crudeliter enſes
Abſtulerint animam. Mirentur, ab omnibus unum
Nec vinctum potuiſſe dari, nec denique victum,
Plura licet decepto modicis tum ſpicula manuplis
Illius inferrent hoſtes, pugnamque cierent:
Vſque adeo bona cauſa animos juvat, iraque dextras:
Donec in extremo fatalis turbine Martis,
Vulnere equus ſævo transfixos ſaucius armos
Procidit, ac dominum invitis excuſſit habenis.
Ingemuit tellus, crepitum arma ſonora dedêre.
Nequicquam ille feri tentat conſcendere terga
Rurſus, ab hoſtilis circúmdatus agmine turmæ.
Qualis Hyperboreâ commiſtus grandine nimbus
Ventoque pluviâque ruens violentior ab alto
Præcipitat; non ipſe aliter fortiſſimus heros
Incurſantum equitum armiſonâ ſubito obruitur vi.
Quem ſuper his captum tamen abductumque phalanges
Innumeræ vix dum valuiſſent ſternere leto,
Multa reluctantem, & contra arma inimica ruentem;
Corporis atque animi pollebat robore tanto:
Perfidiâ niſi prævalens, virtúteque nullâ
Certans, a tergo fraus circumvenerit illum,
Acceptâque datâque fide nihil tale verentem,
Per caput ejaculans funeſtæ pondera glandis.
Concidit ille, & humum conſpêrſit & arma cruore,
Singultantem animam probroſo in pulvere linquens.
Sic in Piniferi ſtrandente cacumine montis
Stipite robuſto quercus, ſeu durior ilex
Conflictata diu cum Sarmatico Aquilone,
Vimque Euri Caurorumque abſternata furentum,

Cum ſecura mali, longis emerſa periclis
Perſtat; ad extremum vitam exſcindente ſecuri
Trunca labat, magnoque in præceps impete fertur.
Antra propinqua ſono vallesque boante reſultant.
Illius occaſu Fauni Satyrique bicornes,
Numina ſilvarum, Dryadumque caterva, capeſſunt
Inde fugam, gelido perculſi corda timore.

Ah dilecte Deo princeps, inviſe Megæris,
Hæccine te finis tulit? exitus hicne manebat
Forte adeo caput, & tam commendabile pectus?
O mihi ſi Muſæ tantas in carmine vires
Annuerent, quantis ad ſidera tollere par eſt
Præſtantesque viros & Diis genitos heróas:
Splendida virtutum memorans quàm facta tuarum,
Bella per & pacis exantlatumque laborem
Sublimi inſererem thyrſo! ſed Scotica quo ſe
Terra, Caledoniis latê notiſſima ſilvis,
Vate (nec immerito) jactat, BVCHANANVS, *abunde*
Qui latices primos bibit Aoniæ Aganippes,
Hoc melius faciet. Facies hoc docte ROGERSI,
Cuius primitias ſibi vindicat Anglia, quemque
Fauſta Albionis genitura agnoſcit alumnum.

Hoc & idem Batavus Rheni flaventis ad undas
Sponte ſuâ facturus (ut eſt ſtudia ad ſacra natus)
Non ſine felici Muſarum DOVSA *calore*
Aggredietur opus, priſcique imitabitur ævi
Nomina, perpetuâ ſemper digniſſima vitâ.

Tuque adeo FLORENS, *Graiis Latiisque Camenis*
Cognite, divitis Ligerinum ſiſtere flumen
Carminibus ſollers, Phœbumque lacеſſere cantu;
Atque alius, largo qui guttura fonte rigati
Pieridum, cinctique hederâ victrice capillos,

Digitized by Google

Carmina longævis inciditis aurea cedris:
TIMOLEVMne unquam indictum sineretis abire?
Paucula nos gracili testudine, funeris ergo,
Sit satis hæc lacrimis suffusos lumina mœstis
Supremum cecinisse: ingens ubi vasta Melannus
Stagna, fluentisono Rhodanum evolventia cursu,
Frenans imperio premit. At non vos, pia vates
Turba, ac res quorum est annalibus addere gestas,
Dedecuit multo plura adjecisse relictis
In medio, cœtuque hominem sociasse Deorum:
Namque immensa viri patet istius area laudum,
Area Pindaricis vix attingenda quadrigis.
Hæc age ELISA *eadem Cumæâ intexere chartâ,*
Venturos longum mansura, memento, per annos;
TIMOLEVMque polo transcribe superstite famâ:
Illius hoc pietas meruit, meruere labores.

IN STATVAM MINERVÆ. AD FRIDERICVM COMITEM PALATINVM RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

QVI galeam armigeræ spectas & Palladis hastam,
Ægidaque in saxum natam mutare tuentes,
Terrifico vultu prætorvam atque ore Medusæ,
Horrendis frontem implexæ crinesque colúbris;
Anne Palatinæ gentis FRIDERICE *propago*
Contremis, heu mentiens animosæ virginis armos
Ærato indutos thorace, & atrocia pugnis
Brachia, Bellonæ non inferiora lacertis;
Armaque non ipsi cedentia robore Marti?
Scilicet hæc Diva est, quæ Barbara pectora victrix

Digitized by Google

Edomat, ingenioque feros superare Cyclopas
Centauros que valet, rudiumque ignobile vulgus
Andabatum, Musas spernentum & Apollinis artes.

Huic comes est oculis vigilax cur Noctua glaucis,
Impatiens somni, custodia fida tenebris?
Nempe reses non sterteit, uti solet ebria passim
Turba; sed intento studio, quam rebus agendis
Adtribuas, curam rectè impendisse laborat.

Quàm bene Erechtheâ sibi Gratus in arce senatus
Quondam hanc tutricem legitur statuisse patronam;
Esset ut ante oculos armis Sapientia cincta
Legitimis, rabiem contra dirumque furorem,
Et cæcos animi motûs, æstûsque feroces
Pectoris, insanas pelagique Eurique procellas
Turbatâ immodicè ratione imitantis; & irâ
Bileque ferventi, rapidæque libidinis æstro,
Præcipitem in casum barathrique profunda ruentis:
Cernimus ut plerosque hodie temeraria ad arma
Crudelesque neces & acerba pericula ferri.

O mallent potius, queis rerum credita summa,
Primatesque magistratusque æquissimus ordo
Mopsopios proceres, & corda valentia sano
Judicio, rerumque usu, factisque referre
Inclita præclaris; quàm turbine mentis oborto
Nunc hac nunc illac transversa per obvia fraudum
Quolibet a vento [illegible] aptarier ausis.

Palladia in prim[illegible] est prudentia præstó
Sit, virtusque seq[illegible] amor virtutis, honosque
Debitus ingenu[illegible] fideique columnis
Fœdera constan[illegible]antibus icta tenore;
Pactaque de lega[illegible]tâ, jurisque verendi
Præsidio munita, [illegible]e tuentibus ævum

Inviolata ; etiam damno custodibus æqui,
Vindicibusque boni. Nisi enim respublica tali
Formetur regnumve modo ; quei quæso potentes
Consilio reges sapiente regantur & urbes?
Quei reges tuti, tuta serventur & urbes?

THRASYLLVS
IN BARBARORVM
INSOLENTIAM.

TANTANE, proh superi, scelera hæc patiamur inulti?
Hoccine patrari facinus, crimenque nefandum?
Talia flagitia abnormi committier ausu?
Impia gens, oblita homines, oblita Tonantem;
Gens, aris invisa piis, sanctisque bonorum
Conciliis, raptas quascumque libidine fœdâ
Matronasque nurûsque illibatasque puellas
Ipsis in plateis, prope conscia fana, prope aras
Relligione sacras, per vim nudo ense sactas
Cónstuprat, & mentes scelerosis actibus explet.
Ah infelices imbellia pectora Nymphæ,
Hoc quibus invitis, & contra jusque piumque,
Ipsorum ante oculos, ipsorum ante ora parentum
Hoc infame, horrendum, atrox, & morte piandum
Dedecus illatum est, casto indignante Pudore.
Ah nimis infelix, miseræ tam [illegible]nate
Quæ genitrix (indignum) oculis spectacla tueri
Cogere, nec licet heu vultûs avertere saltem,
Quin se conscelerent adspectu lumina diro.
Ah longê magis infelix, tristissime conjux,
Vxorem cui nudatam (miserabile [illegible])
Nequicquam flentem, atque maritum voce vocantem

Digitized by Google

Mutua per ſtupri rapuit commercia prædo
Barbarus. O mores! o tempora! jus ubi nunc eſt?
Teutona lex ubi nunc? ubi mos antiquus avorum?
Audeat externus Germanis miles in oris
Tam dirum tentare nefas immanibus auſis,
Sacratamque impune fidem ſanctumque pudorem
Polluere infandis Alemana per oppida probris,
Et Genios terræ, ac miſeros violare Penates?
An potes hæc genitor, cæli qui ſidera torques,
Æquâ mente pati, & non excandeſcere in iram
Fervidus; aut meritas ſcelerato e ſanguine pœnas
Exigere, & capita iſta triſulci fulminis ictu
Sub Stygias juſtâ detrudere bile lacunas?
Quid facis Vcalegon ter maxime? numquid ad aures
Perveniſſe tuas tantarum nuncia rerum
Fama nequit? Solis num forte profectus ad ortum,
Iſter ubi immenſo pelago ſe turbidus infert,
Milite prolatas regnum, aut (ſi Diis placet) acer
Vaſta quatis duro Byzantia mœnia bello?
Quidnam agitis vicina manus, quos non ſine queſtu
Et peiore loco properata pericula tangunt,
Auxilij non immemores, ſed mentis egenos?
Quid reliqui faciunt age, quos Jove conſtat ab ipſo
Dictos eſſe Deos ad terras rite regendas,
Qui ſontes punire, bonos defendere debent,
Nempe magiſtratus, lectique ex ordine patres?
Qui ſi juſtitiam, rectique æquique tenacem,
Certas ad legum normas veramque ad amuſſim
Dirigere abnuerint; etenim lex regula morum eſt:
Inſurgant aliqui de plebe Palæmones imâ,
Vindicibusque armis, odio impietatis iniqua,
Seſe defendant ulciſcanturque neceſſe eſt.

Digitized by Google

O Astræa, sacræ Themidos justissima nata,
Ense armata manum dextram, trutinâque sinistram;
Stringe age, cælestum jussu illætabilis ultrix,
Stringe ensem, rigidâque truces feritate latrones
Cónfode, supplicioque nefandos adfice sontes.
Si nolis, gladium huc cedo: jussa severa Deorum
Ipsemet, accensus mentem integritatis amore,
Exsequar, atque istis nebulonibus intima ferro
Viscera trajiciam, & capita a cervice revulsa
Volturibus milvisque & ovanti gutture corvis
Dilanianda dabo; dabo corpora trunca probrosæ
Suffigenda cruci, aut dissecta in frusta quaterna
Putida membra, putresque artûs, infamia furcæ
Tigna in quadriviis teneant spectabile faxo
Exemplum: tabulæque inscribam pensile carmen:

OB SCELVS ILLATI STVPRI RHAMNVSIA VINDEX.

AD IVSTVM LIPSIVM.

SCRIBERE, *quæ multis placeant, doctissime* LIPSI,
Multa adeó multi conantur Apolline nullo;
Vt paucis quos augur amat, sagæque sorores
Auguris, in numero vatum (proh dispudet) esse
Detur honoratis, punctumve tulisse secundis
Arbitriis; quo donari solet, utile quisquis
Dulci miscuerit, divinâ Palladis arte.
Ipse equidem, criticûm si fas adpingier albo
Francum hominem, nullas ut quæro per otia laudes,
Nullumque ob nugas pretium; sed enim obvia multis
Laurea nostra odio est: ita contra, vulgus ineptum
Quàm sentit, studeo paucis modulata probare

Carmina, ab exiguo venæ manantia rivo;
Pura tamen, nullisque óbsita labe ſolæci,
Vt reor, indignê laturus ſi quid hiulcum,
Aut inconveniens abſurdumve, aut alienúm
Obſideat temere ingeſtis mea carmina nævis.
Quæ veterum ſcriptis utinam (ceu nupera nobis
Objecit priſcos Latiæ rudis arbitra linguæ,
Ex fæce & triviis argutans verba petendum)
O utinam ſcriptis veterum, ſæcloque Latino
Æmula, vel paria ex aliquâ, vel proxima ſaltem
Parte forent: merito ſanê pro cive Quiritum
Me poſſem gerere, ac titulum nomenque decórum
Dignis tutari rationibus. id quod abunde
Teſtatum facerem, ſi uſus foret, ipſeque pronos
Carminis in curſûs Aganippidos Hippocrénes
Vberior quondam flueret liquor. At neque Famæ
Tanta mihi inceſſit potiundæ (crede) cupído,
Nec tanto laudis percuſſum pectora thyrſo
Exſtimulat ſpes, aut gravium fiducia rerum;
Quantum præcipuê rumpor ringorque recenti
Barbarie, ſenſim (nullo advertente) nefandis
Gymnaſiûm ag greſſâ corrumpere fraudibus artes
Ingenuas, lexesque aptas, normamque loquendi
Puriter, & verba Auſoniis conſueta propritim;
Atque ità perſpicuæ nebulas offundere luci,
Cimmeriisque umbris præſtinguere lumina linguæ,
Splendoremque atris Latium infuſcare tenébris:
Qualibus, obscurâ faciem ferrugine tectus,
Corpore tam ſpiſſo Lunæ ſubeunte, laborat
Sol, oculus mundi; mediâque in luce fatiſcit
Languidus, aureolum mutans atrore colorem.
Triſtior hinc tam mane novo quàm veſpere ſero

Fos Clytiæ, vergens ad amati lampada Solis,
Mæret, & adflictæ ſuſpectat imaginis ora
Flebilior ſolito, ſociis lacrimantibus herbis:
Maior & Heliadum natu gemit, imbre madenti
Virgineas ſuffuſa genas oculosque, Litavâ
Pallidior cerâ, & Pruſſiacô electro.
Quin etiam horrendum chaos ingruere ipſa diesque
Et rerum natura animum perculſa vereturr,
Præſagum Stygiæ chaos illætabile noctis.
Haud alia eſt Muſæ facies cernenda Latinæ,
Barbara progenies piceâ fuligine poſtquam
Auſa eſt immeritæ faciem violare ſerenam.
Nigrior ipſa licet vapidi ſit fauce camini,
Purpurei tamen adſciſcit ſimulamina vultûs.
Huic comes it Stribligo; novis ſed Chalcographorum
Exornata typis, mendacique óblita fuco:
Cetera nil frugi; ſed iners, turpisque videri;
Balbæ naris, hebes ſenſu, malè prodiga fandi.
Scilicet hæc regum magnorum geſta ducumque,
Actaque ſummatum ſcriptis illuſtria reddet?
Scilicet hæc ſcabies doctorum clara virorum
Nomina victuris chartis transmittet in ævum,
Seque unâ tricasque ſuas vehet ardua ad aſtra?
Dij melius. vix impune eſt. Ne ſit tibi LIPSI,
Ne tibi ſit tales bucconum audire cicutas,
Non niſi probroſum natas diſperdere carmen
Stridenti crepitu, & turbantibus æthera bombis.
Si bene te novi, laudatæ ſanguine gentis
Prognatum, & teneris cum formareris ab annis
Muſarum in gremio eductum, Charitumque beato
Munere donatum: facies pol, ut æſtimo, pluris
Limpiduli rivum fontis, quàm flumina plenas

Digitized by Google

Agmine torrentum tumido excedentia ripas:
Vtque tibi dotes, quibus excellenter abundas,
Natura ingenijque auctas dedit Attica virgo;
Altior & celso regnans in pectore Virtus
Ad rerum mage te excivit sublimia: sic non
Turgida pomparum, non ampullantia quaeris
Verborum, neque amas grandi innotescere plausu,
Qualem amat inflato Thraso crudа superbia fastu;
Sed mecum facis, & sapiens mediocria suades.
Ac quo maiorem Themis adsignavit honorem
Fulgida conspicuo capiti, potioraque summae
(Idque tuo merito) tribuit praeconia laudis:
Hoc te nempe geris submissius. atque apud omnes
Tanto adfabilior, tantoque humanior audis,
Vberior quanto tecum experientia crevit,
Et locupletatae doctrina exauxit acumen
Indolis. usque adeó tibi pulchra modestia cordi est;
Et servare modum, & nullas transcendere metas
Provida, nec quemquam mordace lacessere dicto:
Contra, quàm verbis factisque feros Centauros,
Rhonchicreposque Cyclópas, & immanes Polyphemos
Consuevisse palam est, hodierni incommoda saecli.
Hos ego nunc missos faciam rude vulgus oportet,
Ignarumque artis Phoebéae, sicut & illos
Versificatorum de furfure, qui sibi docti
Ante alios, vetuloque usu praeclara videntur
Emeruisse magisteria, crebroque cathédram
Attrivisse pede, & scabrae raucedine faucis:
Queis nihil arridet, nisi quod (si Diis placet) ipsi
Judicio exacto, ut credunt, acrique probarint,
Non modò in antiquos ausi de more Poëtas
Ferre, sed in nostrae aetatis quoque pectora rara

Censuram;

Digitized by Google

Cenſuram ; propriâ qui nempe libidine ducti
In meſſem ſuerunt alienam mittere falces ,
Cornicumque oculos obelo configere plumbeo .
O vitia ! o mores ! tanquam ipſi ſcilicet eſſent
Sanguis Ariſtarchi reliquus , pullive Catonum ,
Quos penes arbitrium foret , ac genuina facultas
Sermonis , Romæque decor , fandique character .
Aſt ego num patiar , quum ſim præfractior , horum
Subdier imperio , Latiam corrumpere linguam
Pergentium , & quævis rectiſſima depravantum ?
Vt qui virgineæ violat ſacraria Veſtæ ,
Inceſtatque adyta impurus , niveamque recingens
Turpiter illicitis heu ceſton adulterat auſis ?
Num patiar , Lælaps ut dirâ arthritide fractus ,
Pacis turbator Lælaps ille , haud ita pridem
Myrtilletanâ , prout æquum eſt , pulſus ab urbe ;
Rurſus apud Franci ſubſellia nota ſenatûs
Ob quosdam me elegos , Cereris de munere , ſed non
Illius ad guſtum ſtomachoſi , ex tempore factos ,
Cautelâque piâ contra rabiem munitos ,
Incuſare paret , falſisque inceſſere dictis ?
Aut veteratoris conjurem in verba Pyruſſi
Ficoſi ſenis , & podagroſo poplite tardi ;
Attamen immeritos celeris deferre ſiniſtrê
Vrbis ad Heptarchas , & ſugillare probroſis
Carmina criminibus non intellecta legendo ;
Dum litem malus eduri de fragmine gleſſi ,
Deque pedum ſtrepitu crepidisque recentibus ortam
In caſſum movet , adſpectumque ſui vetat excors ,
Suſpectos & habet , qui fronte tuentur apertâ ?
Aut ſtudeam turpi Scarabæo velle placere ,
De Latio multum blateranti , & multa vomenti

Digitized by Google

Nequicquam, ſputoque mero ſug geſta replenti
Frigida; gymnaſij dum jura modumque recentis,
Atque profeſſorum munus, doctamque Minervam
Ad Cephales idioma ſuæ cerebróſaque ſenſa,
Corrigit, & tortos ructans blatit aſper elenchos?
Aut temere in chartam, multo madefacta Lyæo
Turba velut perſæpe ſolet fanatica, & ipſe
Conjiciam quodcumque in buccam vênit inepti,
Atque apimis gravidans obtundam elumbibus aures?
Crede mihi, nimium ſum relligioſus ad iſtæc
Præproperê facienda, nimis quoque tardus inersque
Ludibrium ac riſum mihi conciliare per artes
Aonias. gnavê quibus invigilare, decórum
Vt duxi ducamque dehinc; ita ſobrius illas
Vt tractem, ſemper ſtudeo. Perverſa faceſſant
Hinc procul, & juſtas contra facientia leges.
Munda placent, ſermoque decens, ſeléctaque verba,
Et teretum ſtructura pedum, rectiſſimus ordo,
Quæque alia efficiunt jucundum & amabile carmen.
Abfuerint hæc a noſtris ſi forte; quid obſtat,
Quo minus illa gravi cenſor figas obeliſco,
Aut penitus, vulgo ne fiam fabula, tollas?

AD IOANNEM HAINRICVM HAINZELIVM.

QVI tibi per ſeſe eſt ita commendatus Iöpas,
Gentis Eleutheriæ decus, interpresque Sibyllæ,
Illius ut causâ nil non cupiasque velisque,
Quod cadere in verum pote, ſi res poſcat, amicum;
Idque adeó tu confitearis, ut omne movendum
Eſſe putes ſaxum, totâ nervorum & opum vi,

Digitized by Google

Caucaſeæ licet adſtrictum torpedine cautis ;
Ne, quod aves ultro effectum dare, præpediatur,
Neu via quâ ſeptis intercludatur acernis
Idaliæ Veneri, vel Acidalio Hymenæo :
Ille tibi Geniumque loci fatumque dierum,
Rem geminam æterni penſatam lance Tonantis,
Lance tuâ ſimul HÆNZELIDE *trutinarier optat ;*
Conſiliumque dari petit ; unde ſibîque ſuisque
Poſtmodo quæ grato utilitas emerſerit ævo ;
Illa tibi ſoli, ceu fas, accepta feratur :
Solus enim ſecretarum tu conſcia rerum
Corda geris ſecum : tu ſolus & oris operti
Firma ſera es. teſtis LYCVS, *& vernantia prata ;*
Prata, Lyco variis cum floribus intertextas
Vngue Napæarum nitido gaviſa corollas
Indulgere, chorisque amnem mulcere Suëvis.
Senſi ego, cæruleos placido quum lumine vultûs
Tolleret, arrectus mentum, barbamque fluentem
Demulſus pater, ut quondam (ſemeſtre tenebat
Scilicet AVGVSTA *me tempus in urbe morantem,*
Cæſaris addictum imperio rebusque gerendis)
Is mihi neſcio quæ, viridantis roſcida ripæ
Gramina oberranti, & curas ſub pectore agenti
Multiplices, ibi fatidico prædixerit ore
Myſticus, arcano tunc obfirmata ſigillo.
Nempe ut eram Thracus, meditabar, iturus in hoſtes,
Hunniacisque plagis æſtum paſſurus & algum :
Tum ſenior linguam mox hæc in verba reſolvit.
O juvenes, juvenes ; quæ vos audacia cepit
In bellum ruere, & vitam objectare periclis
Immeritam ? ſciretis, ohé, diſcrimina quanta
Quotve neces ſubeundæ eſſent ; non pectore cæco

Disciplinam artisque decus pacemque perosus
In furias ageret freni vos lubricus error,
Liberiore viâ campos sectatus apertos:
Qualiter indomitus, validis robustus ab annis,
Pondera dura gravis detrectat taurus aratri,
Impositique jugi ruptis jam libera vinclis
Subtrahit impatiens colla: hinc urgente solutus
Mole ferox errat, cornuque minatur adunco,
Nec se ultra adstrictum patitur, velut antè, domari.
Aut ubi flexibiles in gyros ire coactus,
Spumea præduris constrictior ora lupatis
Succussator equus, rabie stimulatus & irâ,
Ex improviso laxê genua ipsa tenentem
Sessorem dejecit humi, & chalybem ore memordit
Præfracto; volat ecce levi pernicior Euro,
Exsultimque fremens ventorum hinnitibus alas
Increpat, & cursu glomerata fatigat inani
Crura; ferire auras, vacuumque lacessere crebris
Calcibus, & flavas dispergere fortis arenas.

At vobis juvenes prædulce insania ferri,
Suave labor Martis. Gerat arma cruentus Achilles;
Tu sapienter ama. Tibi jam tibi, culte Poëta,
Flos roseus licet ignotis adolescit in hortis;
Hunc carpes, & erit tibi flos hic carptus honori.

Sic ait, & viridi glaucum caput abdidit alveo.
Tum nemore in tacito jugi Philomela sonore
Gutturis arguti concentus omine plenos
Orsa, serenatas inter placidi ætheris auras
Mille modos, vario mille integrat ore canores.
Stant Nymphæ, gratasque bibunt avidâ aure querellas:
Atque una ex illis, Cane, ait, cane dulcis Aëdon
Omina non umquam linguæ temeranda sinistræ.

Digitized by Google

Sed redeo ad veſtri cauſam haud vulgaris amici;
Quam ſi patriciæ tribui, notisque propinquis,
Patricius ſanguis tute, Auguſtusque ſenator
Ornandam merito duxti ducesve; fac æquas
Concilies, ſociis non adverſantibus, aures:
Præſertim quia jus privum tibi, & omne propritim
Credidit arbitrium. Probus eſt homo, purus ab omni
Crimine: quem nulla ebrietas, nulla orbita traxit
Enormem, aut recti avulſo temone rutentem
Antra per amfractûsque & inexplicitos labyrinthos:
Non Syrtes, non Scylla rapax, non torta Charybdis
In ſcopulos egere ſuos, cæcumve baráthrum;
Quo demerſa natant quàm plurima corpora ſæpe.
Non illum Sybaris, non Lesbos perdita luxu
Tætris imbuerunt vitiis: nec turpiter illi
Vita libidinibus marcet polluta nefandis;
Sed mentem ſanam tenet usque in corpore ſano,
Morborum immunis, nullique obnoxius ægro:
Sed bene compoſito vernat ſub corpore ſanguis
Integer. utque boni bonus ille parentibus audit
Cretus, ita egregium ſemper virtutis honeſtæ
Conſectatus iter, titulos ſibi nuper adeptos
Maſculum in heredem non inferiora ſequutum
Transmiſiſſe memor, teneram (quæcumque futura eſt)
Nobiliore loco Nympham maióreque ponet.
Aurea tum laudemque novam nomenque paternum
In ſubolem longos extendet fama per annos;
Fama ultra Europæ jam latê dicita gentes.
Præterea ſibi nupturæ, pro more vetuſto
Antiquæ legis Salicæ, novus ipſe maritus
Quidquid jam vel habet vel habebit, mancipat uni;
Pignera ſeu generet, ſeu nullis gaudeat exſors.

Digitized by Google

Adde quòd Augustæ totum se dévovet urbi,
Quâ sibi conspectum jurat nil pulchrius usquam;
Seu libeat plateas hortosque domosque nitentes,
Seu placidos mores hominumque industria corda
Conferre, & cultûs habiles; seu munera Suadæ
Melle saporatas & dio nectare linguas.
Denique se memorem ac gratum fore pollicitatur,
Præcipuè tibi; quem penitis fert inque medullis,
Inque oculis, ut ego ipse etiam, tibi deditus uni.
Quòd si vel quotacumque meo persuasio mentem
Carmine pervadens tibi, vel fiducia recti
Evicisse valet, Genius quod fátaque monstrant,
Aut certè, nisi mens fallit, monstrare videntur:
Non dubium est, o HÆNZELIÆ *nova gloria gentis*
HÆNRICE, *Aonidumque decus geniale sororum;*
Quin te mutuiter sis exhibiturus Iöpæ,
Qui tibi permultis apprime est cognitus annis,
Et facilem & placidum: curandâ scilicet in re
Non modò legitimâ, verùm quoque plurimum honestâ,
Atque adeò sanctâ. Cui non exsolvere curæ
Sit, quod honestandis votis facit, atque petitis,
Quæ pia concernunt divinæ consona legi
Munera? Quapropter supplex, ut gratificeris
Ambobus, rogo. Sic conjux tibi, sic tibi sospes
Filia nascentis maneat sors unica fratris:
Sic mox possideas concepta in vota colonos,
Saltûsque scatebrasque & herilia jura Petruni.

AD MICHAELEM RAVENBVSCHVM.

An mihi sunt salvæ, crescuntque tepentibus auris,
Quas cultor verno consevi tempore vites,

Digitized by Google

Post veteres positæ umbracula grata Penates?
Id mihi tam volupe est rescisscere, tamque profusâ
RAVENBVSCHE *tuæ sum de sermone papyri*
Lætitiâ adfectus; quàm si mihi littera sospes
Missa foret, quæ de faustâ me sorte ROSINÆ
(Sicubi fors istic habitet mea cura, salutem
Cui precor, aut aliâ sperata moretur in urbe)
Edocuisse sibi partes sumpsisset amicas.
Crescite pampineæ mea gaudia crescite vites,
Dulciaque innumeros mihi munera ferte racemos.
Tuque adeó formosa, meis celebrata libellis,
Virgo, ferax olim fruticem æquatura Lyæum,
Cresce age, & ardentem non leni fomite flammam
Dilue rore tuo, roseique adspergine succi.
Fallor, an hæc eadem, nostri pertæse laboris,
Sæpius aut iteras, aut saltem iterare putaris,
Fundimus anxiferis quæ RAVENBVSCHE *querellis*
Vota, aliquâ æternos ex parte moventia Divos;
Divos, cum fato; quod conglomerata sororum
Fila trium involvunt horas tardantibus astris?
Nempe salus curæ est tibi nostra, meæque ROSINÆ:
Nec potis ex animo cupere aut bene velle Melisso
Nullus amicorum. Spem credula pectore vanam
Concepit fortasse fides, & opinio mentem
Præcipitat mera, dum lentum diducta per ævum
Sollicitudo ægros occulta fovet Hymenæos;
Et modò nescio quam Spinas genitam inter opacas
Fingit Acidaliam, modò suavi munere Morphei
Oblatam nobis formam sub nocte profundâ
Ruminat, impatiens remoræ, eventûsque futuri.
Ast hæc ingenium fictos modulantis amores
Dædala materies acuit, vivoque calore

Digitized by Google

Inflammat generosa jecur. næ sentio robur,
Sentio divinas animato in carmine vires,
Seu mihi dilectæ potiunda recurrit imago,
Lustranti cælum, cælique volubilis orbes;
Seu matutino quod numine cornea portant
Somnia, frustra animum non ludit inanibus umbris.
Quid, quòd ubi vero se lumina pascere vultu
Concessis potuere viis (nam plurima passim
Adspicienda oculis Nymphe se nubilis offert)
Talis & ipsa, aio, gressu mea Nympha futura est:
Sic habitum, sic membra feret. sic ora rubebunt,
Quale rubent medio delecta corallia ponto,
Aut rosa candidulis Nabathæa immista ligustris.
Sed nugor, Suevis prope factus præda puellis;
Cum quibus & cantare licet, blandisque jocari
Vocibus, & septis spatiari vespere in hortis;
Quâ Lycus albenti sinuosus volvitur undâ,
Crispantes vario miratus gutture flexûs,
Et digitos agiles feriendis verbere chordis.
Talibus o utinam flavæ sulcator arenæ
Articulis Pegnesius adhuc, & vocibus assis
Personet, aut mistis fidibus socia excitet ora
Naïadum: quo se jactaret, non pol haberet
Vindelicorum Augusta, Deas exércita contra
Noridas. una harum partem sibi quæque propritim
Divideret laudis; qualem tenuisse feruntur
Patriciæque nurûs, & ovanti voce puellæ,
Nobilium decus indigenûm: dum viveret olim
CELTIS, *in Almanos doctas Helicone recluso*
Qui primus deduxit agros mea numina Musas;
Qui Pegnesiacam non falsis laudibus urbem
Extulit, & seros scripta admonitura nepotes

Digitized by Google

Deprompſit, ſtudiis florens ignobilis otI.
Hæc quondam fuerant uſu, quæ candida virtus,
Purpureusque decor, atque ipſa probavit honeſtas
Vnanimi adſenſu. nunc dedecus eſſe probrumque
Judicat infamis perverſi verticis Ocnus,
Si qua puella fides geminâ percurrere palmâ
Norit, & arguto voces inflectere cantu,
Aut Latiâ Graiâve ſonos ſciat edere linguâ.
Artes ætheriæ, tuque exhilarabile donum
Muſica, mortales largita decenter in usûs,
Dulcis ut harmoniis ſymphónia mulceat æquis
Pectora, & efficiat ad res magis apta gerendas;
Tam vili ſitis pretio; nulloque in honore?
Ah pereat, quisquis vos inſectatur & odit.
At mihi ſi centum natos natasve ROSINA
(More loquor patrio) fecundi pignera lecti
Partubus ediderit lætis; ea pignera Muſis
Spondeo flexibili ſonitu, plectrisque canoris,
Mitibus & ſtudiis linguarum, non ſine plauſu,
Erudienda: ſacræ poſcunt ut Apollinis artes,
Dónaque Pieridum non diſtribuenda profanis.
En, oculos tango. votum re numina firment,
Adſpiretque favens cœptis Fortuna ſecundis.

AD NICOLAVM COMITEM OSTROROGIVM.

ADSIDVA rerum & curarum mole gravatus,
Quas ego partim ultro ſuſceptas perfero conſtans,
Partim alienâ operâ attractas exantlo frequenter,
Cum requiem alternam quærendam rerer, & ægram
Eſſe relaxandam ſperata in gaudia mentem:

Nuper iter faciens, ſocio comitatus ab uno,
Diſpatiansque animi caiusâ per Norida ſilvam,
Caſtalidum ſedes Altorphia tecta petebam;
Sed fruſtra, & vanis (nequaquam quod fore rebar)
Auguriis. Ibi te, Comes OSTROROGANE, *tuosque*
Præsentes reperire domi feſtinus avebam:
Verùm alias vectos raptarant eſſeda in oras,
Eſſeda vicini properos facientia juſſûs
HALLERII; *cui pulchra ſitu, nemorumque frutetis,*
Angelicæ vallis confinia præfecturam
Continuant. ſic lux aliâs tibi ſacra quotannis,
Natalis referens niveo ſtata feſta jugali,
Incelebris ſine laude abiit, cantuque ſonoro.
Lætum namque tuo quod eram modulatus honori
Carmen, in octonas concinnâ voce coactum
Harmonias, ſtudio LECHNERI; *ſcilicet illud*
Par erat ingenuas ut cantaremus ad aures
Ipſimet, geminoque ori vis maior ineſſet,
Prompta tuas laudes in celſum attollere Olympum,
Vranienque ipſam per vocem animare canoram.
Quod meritum quanquam fuit hactenus intermiſſum
Sive inopinato reditu, ſeu ſimplice culpâ,
Sive errore; tamen mentem ſpectare decebit
Officioſam animi, quæ ſe noctesque diesque
Ad veſtrum obſequium nutumque fideliter offert
Sponte ſuâ. Talem ni dedignare (quid autem
Dedignareris?) Comes o generoſe, perennes
Dehinc tibi pollicear victurum nomen in annos.
Quippe ſati cælo, genus immortale, Poëtæ
Quos celebrant numeris, æterna in ſæcula vivunt.

Digitized by Google

IN NVPTIAS
CHRISTOPHORI ANDREÆ IVLII ET MARIÆ MVFLIÆ.

CVI varios peregrinanti cognoſcere mores,
Et diverſa hominum ſtudia evariantia mentes
Vſurpare oculis animoque haud fata negarunt
Invida: cui longos cupidê anquiſita per annos
Multiplici inſtructum dedit experientia pectus
Conſilio rerumque uſu; & locuplete Sophorum
Doctrinâ, ſolidæque opibus virtutis onuſtum:
Ille ſagax initâ ſecum ratione, modoque
Antè explorato, curſum ſapienter & absque
Offenſu rectê urgendi (nam ſæpe juventa eſt
Lubrica) & omnino veram per dura ſequendi
Non ſine ſudore ac multo conamine metam;
Vt valeas alti contingere culmen honoris,
Qualis ad Eléi ſudans certamina campi
Munera fert, equiti non exſpectanda ſupino:
Ille, inquam, multum refferre fatebitur ultro,
Quo quis ſit dias in luminis editus auras,
Eductusve loco. Quæ me ſententia, IVLI,
Adſtipulatorem vero certiſſima jungit.
Multum adeo eſt, patriam primævâ ab origine lucis
Sortiri celebrem, & laudato nomine claram:
Plus autem, tali pueros adoleſcere cultu,
Qui ſit cælitibus quàm proximus, inter honeſta
Morum exercitia, & juvenum pietatis amantum
Semina, doctrinæque adeó genus omne bibentum
Aure haud difficili, nec turpiter ad mala pronam
Vertentum mentem conſortia; ſint licet inſtar

Digitized by Google

Ceræ, compreſſo patientis pollice flecti.

Proloquar, an ſileam, quæ dictitat augur Apollo?
Nemo ſalutari mihi ſidere natus adæquê
Creditur, Almanis quàm quem produxit in oris
Vrbs aliqua, Imperij ſacris gaudensque fruensque
Legibus: ipſa ſibi dominans, aliisque recuſans
Parére. ipſa ſibi ſubjecta; at ſubdita nulli,
Qui libertatem violare & Teutona jura
Cogitet inſanus, fidei fraudator & æqui.
Heic certê veteres juſtiſsima pectora coram
Minoas poſsis redivivos cernere, & ipſum
Ex imis iterum Rhadamanthon & Æacon umbris
Evaſiſſe, homines ut publica jura docerent.

Moribus antiquis ſtat res Germana, virisque
Antiquos mores retinentibus. Adſpicis urbem,
In quâ natus es, o exoptatiſsime IVLI
Civibus, externisque, & nobilibus vicinis?
Adſpicis & ſupra tot propugnacula & infra,
Inſulam & in mediâ protentàm longius urbe,
Advena dividuis quam circumlabitur undis
Pegneſſus, fulvæ ſtagnans ſulcator arenæ?

Scilicet hæc illa urbs, in quâ cui contigit auram
Captare ætheriam, merito ſe dicere civem
Fortunatum auſit. Reſpublica Norica princeps
Audit, & in Francis caput altius exſerit, usque
Libertatis amans, & ſervantiſsima priſci
Moris, & antiquæ linguæ, cultûsque vetuſti,
Cæſaribus vel cum damno fidiſsima ſemper;
Vnde & adhuc, arcana quibus ſignata relúcent,
Virgineos Aquilæ vultûs inſignia geſtat,
Conſtantis fidei indicium, dextræque probatæ.

Quid, quòd honeſtatas ſtudiis reverentius artes

Digitized by Google

Nulla usquam coluit sociarum? nullaque doctis
Plus unquam tribuisse choris memoratur honoris?
Doctrina in summo pretio est. quod si secus esset;
Haud schola in urbe frequens foret, haud Académia
Exerta auspiciis ad se tot amanter alumnos [fastis
Alliceret, clarosque viros studiosa vocaret.
Hæc illa urbs, gremio in cuius felicibus orsis
Prima rudimenta hausisti puer, háustaque deinceps
Vlteriore vigil studio magis ac magis auxti,
Donec ad altarum scandisti culmina rerum.
Sic nova surgit humo domus a fundamine jacto,
Célsaque sublimes effert fastigia ad auras.
Adde, quòd exacti tunc maturique magistros
Judicij es nactus; quorum tibi cura fidelis
Calles ignotos ignótaque sacra prævit,
Et digitum intendit quæsiti ad limpida fontis
Flumina. quæ simul atque admoto primitus ore
Gustasti sitiens; ea non quasi vile quid abs te
Sprevisti procul, aut aliâs neglecta profanis
Excepsti manibus; hodie ut plerumque pigrorum
Turba nefasta solet, stolido correpta veterno:
Verùm illâ uberius laticum melligine tincta
Proluere usque juvat labra, conceptamque calore
Hisce levare sitim, faucesque immergere lymphis:
Nimirum doctæ vetus adsuetudinis usus,
Ipsaque prudentum consortia tecta virorum;
Queiscum versari primo tibi contigit ævo,
Non tantùm patrio in tractu Germanidos oræ,
Ad Nicri Rhenique amnes, loca dedita Musis,
Et quâ Tyrigetûm colles Sala prænatat altos;
Verùm etiam externis, quas admiramur, in oris
Ausonios apud & Celtas, Rhodanoque propinquos:

Moribus imbutum ſanctis tibi pectus ad omnes
Res aptum & cauſas bene formavere gerendas.
In primis tibi cura fuit pleno ore tonantem
Juris-conſultum (memini) auſcultare DONELLVM,
Et facilem argutis HOTOMANI *vocibus aurem*
Præbere, atque avidê CVIACIA *ſenſa, ſonosque*
Imbibere appoſitos. Te non minus ipſa frequentem
Vidit AMERBACHI *ſchola. ſed nec* VECCIVS *abs te*
Aſtræa ſplendor, quo culta Bononia fulget,
Nec PAPIVS *celeber neglecti. ſed neque acuti*
Poſthabita eſt tibi, certanti comprendere verum,
Dexteritas MENOCHI; *quem nos, quem Zopyrus ille*
Noſter, amicorum ſuaviſſimus, eloquioque
Nulli Italûm aut Gallûm ceſſurus, Acronia proles,
Flos patriæ, Tullique decus, Suadæque medulla;
Germanique alij, Patavina Lycéa colentes,
Publicitus ſolitis horis audivimus ipſi
Egregiê diſſertantem, & præſcripta Catonum
Atque Lycurgorum, venerandorumque Solonum,
Vivâ voce (eadem collégis unica cura eſt
Subtili CEPHALO, *& Iäſonio* DECIANO)
Inculcantem animis; ſimul & griphos ſcruposque,
Vinclaque, nodoſasque plicas, perpléxaque legum
Solventem ac facili reddentem ænigmata ſenſu.
Talis (opinor) erat Romæ auditoribus olim
Ipſe Coruncanus, civilia jura profeſſus:
Tales, Sulpicius teretique Trebatius ore,
Conſultatores, magni Ciceronis amici.
Etſi ſponte tuâ conatus es ardua quævis
Efficere in ſtudiis, heres virtutis avitæ
Patritæque: tamen ſociis hortantibus (acris
Inſtar equi, per ſe celeres currentis Agónas,

Digitized by Google

Digna relaturi certatæ præmia palmæ)
Addier ut ſtimulos ſenſiſti & calcar honeſtum ;
Fortius & properanter itum eſt magis , illice Divâ
Palladiæ ſertum procul oſtentante coronæ .
Quam ſimul es nactus , poſt infinita laborum
Tædia , nec modici poſt temporis intervallum ;
Ecquid te porró facere æquum eſt ? Tu mihi leges
Cæſareas , & jura fori , conſultaque patrum ,
Quæque adeo ornandæ ſpectant ad publica pacis
Commoda , tranquillamque urbis populique quietem ,
Sic tractes , ut nil niſi judicioque fidêque
Summâ dicaris feciſſe , & ad omnia ſanum
Conſilium , & trutinas æquo cum pondere juſtas ,
Ceu decet , in quavis re ſuppeditaſſe locoque ;
Patris avique modo , quorum multumque diuque
Vſa lubens operâ eſt ſancti pia cura ſenatûs ,
Quo nil integrius , quo nil in Francide totâ
Æquius ac melius . Per ſe hoc res ipſa loquetur :
Sive in patricios partitus tótius urbis
Ordo ſpectetur ritusque ; aut munia cuique
Propria , diſtinctêque tributa , per omne gradatim
Præſidis officium , & queis ſingula cumque ad amuſſim
Municipi ve tribûsve in cenſibus explorentur :
Vtile ſeu procerum integritas poſtponat honeſto ,
Atque inopum ratio ſit habenda , rudisve popelli ,
Aut peregrinorum : ſeu rerum ſimplice formâ
Stetur agendarum ; iuſtumque tribunal ad unguem
Exigat inſontum cauſas , pœnasque nocentum ,
Neutris addictum : ſeu denique pacis amantum
Conditio quiddam privo decedere juri
Gratandi ſtudio potius (vicinia tanti eſt)
Linquat rixoſis . Salve o firmiſſima cultrix

Digitized by Google

Justitiæ, fideique almæ, legumque sacrarum,
Vrbs decus Imperij, patriâ mihi carior ipsâ,
Natalique solo; doctarum mitis alumna
Thespiadum, fautrixque mihi suavissima, & illis
Qui nitidum Clarias caput erexere per artes.
Præcipuè Patrum mihi septenarius ordo
Salve, & quod longos regimen tutatus es annos
Continuâ serie, felix in sæcula mille
Numine firmatum præsente nepotibus aucta;
Atque ita conservans cives, arcemque domosque;
Mœniaque e solido circùm validissima saxo,
Atque rotundatas portæ munimina turres,
Adversus rigidi tormenta hostilia Martis,
Et structas ex compacto insidiasque dolosque,
Pervigili incumbens curæ tuta omnia præsta:
Cultor ut adsiduus (parvis componere magna
Si non absurdum est) crescentia fertilis horti
Semina, surgentesque herbas, virgúltaque rara;
Arboreumque genus studio servare perenni
Curat, & extrorsum vivâ circúmdare sepe,
Vim contra brutasque feras, & robur aprugnum.
Tuque adeo, præclare FABI, *memorabile gentis*
IVLIACÆ *columen, legum & tutela bonarum,*
Consilij princeps patrij, Themidisque sacerdos,
Salve; susceptique operis ne exordia texta
Desere, neu taciti in cordis penitralia conde
Gaudia, lætitiis sed inardescentibus exple
Antè alios juvenantem animum. Tibi filius ecce
Quantum suppeditat, senio obrepente, vigorem!
Quantum olli contra tu das venerande decoris!
Ille tua a puero vestigia rite secutus,
Tot disciplinas pietati junxit & artes,

Quarum

Digitized by Google

Quarum præcipuê in vitâ eſt optabilis uſus ;
Totque ſibi uſurpanda foris exempla domique
Sumpſit ; ut his fretus , grandævi facta parentis
Si ſuperare minus , tamen æquiparare potis ſit ,
Et ſolidam alternis virtutem imitarier auſis .
Atqui ſic memorant Nervas duo , ſic duo Celſos
Tempeſtate illâ celebres , Fabiosque Sabinos
Inter ſe coiiſſe pares , clarosque peræquê
Ingenio patrum natos viguiſſe ſequaces :
Non ſecus ac de vite ſolo commiſſus aprico
Palmes in ætherias ſurgit Mareoticus auras ,
Dona racemiferæ exæquans felicia matris ;
Ipſe dehinc alios lætæ propagimis arcûs ,
Spem laticis Bromij , humanum laturus in uſum .
Qualiter ad plenum ANDREAS, *tua ſola voluptas ;*
Lenimenque mali , quo non exultior alter
Ad Pegneſſiaci ſabuloſas fluminis undas ,
Famamque ſtirpemque domûs , & priſca propagat
Stemmata , non ullis intercaſura diebus .

Famque (quod o felix fauſtumque ſit) auſpice Divâ ,
Cui thalamus curæ , cui teda placens Hymenæi ;
Fit progreſſus ad id , quod jamdudum omine dextro
Fama , & Chaonidum præſagia mira volúcrum ,
Nec vano augurio , ſunt vaticinata futurum ;
Poſt iter ut varium , & vitæ diſcrimina mille ,
Poſtque laboriferæ momenta exacta juventæ ,
In patriam nato , non lævâ ſorte , reverſo
Pulchra tori conſors , Fatis oblata ſecundis ,
Aſpera dilueret curarum ; & , uti mala Sors ſert ;
Siquid amaritiem ſapuit , tum ſi quid acerbum
Aut durum fuit , Hyblæi dulcedine mellis
Condiret , mollique fovens leniret amore ,

Compensans grave onus requiete, placentibus ægra.
Huc ades o magnum magni patris ornamentum,
Maius avi; neque honos urbi minor ipse tibîque,
CHRISTOPHORE *Andréa. Viden' ut tibi lumine*
Sollemnem introitum decorans arrideat uxor, [*blando*
Muphliadûm de stirpe sata, florentibus annis?
Omnia Terpsichoræ similis, frontemque genæsque,
Et flavos crines, & suave rubentia labra.
Te, te unum desiderio suspirat; in uno
Te defixa hæret, in te uno sola moratur:
Fámque tui intuitu certissima gaudia prolem
Mentis imaginibus sibi præconcepit habendam.
Tollite maturam, Genio duce, tollite prolem.
Non ego nunc veteris scitatum oracula Phœbi,
Non ego nunc consultum ibo Dodonida quercum;
Non ab haruspicibus, neque ab augure vera petitum,
Multa super fibris rogitans, super oscine multa.
En, velut in speculo aut pellucidulâ crystallo,
Cernere jam videor (Dea dextrum sternuit omen)
Progeniem natosque tuos, natûmque nepotes,
Æmula nobilium referentes vulta parentum;
Rem patriæ augmentumque urbis defendere promptos.
Tollite maturam, Genio duce, tollite prolem.
Ecce! quis ille animi generosus, & ore diserto
Præditus, est juvenis? toto auscultante senatu
Qui medius cata verba facit, patresque verendos
Ad votum arbitriumque suum rapit impete vocis
Flexanimæ, nutu celer elicuisse volentium
Consensûs, animumque ultra promosse tenacem
Proposiți, laxasque bonis concedere habenas
Consiliis: fluvij torrentis more modoque,
Adsiduas volventis aquas, cursumque tenentis,

Digitized by Google

Atque retrorſus agi ſperantis ab obice nullo.
Tollite maturam; Genio duce, tollite prolem.
Fallor, an effigies heredis in ordine quarti
Legitimê ſucceſſuri veriſsima præſtó eſt,
Ac ſpecimen de ſe præbet gravitatis avitæ?
Ille ipſe eſt, ſanguis tuus, illibata Penatum
Gloria, magnorum puer haud indignus avorum:
Quem tibi non multo poſt menſibus uxor amata
Spondebit parituram, & teque tuumque parentem
Plauſibus exſultim tantis ætate ſenectâ
Exhilaraturam; quantis ſolet, omnis in unâ
Cui ſpes prole ſita eſt, hilarari: ſicubi fetum
Incolumem Lucina, piâ prece terque quaterque
Sollicitata dedit, nec ſtamina pollice furvo
Intempeſtivæ Clothûs rupere ſorores.
Tollite maturam, Genio duce, tollite prolem.

Quæcumque adſpectant oculi per ſumma, per ima,
Omnia flore nitent vario; dulcisque renídet
Gratia cum Nymphis, geminâque ſorore: Jocusque
Dapſilis, & frater Salium Lepor ilia riſu
Titillat, ſocumque fodit latus illice palmâ:
Tum formicantes in toto corpore fibras
Omnibus articulis animoſa Lubentia tentat.
Tollite maturam, Genio duce, tollite prolem.

Præterea quidquid jucundum, quidquid amœnum;
Aut redolet gratæ Panchaïa munera meſsis,
Cinnamaque ſtactenque udam, Syriumque liquorem,
Paſtillos, caſiamque, & amomi ſuavis odores,
Olfactu quorum teneri recreantur amantes;
Largiter heic captare licet, caulasque replere
Naris Orontéi puro ſuffimine turis.
Tollite maturam, Genio duce, tollite prolem.

Digitized by Google

O factum bene! Festivus festiva Cupido
Pectora conjunxit. lecti micat aurea lampas
Ad latus. inducunt rorantia sidera somnos,
Donec ad exortum Aurorae flagrantia libet
Oscula dilecto conjux pudibunda marito,
Nullis sincero cedens in amore columbis,
Turturibus ve altos gemitu testantibus ignes.
Non se quisquam hominum tali contendere amori
Factitet, aut tantis uri sub pectore flammis.
Tollite maturam, Genio duce, tollite prolem.

Quis tua, suavis Amor, dulcissima mella medullis
Indidit, & gratis demulsit pectora succis?
Pabula pellectae quis jucundissima menti
Subjecit, riguoque dedit saturarier imbri?
Empyrio vis illa sequax demánat Olympo,
Ignibus aeterni penitus succensa caloris:
Diluit ambrosio flammas Venus aurea rore,
In thalamos nectarque ferens & amabile mulsum.
Tales delicias, quoties libet, optime gustas
JVLIADE: tales gustat tua candida MVPHLIS,
Muphlis Acidalio pectus perfusa liquore.
Faxit Hymen, vobis sint propria talia dona.

AD CHRISTOPHORVM FLVRHEMIVM.

QVA patet a Nemetum secessu Vestria tellus,
Trans montes silvasque & caute rigentia tesqua
Mille pedum passûs a Lautridos urbe remensum,
Ac totidem a culto (nam aequum est iter) Otterburgo;
Belgica quo pulsi deducta colonia civis;
Me comitas visum tam vastae molis Aratrum,

Digitized by Google

Vomere prægrandi ſulcos ducente reclives,
Vallibus & planis montes æquante jugoſos.
Tale quis unquam antehac oculis conſpexit Aratrum
FLVRHEMI? *quod vix immenſo pondere tardum*
Quattuor & centum poſſint traxiſſe jugales,
Vixque decem curvam Polyphemi inflectere burim:
Vt taceam innumeros quatientes flagra colonos,
Acria flagra, armi quibus inſtigantur equorum.
Collis erat medius, longos protractus in agros,
Quem reſupinatæ ſtipabant undique valles:
Alveus hac flectendus iter captabat iniquum
Præcoce conſilio, dederas quod IANE GEORGI,
Nate Palatino de ſanguine; nempe ut adirent
Stagna tua errantes æterno flumine lymphæ,
Piſcis & irriguâ gauderet fluminis undâ.
Hæc cœpti ratio, hæc ſeries: animusque ferebat
Non modò detortum lacubus committere Lautrum,
Verùm etiam e lacubus detortum emittere Lautrum.
Heu! quo non penitrat labor arduus! Ilicet amnis
Lauter inhorruerat, metuens convertere curſum
Per juga clivoſi montis, perque invia regna.
Tum ſic alloquitur, Nympharum adſtante coronâ,
Vicinam ſulcator humum. Quid fecimus eheu,
Indigena o Tellus, noſtri domus humida regni,
Sede quòd antiquâ ſpecubusque expellor avitis;
Quos tenui proprios, nullis inhibentibus, antè
Et poſt diluviem, curſu cum prona natarent
Flumina quæque ſuo, vallesque & prata rigarent?
Nunc ego naturam mutare, & ſcandere cogar
Ardua clivorum? Tu vulnere ſaucia duro,
Internosne ſinûs & viſcera nuda recludes,
Totus & abſorptus quo ſim, mihi tota dehiſces?

Dij melius, contra, quantum licet, obluctando
Obicibus ruptis adversa repagula frangam.
Dixerat, obtutuque iniquos gyrabat aquosos,
Nympharumque chorus lacrimis rorabat obortis.
Cui Tellus. Equidem doleo, tot inaniter istos
Moliri specus & fossas, pereunte laborum
Conatu, frustrâque omni sudante lacerto.
Ossa mea & lapides sollertier arantibus obstant,
Quo minus inceptos pergant deducere sulcos
Agricolæ, non hæc natum genus ad mea arandum
Ossa; neque, ut vellent, ossa hæc dissindere possent.
Sic ait; objectuque indurat saxea membra,
Excutiensque cavernosos humus ipsamet orsûs,
Vulneris impatiens seculæ adversatur acutæ,
Perfindique negat ferro. mora nulla: videres
Impetibus crebris, & equûm vehemente resultu
Lóraque fracta, rudesque & funes interruptos.
Tum demum cæpto desistitur. hinc vetus alveo
Digrat honos, fluviumque recens haud fossa fatigat;
Et mutum pisces genus intra viscera plaudunt,
Flumine sub patrio sibi propria regna tenentes,
Securi nassæ, securi retis alumni.
Frustratur spem sæpe labor. tamen ardua quisquis
Concipit, eluso non decipiendus honore est.

Digitized by Google

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI ELEGIARVM LIBER PRIMVS.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

SOBRIA Nympha ſacras primum me duxit ad un-
Quâ fluit uber aquis fons Heliconiadum: [das,
Vnde ſemel ductis qui tinxerit hauſtibus ora,
Non pote non teneræ carmen amare lyræ.
A puero talem biberam REGINA *liquorem,*
Tota madens Clariis guttura fluminibus:
Nec mora, jucundos ut cœpit fundere versûs
Impariter junctis vena ſonora modis,
Tantus amor tactum rapuit mihi pectus, ut æſtro
Concitus in Muſas, concitus in Charitas
Ferrer, & Aoniæ mihi præ dulcedine lymphæ
Nectareos ſuperûm deſpicerem latices.
Sive diem nitidum Solis quadriga coruſci,
Seu noctem pullis Luna reduxet equis;
Exſtimulans mihi corda adeo ſuccenſa cupído
Impulit ad Latio verba liganda pede,
Prorſus ut oblítus potûsque cibique viderer,
Immemor & ſomni ſæpe meique forem:
Dum totas vires, totasque intendere nervos
Imperor, hoc uno ſtrenuus in ſtudio.
Non ita, victricis meriturus præmia palmæ,

Cursor ad oppositam tendit anhelus equus
Pulveris Elei metam, sociosque jugales
Prærepto velox antevolat spatio:
Præcelerans quanto conamine ium meüs ardor
Scandere Pierij culmina sacra jugi,
Ante alios juvenum certamina lúdicra cursûs
Contendit rapidis passibus ire viam.
Quisquis enim viridem cupit obtinuisse coronam,
Non piger ad stadium, nec sit oportet iners.
Ac memini, quoties cæli revolubilis orbes,
Ortaque natali sidera clara meo
VOLFIVS *astrorum scrutator, & ipse* ROBELLVS
Excuterent justis per rata monstra notis;
Eventûs mihi felices prædicere utrumque,
Fatidicæ inspectis Sortis originibus.
Pegasus, aiebant, & Olor faustissima signa
Lucis ab Eoæ sic regione volant;
Consona diversis tibi sic Lyra Thracia chordis
In medio fulget France Melisse polo:
Vt similis cuicumque (fides certissima signis)
Aut par nascenti contigit harmonia,
Non queat ille idem non, Parca nisi invida frustret,
Esse Poëta bonus, Musicus esse bonus.
Fato nascuntur, non fiunt arte Poëtæ:
Ingenij tantum vis genuina potest!
Hæc illi. næ, si quidquam mihi credis ELISA,
Sentio divino numine pectus agi.
Ignibus æthereis moveor, præcordiaque ima
Inflammant vivæ Sole animante faces.
Enthea MELPOMENE, *mea si nascentis in ortu*
Contuita es placidis lumina luminibus;
Non me clarabit pugilem labor Istmius acrem,

Digitized by Google

Cæstu nec titulum laudis apiscar ovans,
Victorem quadrupes curru nec ducet Achæo,
Nec celebrem reddet gloria pancratio;
Nec, quasi magnanimos per bella ferocia reges
Contuderim, regum contuderimque minas,
Martia fama ducem Capitolia ad alta sequetur,
Ornatum meritas Delide fronde comas:
Pura sed Alphipolim quæ Strœonis alluit unda,
Undaque de patrius prosiliens scatebris;
Tum nemora & saltûs, herbisque fragrantibus horti
Non uno fingent carmine conspicuum.
ROMA *potens orbis dignatur, ut arbitra, vatum*
Inter Apollineos me numerare choros;
Ipsaque dat plausum mihi docta LVTETIA *talem,*
Vt jam dente minus mordear Invidiæ.
O varium aureolæ strepitum testudinis æquâ
Temperie dulcis quæ moderâre Dea;
O, si collibeat, mutis quoque piscibus ultro
Donatura cycni Dauliadisve sonum:
Muneris hocce tui totum est. Quòd inaudio passim
Romana fidicen Teutonicaque lyra,
Quòd digito monstror per vicos urbis euntum,
Quod spiro & placeo, si placeo; omne tuum est.

AD REGIVM MONTEM FRANCIÆ.

INCLITE *Francorum veteri Mons nomine regum,*
Ardua qui celsum tollis in astra caput,
Desuper & Bacchi silvas & flumina Mæni
Libera navigeris prospicis altus aquis:
Mille mihi vicibus salve. non his pudet ortos
Pampineis avos collibus esse meos.

Digitized by Google

Gestio lætitiâ, simul & (quem numina servent)
Si licet, ob talem glorior ipse locum:
Glorior; HASPERGÆ sed cedat gloria genti,
Hospita quæ Musis profuit æqua meis.
Têne ego sic potero carâ cum conjuge solum
CRISTOPHORE haud madidis linquere luminibus?
Têne ego formosasque tuas HIERONYME natas
Deserere accincto, numina nostra, pede?
Separor a vobis, o non ignobile fratrum
Par, nimis invitus separor, aque domo.
O nemora & colles, Faunis pergrata voluptas!
O juga silvicolis lectus Hamadryasin!
Vestra urbs tota fragrat redolentis flore Lyæi,
Purpureis nitidi veris amœna bonis.
Tale meæ Zephyri precor adspirate ROSINÆ
Flamen, odoriferis gratius Assyriis;
Mellificas ubi curat apes, apiumque quasillos:
Integrat harmonicum dum Philomela melos;
Delicium Philomela meüm, suavisque voluptas:
Dulcius hac aviüm guttura nulla sonant.
Fallimur? an sicut regalia vina, palata
Judice, Rhenano sunt potiora mero,
Baccharicam Bromio quod prælibatur ad aram;
(Absit, ut huic, aliis par, decus esse negem:)
Sic quoque naturæ tractûs hujusce patentis
Nobilius, superûm munere, numen inest?
Indicio es, referens Hyacinthum flore comanti,
Quæ nihil heic Scythicum, dia Glycéa, sapis,
Lentisco folium simile; vescæque rubenteis
Hinc siliquas instar lentis & inde geris;
In quibus inclusus pilularum more modoque,
Quas platani generant, fructus apricus hiat.

Digitized by Google

Indigena o ſalve radix, dulciſſima radix;
Cantica tu ſuccis imbue noſtra tuis.
Hoc quoque ſub cælo, qui Regia nomina geſtat,
Inſignem felix protulit ora virum.
Ætheris ille orbes, motuque orientia certo
Diſtinxit fixis ſidera temporibus;
Addidit & leges primamque ab origine cauſam,
Singula discernens ordine rite ſuo.
Nota Mathematicis, induſtrius arte magiſtrâ
Quæ monumenta alti liquerit ingenij:
Teneque Roma latent. diri ſed larga veneni
Haud poterat doctum Fraus tolerare caput:
Quod Nepa ſe ſupra circli in regione locatum
Teſtatur partem ſideris eſſe ſui.
Vive anima irradians; vive, & populariſ amorem
Ignibus ardentem ſæpius ure tuis:
Virus item vati defende, Latina petenti
Arva, ſacros Tiberis quâ lavit unda pedes.
Annue, ſi fas eſt. namque & tibi Cynthia paret,
Nec ſine te celeres Solis aguntur equi.
At tibi Mons, in quo per cornea ſomnia viſa eſt
Virgo futura meis præda Cupidinibus;
In quo fatidicis oracula digna Sibyllis
Sunt mihi non vanâ certa relata fide:
Quid tibi nunc abiens precer, optime? Plurima cultis
Vitea perpetuo germinet uva jugis.
Veſtiat arva Ceres. hortos Pomona venuſtet,
Prata Pales. udam ros riget uber humum.
Ne rapidos nimium Titan ſuperingerat æſtûs,
Neu noceant hiemis frigora, neve nives.
Tum loca pax vicina, tuam pax incolat urbem;
Civibus & dominum ſit metuiſſe Deüm:

Digitized by Google

Mœnibus inque tuis tranquilla per otia vitæ
Floreat HASPERGÆ *clara propago domûs.*
Ac quod præcipuum est; opto, tibi pura sereni
Vox Euangelij semper in aure sonet.

AD ANDREAM MERGILETVM ALPHIPOLITANVM.

En EGO *per varij discrimina plena laboris,*
Quæ sine fine meos multa premunt humeros,
Marchica post bella, atque crematos igne Penates,
Atque alia innumeris damna sequuta malis:
Vt sacra Pegasidum Clariosque revisere saltûs,
Et possem studiis invigilare bonis,
Austriacæ petij regalia tecta Viennæ,
Quam tumidus rapidis verberat Ister aquis.
Posthabito patrij tu Stræonis amne, Salanæ
Tyrigetûm sequeris non sine laude Deas;
STIGELIVMque *audis animosâ voce docentem,*
Et si quos alios docta Minerva probat.
An memor es nostri, fidoque in pectore servas
Theseam, nostrum quâ stet uterque, fidem?
An tibi succurrit coamicus XELLA *Camenis,*
Et non facati pectoris EXTROPHIVS;
Extrophius TENNERque, *tibi notissima corda,*
Quos Charites donis expoliere suis?
Quàm cuperem, mecum nunc his in finibus esses,
MERGILLETE *anima viva medulla mea!*
Solus hic anxiferis consumor pectora curis,
Arrodensque exest ægror anhelum animum.
Heu sursum deorsumque vago jactatus ab æstu
Fluctuo, ceu moto quassa carina mari.

Digitized by Google

Portus abeſt, ad quem ſperatam adpellere navem
Omnibus lætis advena mente tuli.
Parte alâ Scythico miſeri infeſtamur ab hoſte,
Dira per Hungaricas bella movente plagas.
Marte furit, fremituque ruens in prælia fertur,
Omnia devaſtans more ferocis apri.
It comes ipſe Satan, atroxque Megæra, phalanxque
Ditis, & inferno Lerna refuſa chao.
Juxta opicum maleſuada Fames deperdita ventrem,
Immittens avidam gentibus eſuriem.
Parte aliâ Peſtis graſſatur lurida, & atro
Cocyti mergit corpora mille lacu.
Horrida Mors, dentes heu ſesquipedalibus uncos
Oſſibus exacuens, obvia quæque vorat.
Grallatoris edax fera paſſibus uſa, prehenſis
Falce nocens miſeris colla reciſa metit.
Tutus agit nemo. pereunt & virgo puerque,
Et validi juvenes, invalidique ſenes.
Ah tibi quid prodeſt, quòd Mors ingloria cunctos
Sternis, & edomitis injicis atra manûs?
Hæc tibi non aliquam pariet victoria laudem;
Nec, licet infligas vulnera, palma tua eſt.
Peſtis abi, Scythicosque tuum diffunde per agros
Virus, & in nocuos ſparge venena Getas.
Vt graſſare, gelu ter conſtitit Iſter acuto,
Concrevit gelidis terque Vienna vadis.
Parce Deus miſeris, miſeris Deus optime parce;
Nec precibus querulis pondus ineſſe veta.
Cur adeo ſævis? juſtum compeſce furorem.
Adſpicis, ut ſupplex obſecret ara Deum?
Ara piorum hominum prece fumida, fumida voto
Cæſaris, atque meis fumida ſuppliciis.

Digitized by Google

O averte luem factus pacatior atram,
Spiret ab ætherius aura serena plagis.
Sit mihi vita precor, te concedente, superstes;
Atropos & fusis stamina longa neat.
Ipse memor grato celebrans tua pectore dona,
Perpetuus vitæ debitor huius ero:
Teque jubente gravi curâque metuque solutus
Cantabo laudes tempus in omne tuas.
Dulce mori patriis in finibus. euge paterno-
Mortua contectus cæspite membra cubem.
Sed quodcumque tibi placet, o Deus arbiter, esto:
Vnica jactato meta salutis eris.
Sponte mori statui, quando me cumque vocabis;
Ne tamen ah subitâ, flagito, morte necer:
Me prius invisant & consolentur amici,
Quos mihi concordi junxit amore fides:
Tester & incolumi prius ore novissima verba,
Nec sileat dubio lingua retenta metu;
Vividus in liquidas abeat quàm spiritus auras,
Immineantve ori fata suprema meo.
Summa sit hæc. Paucos tibi MERGILLEIE *relinquam*
A me compositos, pignera nostra, libros;
Pauculà item non aversis mihi cantica Musis
Suaviter harmonicis commodulata sonis.
Lugeat ALPHIPOLIS; *natum mærento parentes:*
Defleat & vatem FRANCIA *mæsta suum.*
Consortes patriæ studyque valetæ poëtæ:
Tu soror, & frater, tuque ROSINA *vale.*
Et tu mi cognate meos salvere jubeto
Manes, curandis sedulus exsequiis.
Tum mihi Thespiades funebria carmina ponant
In tumuli levibus marmore cæsa notis.

Digitized by Google

HEIC SITVS EST MELICVS, VIRIDI SVBLATVS IN ÆVO;
CVI COGNOMENTVM DVLCE MELISSA DEDIT.

IN POTATORES ET EBRIOSOS.

QVID *mihi vobiscũ est informia monstra Cyclópes?*
Quid mihi vobiscum est ebria turba Pholi?
Hostis sum, cuicumque madent labra putida vino,
Tentantique alios deposuisse mero:
Hostis & emoriar. Sit turpiter ebrius aut rex
Aut Cæsar: nec rex, nec mihi Cæsar erit.
Titan vos madidos, madidos vos Delia cernit:
In vestram requiem nulla lucerna vacat.
Maxima cura avidis totas consumere noctes
Potando, & totos continuare dies.
Durat in intégros hæc pergræcatio menses,
Nec finem exacto mense culullus habet.
Sunt, quibus in toto semel haud illuxerit anno
Aureolâ radians sobria Diva comâ:
Diva, novo quâ mane rubent laquearia cæli,
Quæ roseum Phœbo prævia monstrat iter.
Jam pudet effrontem toties audire tabernam
Quos puduit numquam vos ululare sonos.
Ite Lares, sedesque Larum, mox ite sub hastam:
I domus heredi perquàm onerosa tuo.
Ite lacessitæ præconis gutture silvæ,
Et fundi, & patrio prædia culta solo.
Ingluviem ventrisque cavum repleamus oportet:
Non facit ad vacuum rivus aqualiculum.

Digitized by Google

Quid prosit vineta rudi versare bidente?
Quidve pigros validis findere bobus agros?
Quid juvet in seros tot opes transferre nepotes?
Scilicet ipsimet remque domumque parent:
Nil sub humum nec nos genus heu mortale, nec ipsi
Post æquâ fati conditione ferent.
Divitiæ nobis fuerint Craßive Midæve,
Incola quasque novi colligit orbis opes,
Milleque penduntur quæ vectigalia Rheno,
Et Venetûm censûs Fug geridûmque bona;
Denique fortunæ, quas poßidet Heßeriæ rex,
Accedant noßris innumeræ cumulis:
Quanta ea cumque, bonis ea gaza gregalibus eßo;
Regnum Bacchus in hanc imperiumque gerat:
Jucundum eßt bibulis impéndere fratribus horas,
Tædiaque inviſa fallere lenta morâ.
Vivite lurcones. potior quàm templa popina eßt.
Heic chorus innumeros ſcit fabricare Deos.
Stat pro ſug geßu par turba ſevera Catonum,
Cenſuram in mores impietatis agens,
Seu grave Pontificum, levius ſeu dogma Lutheri,
Seu Calvine tuos rite ſequuta libros.
Multa quidem narrant verbis ferientibus aures,
Cláraque juſſa Dei voce minante ſonant,
Non Genio, non eſſe mero nimis indulgendum:
Jus & idem latâ lege Lycurgus habet.;
Mos alius nobis, alia eßt indictio legum,
Quos ßatuit potis Bacchica relligio.
Qui ſumus adſueti multumque diuque bibendi,
Neſcimus longam pertolerare ſitim.
Difficile eßt fraudare gulam Geniumve rebellem:
Nec facile eßt labris dura lupata pati.

Etquis

Ecquis enim loro vetulum adſtrinxiſſe laboret,
Ire viâ ſolitum liberiore, canem?
Sint aliis aliæ vitiis provinciæ onuſtæ,
Et ſcelere ſcateant criminibusque ſuis:
Plena ſit hæc regio meretricibus, illa cinædis:
Gaudeat hæc furtis, iſta latrociniis.
Pars violare fidem, pars rumpere fœdera tentet;
In magnos jaciat pars probra magna Deos:
Degenerare atavis nunquam potoribus auſit,
Quisquis conſtanter vult bonus eſſe nepos:
Nec ritum antiquet Alemana, nec abroget hauſtûs;
Sed teneat morem natio ſueta ſuum.
Quottidie plenas hæc cantio verberat aures,
Latrantum inſanis diſſona murmuribus.
Macte age magnanimo grex pectore, & arte bibendi!
Macte age grex amplis macte capedinibus!
Hectoris auditis ſuboles, & fortis Achillei:
In veſtris Aiax vivit uterque cadis.
Vivit Alexander Macedo; nec Curtius acer
Mortuus, aut Pœni ſpiritus Hannibalis.
Vos penes eſt unos, ne quid res-publica damni
Accipiat, proprius deſtituenda bonis.
Heu cæcos animi, nimiumque in fata ruendo
Præcipites, omnis fax & origo mali!
Siccine vos ipſi pravis ductoribus uſos
Funditus Orcinum mergitis in barathrum?
At ruite, & vosmet rebus peſſumdate lapſis:
Perdito in orbe Salus non habet ulla locum:
Invitos qui ſervat, idem facit ille necanti.
Commodius cuique eſt ſponte perire ſuâ.

Digitized by Google

AD TVMVLVM
MAGDALENÆ STELBAGIÆ, VXORIS GEORGII ZEHENDERI.

Prosopopœia defunctæ.

SI quis ad hæc venies pede non properante viator
Lugubribus visum marmora picta notis,
Lustratumque oculis SVNTHÆMIA *templa serenis,*
Nobile Francorum gentis equestris opus;
Gentis opus tectis sublimibus HVTTENORVM,
Templa sepulturæ rite dicata suæ:
VERRA *paludoso quâ flumine, subter Iäcchi*
Collibus apricis, herbida prata secat,
Exiguæ muros & præterlabitur urbis,
Æsalo cum saxis cui tribuére notam:
Heróas tumulis ubi fixus & heroinas
Legeris, hæc de me paucula fante legas.
Sic tibi, quæ vitæ dispensant fata, sorores
Deducant plenâ stamina longa colu;
Sic & honorato post ultima justa sepulcro
Mysticus invergat annua vina calix.
Heic ego quæ Nymphe, nuper vitalibus auris
Cassa, sub herbosi cõlle quiesco soli;
MAGDALENA, *viri decus immortale, Georgi*
ZENDERI *quondam casta marita fui.*
Dicere si generis fas incunabula aviti,
Naturæ dotes sique referre licet;
Certe equidem non est obscurum stemma parentum.
Splendida me genuit STELBAGIANA *domus,*
Quâ fluit arctatas per valles TVBAR *amœnus,*
Rásaque ab illisu saxa fragosa sonant.

Digitized by Google

Heic ubi turrito ROTEBVRGIA *mœnia ſurgunt*
Culmine, vitiferis undique cincta jugis:
Mœnia, quæ ſimilem (ſi vero credere dignum eſt)
Ad Solymæ perhibent ædificata modum.
Proſpera natali fulgebant ſidera noſtro:
Æthra bonis Genium vultibus intuita eſt.
Cultius ingenium dederat mihi Pleiade natus,
Miteque cor Phœbe, lumina blanda Venus.
Præterea mores aderant ſine labe modeſti,
Júnctaque cum caſtâ forma pudicitiâ.
Imbiberam teuero myſteria ſacra ſub ævo,
Quâ Deus exigeret mente fidêque coli.
Venerat ut tempus, plenis jam nubilis annis
Quo fueram vinclo ſponſa liganda tori,
Poſtquam legitimos pacti fueramus amores,
Sánctaque connubio junxerat arrha duos;
Libabas noſtræ tu virginitatis honorem,
A Decimis nomen qui vir amate trahis.
Quàm tibi nupta diu, regeret dum ſpiritus artûs,
(Nempe duos annos & tria luſtra) fui;
Non ſecus ac caſtus ſociâ cum compare turtur
Concordes ævi tempora amica terunt,
Viximus unanimes; petulantis amáraque linguæ
Prælia cum rixis non habuere locum.
Vt tecum placidê conſumpſi tempora vitæ!
Vt fuit amborum fertile conjugium!
Vt te fecundâ dotavi prole parentem!
O ſuperet Pylios noſtra propago dies:
Præcipuê tu nate, patris veſtigia eodem
Nomine qui debes intemerata ſequi,
Et ROSENECCEÆ *patrui memorabile famæ*
Virtutisque amplæ tollere ad aſtra decus.

Quid verò laudem te, mi cariſsime conjux?
Te tua commendant ſatque ſuperque bona.
Te quævis ætas, te dives Crœſus, egensque
Irus ob hæc effert laudibus eximiis.
Tu defendiſti patriam a furialibus armis,
Marchio cum Francas depopularet opes.
Te viguit prætore manens urbecula felix;
Jure bono ſemper, legibus uſa bonis.
Clauditur anguſti quæ quanquam ambagine muri,
Montis ad acclivum pendula fixa latus,
Me tamen ætatis ſpatium decurrere juvit
Heic ubi adhuc degens arva marite colis:
Arva paterna colis, nulli probitate ſecundus,
Harmonicæque foves Muſica plectra lyræ;
Quæ tibi nunc haud dulce ſonant, ſed triſte: dolorque
Supremas peragit funeris exſequias.
At ne te lateat, quo menſe diêque vel anno
Mortua ſim, paucis iſta viator habe.
Virginis a nixu ter quinque volubilis ævi
Sæcula tranſierant, ſummaque dimidij.
In curſu bis ſenus erat funeſtior annus,
Progrediens Jani triſtibus auſpiciis.
Et jam ſquamigeros per ſigna noviſsima Piſces
Feſſus anhelantes Phœbus agebat equos.
Februa ferales lux quippe reduxerat eidus,
Rupit ut ætatis ſtamina Parca meæ.
Ante ſed aërias quàm ſpiritus iret in auras,
A partu quinctæ nox ſtetit hebdomadis.
Omnibus in rebus, dum vivere fata ſinebant,
Conſtitui finem principiumque Deum.
Is mihi theſaurus, vitæ ſcopus, atque beata
Certa mihi ſemper metæ ſalutis erat.

Hunc ſolum firmo mea mens dilexit amore,
Spes & in hoc nunquam non rata vota tulit.
Ac licet illa dies, quæ nil niſi corporis huius
Jus habuit, vitam clauſerit atra meam;
Ipſe animus tamen ætheriâ viviſcit in arce,
Et meliore ſui parte ſuperſtes agit.
Ergo fac luctu nimis indulgere remittas,
Manantesque genis o cohibe lacrimas.
Jamque marite vale, nati nataque valete;
Tuque propinqua mihi ſanguine turba vale.
Vos etiam Nymphæ, riguas quæ fluminis undas
Accolitis, memores usque valete mei:
Donec tam vivos, quàm functos munere lucis,
Ductilis excierit vox inopina tubæ.
Interea tenero obducat ver cæſpite terram,
Ipſaque flexipedes terra ferat hederas.
Hic tumulus violis & purpureo Hyacintho
Floreat, & caltha, puniceisque roſis.
Heliochryſe novos & tu Libanotis odores
Sparge, novas & olens Narde reſume comas.
Tuque meos recrea genialis Amárace Manes,
Et qui de Maio floſcule nomen habes.
Quique ſoles carptus vivax Amarante renaſci,
O mihi perpetuum flore comante vige.
Creſcite vos herbæ per amæna vireta ſalubres;
Vnde nepos umbræ mollia ſerta ferat.
Tuque adeó, qui verna petes viridaria luſtrans,
Carpe quid, & ſano corpore ſoſpes abi.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

NOCTE ſuper medi[illegible] rutili ſtellantia cæli

Templa per innumeros effigiata sacros,
Dum lustrans miror, diversaque monstra per ortûs
Occasûsque suos orbe rotata novo:
Corpore in ætherium videor quasi raptus Olympum,
Divinâque ipsum tangere mente Deum,
Auctorem mundi, gyro revolubilis aurei,
Dante ratas annis per statа signa vices.
Dumque ita sub variis contemplor, ELISA, figuris
Obvia distinctis sidera cardinibus;
Me juvat in primis postrûs cognoscere fixos,
Natalisque horæ momina cum radiis;
Tunc ubi me patrij vitreas ad Stræonis undas
In lucem genitrix ederet OTILIA.
Qualiter exortu Pisces humentia signa,
Tuque salutari vertice prone Draco;
Bellerophontéi tum præpetis ungula juxta
Luxerit, & vivei lactea pluma Cygni.
Per mediam Chiron equitarit ut altior arcem,
Austrinam decorat quâ diadema plagam:
Vtque apto Lyra posta loco mihi consona vatis
Ismarij dulces annuerit modulos.
Sol & amicorum scrutor quid possit in æde,
Cum Venere & tosti lampade Mercurij:
Dein subiens Taurum Phœbe statione secundâ,
Quale mihi domet prospera conjugium:
Saturnusque tenens Lancem, Erigonenque Gradivus,
Quâ vi septena obstet uterque domo.
Juppiter & sextâ regione retrogradus abdat
Cur lentas, Cancro vectus, honoris opes.
Tum quantum valeat scapula Orionis, in imâ
Parte latebrosi Forsque locata poli.
Hæc contemplanti, stellasque errante tuenti

Digitized by Google

Lumine, picturas mille docente globo;
Se mihi nunc offert Astræa, Jovis decus, almâ
Spicum illustre gerens virgo pudica manu.
Proxima dependet æquali pondere Libra,
In quâ sunt Fati condita sensa mei.
Nunc & Cassiopæ sellâ residentis eburnâ,
Cuius in articulis palmea virga viret,
Conspicitur facies. Vtri te cumque Dearum
Adsimilem, uramvis DIVA *Britanna refers;*
Vt plane credam geminis virtutibus astri
Constatam esse tuam per superos animam.
Indeque in has terras superûm te numine lapsam
Jura verenda solo ponere, jura mari.
Sic ego dum spectris nocturnus inhæreo miris,
Et stupeo liquidis mentis imaginibus,
Teque reor Regina (quando tardissima faxis)
Has gavisuram rursus adire plagas:
VRANIE *nuper visa apparere, coronam*
Purpureo gestans vertice Mænaliam.
Fallor, an in dextra sphæram, lævâque dioptram
Cum circlis, habitu non inhonora, tulit?
Ætheris o studiose puer, qui pérvigil, inquit,
Rimaris veteris mysteca fata poli;
Pauca tibi narrabo lubens arcana Tonantis:
Tu memores imâ mente repone sonos.
Andromedæne vides matrem, solitumque refulgens?
Exoriturum aio sidus in hocce novum.
Sidus in hocce novum exortum mirabere quondam:
Clarius igne Jovis, clarius & Veneris.
Non non (crede mihi) nisi sola decennia restant,
Prodet ubi certam res manifesta fidem.
Hæc tibi venturum portendet, grandibus ausis

Digitized by Google

Præstantem & meritis, stella coruſca ducem;
Qui referens patrem Salomonis, & incita facta
Iſraelitarum vindicis Ezechiæ,
Divinum Templo restauratus in integra cultum,
Júraque cum pactis publica restituet.
Culmen ad Imperij, devictis hostibus, altum
Evectus, populis otia grata dabit,
Vnigenæque Deo sanctum stabilibit honorem,
Notus ad Euxinum, notus ad Oceanum.
Candida Pax iterum tunc arva reviſet & urbes:
Pax oleâ nitida cincta virente coma.
Alma Fides priſci peleget vestigia callis;
Nunquam diruptis pallida fœderibus.
Aurea Libertas aderit, dulciſsima rerum,
Læta gerens turpi colla ſoluta jugo;
Quin etiam Eunomiam rectique bonique tenacem
Adſore quis dubitet, fatidicamque Themin?
Ante omnes Pietas, caſto ſpectabilis ore,
Præcipuum in templis quæret habere locum.
Hic ille eſt Heros, quo ſæcula rege redibunt
Aurea, cælicolæ dignus amore Dei.
Hic ille eſt, mágnis metus & formido tyrannis;
Quem colet Eous, quem colet Heſperius.
Hic ille eſt, cujus diuturnâ in pace nepotes
Gaudebunt longam condere chiliada.
Non illo melior quisquam: non, ſi quis ad illum
Contulerit veteres, contuleritque novos,
Maximitate ſatis regali quos prior ætas
Aut tulit, aut præsens fert, veniensve feret.
Plurima legatos ad illum natio mittet,
Suppliciterque illum non ſua quæret humus;
Roſtrataque aquilæ formidandique leones

Digitized by Google

Illius imperio fronte ſubeſſe volent.
Cetera te rerum conſulta docebit ad unguem
Atteſtatricæ pagina Deiphobes.
Sic ait, & ſpeculum pellucidulâ cryſtallo
Protulit e niveo Muſa polita ſinu;
In quo, ceu vivus expreſſam vultibus, ipſam
Principis GNOTI *vidimus effigiem.*
Vidimus & cultos, habiles belloque lacertos,
Fúltaque cælesti robore corda viri.
Illius in nitidâ fulgebat caſſida fronte,
Præradians ſtellæ lumine conſpicuæ.
Æneus armabat firmê præcordia thorax,
Mucro latus, humerum baltens, haſta manum.
His viſis, mihi rore levi Dea tinxit ocellos,
Quem de lacteolæ ſumpſerat amne viæ.
Nulla mora eſt. nitidantis agens in lumina Morpheus
Somniferis graviter vincta papaveribus,
Induxit placidum per languida membra ſoporem,
Dum roſea aurorum duceret Aura diem.

DE ADVENTV MAXIMILIANI SECVNDI, ROM. REGIS.

Esse quid hoc dicam, quòd tantus in urbe rotarum
Stridor? quòd tantus clamor & aſtra ferit?
Ænea per cunctas paſſim tormenta platéas
Innumeris tento fune trahuntur equis.
Strata gemunt vaſto ſub pondere dura viarum,
Fiſſaque canthorum robore terra tremit.
Inſuper & crebro repetitis pulſibus ictu
Bombiferos reddunt tympana rauca ſonos.

Digitized by Google

Accingunt ſeſe pueri juvenesque ſenesque,
Et capiunt agili quilibet arma manu;
Jam quaſi, ferventis moto certamine pugnæ,
Sint aggreſſuri funebre Martis opus.
Hoſtis an externus rabido correptus ab œſtro
Sanguineas ardet conſeruiſſe manus?
Anne truces iterum (verbis tamen omen abeſto)
Infeſtare parant mœnia noſtra Getæ?
Ardua murorum cur propugnacula ſervat
Ignivomos jaciens machina multa globos?
Sic ego, ſic Rumor: Non ſunt hæc omina belli,
Non ſunt hæc cladis triſtia ſigna; refert.
Optimus Auſtriacas MAXÆMYLIANVS *iu oræ*
Sidere lætifico jam rediturus adeſt;
Hungara quem regio diademate tempora cinctum,
Quem dominum & patrem terra Bohema vocat:
Quique coronatus Rex eſt, Cæſarque futurus
Romani Imperij ſceptra gerenda reget.
Atque ideo tanto fremitu, tantisque laborum
Molibus aſſiduè pérſtrepit omne latus.
Anne triumphales ex ordine ſurgere portas
Picturis variis carminibusque vides,
Molitrix rerum quas clara Vienna novarum
Conſtituit nato mater amica ſuo?
Anne decorandas abiegnâ frunde platéas
Cernis, ovante ſolum quâ teret altus equo?
Omnia florebunt, ramóſaque brachia vicis
Inducent umbras Sole micante novas.
Hoc aliquis rerum mirabitur inſcius harum,
Longinqui veniens ab regione ſoli.
Heſperidum veſtram nemus immigravit in urbem,
Inquiet, & proprio deſiit eſſe loco.

Digitized by Google

Ibit in occurſum pubes fulgentibus armis,
Exceptura ſui pectora fida Ducis.
Stabit in excelſo Stephanæa culmine turris
Signifer, ætheriæ dans vaga membra viæ.
Inde Jovis præpes, delapſa per aëra apertum,
Ter venerabundo plauſerit ore Duci.
Illico de validis tormenta fragoſa tonabunt
Mœnibus, accenſos igne vomente globos.
Tum vero pueris arx expugnabitur ingens,
Bellica virtutem queis ſimulacra cient.
Singula quæ fient in tanti Regis honorem,
Quo nil ſplendidius maximus orbis habet.
Tantus hic in terris, alto Sol quantus Olympo:
Subditus huic ultro veſper & ortus erit.
Hactenus. Ergo diem cives orate ſerenum,
Vt triſti cedant turbida flabra polo:
Vtque, nigras removens ſuppreſſo turbine nubes,
Abſtineat pluvias humidus Auſter aquas.
Æole ventorum tempeſtatumque furentum
Rex, gelido Cæcl vertice tolle caput:
Tolle caput, cohibeque vagos in carcere flatûs.
Vt ſileant Iſtri murmura rauca, jube.
Tuque adeo Titan, cæli nitidiſſima lampas,
Abſcondi radios ne patiare tuos:
Sed jubar auricomum ſollemnibus exſere pompis,
Auſtriacæ præbens lumina clara plagæ.
Sic facile ÆMYLIO, *quo non moderatior alter,*
Decurrens placido flumine puppis erit:
Sic ſuboles generoſa ſimul, ſic Regia conjux
Tranquillo poterit leniter amne vehi.
Tu quoque picta ratis, quâ præſtantiſſima findunt
Corpora Danubij mite fluentis aquas;

Digitized by Google

Labere felici curſu fluvioque ſecundo,
Donec in optato ſtes religata ſinu.
Sic dures ſemper, vitianda teredine nullâ:
Nulla tibi caries, núllaque noxit hiems.
Quid moror? argutum jam dat tuba bellica ſignum,
Quâ vinis onerat Boïa turba rates.
En venit. appárent Aquilæ. tricoloribus Iſtro
Vexillis almus multa videnda natat.
Grandia proh quanto ſtrepitu crepitacula, crebris
Inque vicem numeris congeminata, boant!
Fit fragor, ac denſus caligine fumus opacâ
Sulfureo clarum fuſcat odore polum:
Non ſecus, ut ſubito lapſu prærupta per altos
Turmatim ſcopulos horrida ſaxa ruunt,
Seque recollidunt ingenti impulſa ruinâ;
Pulvere mixta rudi rudera ſe glomerant.
Argus Ariſtorides ultimam (nunc dixerit unus)
Qui decies habuit lumina dena, forem;
Viſibus obſervans luſtrator ſingula certis
Dividerem in plures lumina plura locos.
Quale catum Regimen, priſcâ redeuntis ab urbe
Francidos, excipiat Príncipis ora ſui;
Quomodo vel prudens celebri cum plebe Senatus
Perſolvat meritæ debita jura fide.
Tum quibus hi votis flectant, Regemque ſalutent,
Et pátriæ curam gentis habere petant.
Præterea Pietas, oculos demiſſa pudentes,
Quos ſupplex querulo funditet ore ſonos:
Non minus ipſa etiam quid Dædala, poplite flexo
Illius ante pedes lapſa, Minerva roget;
Quas &, quæ gladium dextrâ, lancemque ſiniſtrâ
Suſtinet, adjiciat juſta Virago preces.

Digitized by Google

O Fernandiade, magni patris inclita proles,
Note ſub Eois Heſperiiſque plagis;
Ingredere, & felix velut ante, dehinc quoque magnas
Res gere divinis fortiter auſpiciis.
Plaudite Pegaſides, & gaudia promite vultu:
Cæſaris in laudes plectra canora ſonent.
Vênit ió, vênit Romani nominis heres:
Famque ſacri templi fulgida tecta ſubit.
O fortunatam nimis hoc te Rege Viennam!
Auſtria dic grates officioſa Deo.
Nam patris & patrui proavique atavique ſecures
Anteit, cura bonis maxima cælitibus.
Plaudite Pegaſides, & gaudia promite vultu:
Cæſaris in laudes plectra canora ſonent.
Mala quòd abietibus dependent aurea criſpis,
Conigeræ pinûs quòd rubra poma ferunt;
Quòd liquidum ſtillat de Chaonis arbore nectar,
Duraque præſudat dulcia mella larix;
Quodque meri latices albique rubrique fluentes
Fontibus irriguæ cernimus inſtar aquæ:
Principis adventus noſtri facit. ille Camenis
Dona dat, & doctis præmia digna viris.
Plaudite Pegaſides, & gaudia promite vultu:
Cæſaris in laudes plectra canora ſonent.

VIENNA AVSTRIÆ MAXIMILIANO SECVNDO, ROM. REGI.

OPTAT ut abſentis peregre blandiſſima nati
Lumina luminibus cernere fida parens;
Pectore quem toto flagrans ſuſpirat in unum,

Digitized by Google

Adſiduê pro quo vota precesque facit,
Dilecto capiti ne ſors quid acerba ſubornet;
Neve is ab adverſis triſtia damna ferat;
Dulcia ſed, trifidi peragratis finibus orbis;
Nativi redeat ſoſpes ad arva ſoli.
Non ſecus ipſa tuos exſpectans anxia vultûs,
Quottidie pro te vota VIENNA *dedi;*
Sæpius & genitrix tua ſuſpiratibus hauſtis
Sum deſiderio languida facta tui.
O quoties cives, tibi proſpera cuncta precati,
Turea ſacratis grana tulere focis!
En es Mænicolâ modo ſalvus ab urbe reverſus,
Quæ de Francorum nomen adepta vado eſt,
Deſignandus eras ubi Cæſar: teque creato
Rege, ſacrum vinxit digna corona caput.
Auſtriaci ſalve laus inclita ſanguinis, heros
MAXIME, *de proavi nomine dicte tui:*
Salve, meque tuo dignare favore, tibîque
Commendatam urbem nóſtraque ſemper habe.
Plaudite vicinæ, mea gaudia, plaudite ſilvæ,
Lætantesque novâ tollite fronde comas.
Vos nemora & tempe, montesque nigrantibus apti
Arboribus, plauſu ludicra ſigna date.
Vosque racemifero veſtiti palmite colles
Exſultate: choros tu quoque Liber age.
Acclament valles, reſonansque admurmuret Echo:
Blanda repercuſſis conſtrepat aura ſonis.
Voce reſultanti circumfluus intonet aër,
Annuat & Regi lætus uterque polus.
Nectareâ liquidi ſcateant melligine fontes,
Amnis & ambroſiis currat amœnus aquis:
Omnia lætentur, rerum Natura creatrix

Digitized by Google

Quæ movet, & vegetus quæ vigor intus alit.
Fallor, an ulvosum gelidis caput extulit undis
Ister, Nympharum Naïadumque pater?
Extulit ille caput, reverenter amica ferenti
Principis excipiens ritibus ora novis.
Plausibus excipimus reducem concorditer æquis,
Cui plaga non Regem protulit ulla parem.
Ergo tui fasces divinæ robore dextræ
Sint fulti, nullis subjaceantque malis:
Atque tui placidâ degant in pace nepotes,
Quos tulit aut posthac AVSTRIA *clara feret:*
Præcipuê in patriâ crescat virtute RVDOLPHVS,
Qui post te quondam sceptra Alemanna geret.
Vive diu Pylios MAXÆMYLIANE *per annos:*
Vt maneam florens Vrbs tua, vive diu.

AD GASPAREM CROPACIVM PELSINENSEM, P. L.

Qvalia discessu mæstæ suspiria matri
Natus, aperta sequens unicus arma, movet;
Tales ipse meæ gemitûs cura unica menti,
Digressu secum corda trahente, creat.
Vtque gemit mærens, abitumque ardentior Ætnâ
Deflet amatoris casta puella sui:
Haud mea Musa aliter te longum abeunte, sodalis,
Pectore tristitiam congeminante, dolet;
Singultuque jecur trepido perculsa, futurum
Anxia conqueritur te sine dulce nihil.
Dulce nihil sine te queritur fore Delia turba,
Pars conjurati prima sodalitij.
Ergo relicturus veteres procul ibis amicos,

Hinc ubi ſublimi turre Vienna ſita eſt ?
Protinus & patriæ dulces remeabis in oras,
Quâ valles riguis Miſa pererrat aquis ?
Te ſine languentes hederæ ſine honore jacebunt ;
Frondibus amiſſis arida laurus erit.
Te ſine pallebit, violátaque frigore myrtus
Cóncidet, ardoris conſcia ſolá mei.
Dum longinquus abis, abiere jocique ſalesque,
Menſa quibus concors ſæpe refecta fuit.
Dumque aberis trifido longê ſubmotus ab Iſtro,
Altrici locuples incola factus humo ;
Resque tuis ſuffulta (vocat te curia patrum)
Vtilibus ſtabit publica conſiliis ;
Inter honoratos & te numerabit alumnos,
Quos tulit inſignes Pélſina, quosque feret :
Nos deſiderium, tibi fido pectore junctos,
Torſerit adſpectûs nocte dieque tui.
O quoties ſuavis conſortia mutua vitæ
In mentem venient inſatiata mihi !
Nimirum teneris conſortia cæpta ſub annis,
Mœnia quâ rapidus Molda Cycnéa lavit.
O quoties, cari quando reminiſcar amici,
Cur modò CROPACIVS, *dixero, noſter abeſt ?*
Cur diuturnus abeſt animæ pars altera noſtræ
CROPACIVS, *cordis dimidiumque mei ?*
At ſcio, nec gemitûs noſtros fruſtraberis absens,
Nec poteris Pyladi non bene velle tuo.
Dilectos memori ſervabis imagine vultûs,
Scilicet extremum mortis ad usque diem :
Inſuper & veniens a te mihi grata legetur
Miſſa Bohemiacis littera ſæpe jugis.
Hinc parili (quocumque ferar) ratione viciſſim

Dicar

Digitized by Google

Dicar amicitiæ non temeraſſe fidem.
Blanda ſuſurrantis ſeu me fovet aura Favoni,
Sive animans adflat ſpiritus Eure tuus;
Sive petam crebro terras Aquilone nivales,
Sive Noto madidus cogar inire vias;
Semper inoblitâ repetam te mente ſodalem,
Cúnctaque me tellus audiet eſſe tuum.
Ne properes adeo. Viden' ut durata rigeſcat
Terra pruinosâ candida facta nive?
Danubiusque pater, glaciem indignatus adactam;
Cornua brumali quaſſet operta gelu?
Tu tamen ire paras? nec te ſuaviſſima flectunt
Colloquia, & ſtudiis turba dicata bonis?
LEICHTIVS *in primis Suevus, blandique* POLANVS
Oris, & illicibus vox CHAROPÆA *ſonis:*
Quique mihi adjutor contra agmina denſa latronum
Præſtitit optatam nocte MYLAVRVS *opem.*
Vade igitur, quocumque pedes ducéris equesve,
Et patriæ ſoſpes limina tange domûs.
Vade, meique tenens æquabile pignus amoris,
Pelſinei Genium devenerare Laris.
Tempus erit, quum carminibus veſtrisque meisque
Defendat nocuos arbiter ille rogos.
Contigerit quoque, poſt aliquot peregrinus ariſtas
Illius hoſpitio ne veter ipſe frui.
Dic, quibus excipies antiqui pectus amici,
Tecta ſubintrantis Cropaciana, modis?
Dic, ſodes. O me miſeri, cariſſime, fati,
Si tua tunc menti eſt mens aliena meæ!
Quid loquor, hei? mihi Lar ignoſce domeſtice, quæſo.
Mutatur nullo tempore verus amor.
Vt viret, & matrem non fallit termes olivæ,

Seu veteri creſcat ſtipite, ſive novo:
Sic quoque verus amor cœptus juvenilibus annis
Non fraudat ſeram fœdere canitiem.

LAZARO HILARIO ET CATHARINÆ LÆTÆ.

QVIS novus heic ſtrepitus? quænam reboantia ſurgunt
Jubila? quo plauſum candida pompa ciet?
Claßica quæ lætum pertentant gaudia pectus,
Concentu lepidos eliciente ſonos?
Heic ubi gymnaſij pictis incincta tapetis
Attalico ſplendens Aula decore patet?
Sic ego, ſic Erato. Juveni formoſa pudenti
Nupta ſacro thalami fœdere virgo datur,
Quæ tenero faciem ſuffuſa rubore venuſtam,
Ceu roſa puniceo verna colore, nitet.
Non alio regina poli Latonia vultu,
Cornua quum plenê jam coiere, micat.
Prævia Phœbéæ conjux Tithonia lucis
Non aliter rutilis aurea fulget equis.
Nomen habet CATHARINA. *alias amat ante puellas*
Hanc vir, & ante alios hunc amat ipſa viros.
Ardua quâ lenem ſe Styria pandit in Auſtrum,
Styria montanis vix adeunda jugis;
Illic exegit, patrij ſub dulcibus arvi
Collibus, ætatis tempora prima ſuæ.
Quis vero juvenis? Fidicen bonus, Auſtride Nymphis
AMBROSIOque *ſatus patre. Camena refert.*
LAZARVS *ille, cito percurrere pollice chordas*
Doctus, & Aonias exhilarare Deas.
Pſallerit ad numeros, mirantur & Iſtrides undæ,

Digitized by Google

Et ſtupet arrectis ſilva propinqua comis.
Sic ego crinitum juſſu Didonis Iöpam
Crediderim auratâ perſonuiſſe lyrâ:
Crétea ſic aptaſſe ſuis modulamina nervis,
Qui comes & Muſis ſemper amicus erat.
Vix erat hæc Erato grataṅti voce profata;
Flamen adeſt, animis femina virque favent.
Tu latus ad dextrum ſponſe, & tu ſponſa ſiniſtrum
Compoſitos patrio ſiſtite more gradûs.
Jam vos unanimi conſtrictos fœdere nodis
Irreſolubilibus vincula nexa ligant:
Dicite lætantes Hymenæa carmina Muſæ;
Et Venus accenſas ventilet ipſa faces.
Sol obit: aureolo ſed roſcidus ore coruſcum
Heſperus occiduo ſpargit ab axe jubar.
Fungamur dapibus lautê (vocat hora) paratis;
Sumere & impleto vina juvet calice:
Vina Pinæla aliis, aliisque Vibacchia terris
Nata, abacisque ducum Rætica ſana decus.
Lætemur, dum fata ſinunt, heic quotquot amici
Adſumus. ex æquo quemque coronet Hymen.
Dicat iô, quisquis præſtó eſt conviva vocatus;
Cui thalami curæ gaudia, dicat iô:
Neu pigeat viridi circumdare tempora ſerto,
Neu faciles hilari ducere mente choros.
Prima choréa tua eſt, HILARI. *tibi ducitur uxor,*
Optatam toties quam tibi jungit Amor.
Nam (memini) quando ſocialia ſacra parares,
Virginis ardenti raptus amore tuæ;
O quoties imo de pectore ſuſpiraſti,
Ingeminans; utinam nuberet iſta mihi!
Nuberet iſta utinam mihi virgo, beatior eſſem

Digitized by Google

Sardiaco Cræſo, Mygdonioque Midâ.
Inſuper, accenſus quando penitralia flammis
Corda fatereris grandibus uſta coqui;
Si modò ſi, dixti, cuius malè carpor ab æſtu,
Illa futura meo eſt nupta, Meliſſe, toro;
Mecum veſte novâ tu ſtabis amictus ad aras,
Perſolvens domino munera vota Deo:
Pollicitisque fides acceßit mutua dextræ.
Contigit hæc uxor jam tibi. Veſtis ubi eſt?
Veſtis ubi eſt, promiſſa mihi CHAROPOque? *Sed iſtam*
Quid moror? en properæ tempora noctis eunt.
Alma quies preſſam redimita papavere frontem
Subréſit: tacitas ſtat ſopor antè fores.
Ferte faces pueri, tedas o ferte puellæ;
Amborum facilis lumina ſomnus alat.
Quid CATHARINA *diu, cauſas commenta, moraris?*
Chaoniæ Veneris te comitantur aves;
Famque tui cordis pars LAZARVS *altera molli*
Languida pulvino colla ferenda dedit.
I, conſcende torum. jam noctis amicior umbra eſt:
Inque viri amplexûs ſerpe venuſta tui;
Atque columbatim luctantia fige labellis
Oſcula, blanditiis non caritura ſuis.
I, Cytheréa tibi frundenti báccare lectum
Stravit, Acidalias inſeruitque roſas;
Ne peſtis linguæ vos faſcinet atra nocentis:
Sed cedat ſalvo noxa repulſa toro.
Sic agite unanimes lecto requieſcite, donec
Lucifer Eoo portet ab axe diem:
Veſter & inſeros, nullis prohibentibus, annos
Duret, & æternâ ſorte perennet amor.
At quibus in ſponſi nunc pernoctare negatur

Digitized by Google

Ædibus, ad veſtros quisque redite Lares;
Pectora ne moti turbent ſopita tumultûs,
Aut reſono thyrſi concitus ære furor.
Ite domum (ſatis est) redituri mane ſodales;
Tuque vigil clauſas janitor obde fores.

AD IOAN. BRANDESIDEN PRAGENSEM.

Distinctas cauti Cerealia munera fruges
Incernunt cribro ſegrege ruricolæ,
Vt lolium paleamque levem peſtesque relégent,
Commoda quæque minus grana puſilla ſatu;
At meliora (prout tellus vel pinguior hæc eſt,
Macrior illa) ſolo fertiliore ſerant.
Ingeniorum eadem ratio eſt, naturaque prorſus
Par. ſtudiis apta hæc acribus, illa minus.
Pars nihil omnino valet: at pars cetera frugi
Promovet innatæ ſemina materiæ.
Regia proinde olim geſtantes ſceptra Quiritum
Secretos hominum conſtituere gradus;
Ne, quibus ingenium dives natura dediſſet
Nobilius, vulgi pars rudis una forent,
Digna ſuo virtus neu fraudaretur honore;
Sed foret in pretio ſplendidiore decus.
Hinc, qui prævalido Mavortia caſtra ſecuti
Pectore crudeles non timuereminas,
Fortiter aut patriæ qui libertate redemptâ
Hoſtibus armatas oppoſuere manûs;
Ingenuæ claros vel nobilitatis honores
Inclitus his tribuit Cæſar habere viris;
Auratos equites vel ob imperterrita corda,

Digitized by Google

Militiæque acris ſtrenua facta, creat.
Ergo ſi tantis miramur honoribus auctos,
Extollit rigidi quos grave Martis opus;
Cur non & , doctæ qui Pallados arma capeſſunt,
Præmia ſollerti digna labore ferant?
Num vagus Eoos mercator curret ad Indos,
Multa ferens terrâ tædia, multa freto;
Si non lucroſi ſpes ulla refulſerit auri,
Præſtiterit ve aliquid commoditatis iter?
Sic quoque curriculi, tendentis ad ardua Pindi
Culmina, nequicquam meta locata venit;
Sint niſi, propoſiti ſignato limite curſûs,
Quæ penſent duram præmia certa viam,
Vnde aliquem poßis graviùm ſperare laborum,
Ingenio titulis laudis ovante, modum.
Juſtè igitur priſcâ ſapiens ætate vetuſtas
In ſtudiis certos ſanciit eſſe gradûs.
Atque ideo quisquis Moſeis incubat aris,
Rimatus ſacros nocte diêque libros;
Aut memori callet leges & jura cerébro,
Integra jura, quibus perſonat omne forum:
Aut medicis apti novit præſcripta Galeni,
Sive ſenis Coi dogmata: Doctor erit.
Tum quos aſtrorum poſitu natura canendis
Deſtinat, inſtinctos numine, carminibus;
Laurigeri inſignes ibunt anademate vatis,
Præcincti nitidas fronde virente comas.
Denique quos ſtudio jam floreſcentibus annis
Doctrinæ Sophiæ copis alumna fovet,
Quique caput ſeptem ſublime tulere per artes,
Cura quibus linguas eſt didiciſſe duas:
Prædicat hos ipſos ætas hodierna Magiſtros.

Digitized by Google

Pars utinam melius norit Aristotelem;
Pars cata divini satius præcepta Platonis,
Atque Arpinatis scripta diserta legat.
Cuique suus scopus ante oculos, & meta laborum;
Et suus ex merito quemque decebit honos.
At tu BRANDESIDE, *celebris quo gaudet alumno*
Praga, Bohemiaci prima caputque soli;
Nunc age jucundâ nova præcipe gaudia mente,
Purpureum mitræ fronte gerente decus.
Quòd tuus immensum campis emissus apertis
Acer equus properis cursibus ursit iter,
Æstivosque ferens rapido sub Sole calores
Sæpe quod huc illuc pulverulentus iit,
Et glaciale tulit brumali sidere frigus,
Nescius adversis cedere fortis equus:
Propterea summum tibi jam gravitate senili
Conspicuus confert LAZIVS *ipse gradum;*
LAZIVS *historiæ princeps, & in arte medendi*
Clarus, Apollinei fama decusque chori.
Scilicet a tanto cumulatum insignibus olim
Esse viro titulis, pars tibi laudis erit.
Quid, nisi virtutis meritum tibi grater honores,
Restat? ut æquatis præmia rebus eant,
Et cum CIMMERIO, *primâque in classe* NEANDRO,
Quos tibi consortes laureolæ dat honos,
Exercere queas faustis medicatibus artes,
Sentiat & validam languidus æger opem.
Non tamen hæ possunt contagia noxia morbi
Tollere, nec subito pellitur atra lues;
Ni Deus (ut quam vim crescentibus indidit herbis,
Hanc illæ servent) annuat auxilium.
Nil quidquam medicina, Dei sine munere, prodest:

Digitized by Google

Hoc absente, nihil pharmaca mista valent:
Non, si Phillyrides patriusve Epidaurius oris
Lecta ferat doctâ gramina sana manu.
Hæc tibi lex semper reliquisque medentibus esto:
In Jovâ est, remedi quo relevetur inops.

IN OBITVM FERDINANDI ROM. IMPERATORIS.

CINGERE *funereis humeros Pimplæa lacernis,*
Facque comas circùm mæsta cupressus eat.
Murice Sidonio ne te vaccinia velent:
Purpureus luctum non decet ille color.
Sume nigras vestes, habitu circúmdare pullo:
Nigra venit tristi palla gerenda die.
Causa doloris adest, fatis urgentibus, ingens,
Quanta vel hoc ebeu tempore nulla fuit.
Dum rapidis fervet morbosa caloribus æstas,
Et gravis ardentes Sirius urit agros;
FERDINANDVS *avis atavisque potentibus ortus,*
Regia qui forti sceptra tulere manu,
Æthereas Cæsar vitam exhalavit in auras,
Luminis exstinctis purpurei radiis.
Sic ego lucentes vidi vivescere lychnos,
Palladeque absumptos deficiente mori.
Lucifer abde caput; roseos Sol occule vultûs:
Totaque jam tenebris fusca nigrescat humus.
Austria plange; dole Germania; pallida luge
Hesperiæ tellus; Ausonia ora geme.
Venit summa dies, & inevitabile fatum,
Quod rigidâ nevit Parca severa colu.

Digitized by Google

Danubius fletuque ſuo lacrimisque ſuorum
Creſcit, & augetur fletibus ipſe meis.
Nymphæ mæſtitiâ queſtûs ad ſidera jactant
Iſtrides; & nemorum triſte queruntur aves:
Triſte ſonant arbuſta. Sacer, ſacer ille Monarcha
Gaudia turbavit funere noſtra ſuo.
Fallor, an & valles celſoque cacumine montes
Orbis ſublato tangit honore dolor?
Publicus eſt luctus. nihil heic niſi triſtia & atra:
Omnium habet mentes prægrave cordolium.
Adſpicis ut Phœbus, cœtu lacrimante ſororum,
Vix interruptos mæſtus hiet numeros?
Jam nec amant laurum Daphnéam timpora: jam nec
Cordi ſunt teneris carmina Pieriſin:
Nec citharæ cantûsque vigent. Lituique tubæque,
Eſt quibus uſa prius Cæſaris aula, ſilent.
Heu qualem terris heróa virumque regundis,
O proceres, quantum perdidimusque ducem!
Hoc erat ah (memini) nuper quòd nocte ſerenâ
Flammea terrificæ fulſit imago trabis.
Ignea trabs rapidê cæli per inane volabat,
Fulgur ut eliſo nubibus igne ſolet.
Cæcius eſt teſtis; teſtis celſiſſima rupes
Et glacie & gelidâ ſemper operta nive.
Quis, niſi contemptor ſuperûm, neget ætheris orbes
Prodere portentis ſæpe futura ſuis?
Credibili maiora ferunt agitabilis aër,
Et jaculans ruſſas ore cometa faces.
Si quoque ferales tectæ pallentibus umbris
Infelix omen præcinuiſtis aves:
Heu miſerum mortale genus, cui læva minatur
Æther, & curtas præſcia ſaga vices:

Digitized by Google

Garrula tam longos cornix ſuperexit in annos,
Múltaque quæ numeret ſæcula cervus habet.
Creditur his corvus longê diuturnius ævum
Degere. cur nobis tam breve vita bonum eſt?
Anguibus induitur renovatâ pelle juventus,
Decrepitisque Aquilis integrat ora vigor:
Seque ſuis Pharius (res mira) reſeminat ales
Exuviis: cineres ſuscitat ipſe calor.
At ſimul ut duby mortalibus óccidit ævi
Flos brevis, & vitâ corpus inane jacet;
In ſuperas revocare gradum labor irritus auras.
Occluſæ duro ſtant Adamante viæ.
Tu tamen, o patriæ pater, haud ſine numine Jovæ
Ad veteres migras, funere raptus, avos:
Sic etenim voluit, rude quo donatus adires
Emeritus ſuperûm regna quieta ſenex.
Alta nec Imperij rectore vacantia linquis
Frena, nec irato naufraga texta mari:
Sed velut ipſe tui fratris, ſic natus habenis
Succedit Cæſar MAXIMVS *ille tuis.*
Maximus ÆMYLIVS, *quo vix induſtrior alter*
Germanorum inter ſtemmata priſca ducum;
Sive quis hoſtiles propius conſideret oras,
Et fera quo ſoleant fulmine bella geri:
Sive quod Hungaridûm ſceptro, gentique Bohemæ,
Et Moravum populis imperet Auſtra domus.
Adde tot heroo dias in pectore dotes,
Et tot linguarum noſſe referre ſonos.
Haud fratres ſtimulat dominandi ſæva cupído;
Nulla patet motis area diſſidiis.
Mutua quin ſancti concordia regnat amoris,
Túnaque ſinceræ mentis alumna fides.

Digitized by Google

O felix genitor, talis cui munere Divûm
Filius extremum contigit ante diem,
Sanguine legitimus patriy qui culminis heres
Exſtinctum regni non ſinet eſſe decus.
Ergo tibi vitam fragilem mutaſſe perenni
Jucundum eſt. cælum, manſio grata bonis.
Tandem ibi poſt varios casûs vitæque labores
Viribus exhauſtis eſt tibi parta quies.
Jám tibi avusque paterque, tibi ſe CAROLVS *offert*
Frater, & in ſuperâ porrigit æde manum;
Maioresque tui dextram contingere gaudent,
Læta tuos circum turba voluta pedes.
Quid loquar, ANNA *tibi quondam cariſsima conjux*
Vt riget ambroſio cume liquore caput;
Dulcis & occurrens LVDOVICI *regis imago*
Suavia comprenſis oſcula det genibus,
Vnanimisque chorus Geniorum applaudat ovantum
Inter amicorum numina Semideûm?
Sidereâ quamvis igitur regione fruaris,
Inque novâ vitam ſede beatus agas;
Manibus extremum tamen hunc præſtamus honorem
Deflentes querulâ funera mæſta lyrâ.
Et merito: tua quum pietas graviore fidesque
Et virtus numero digna ſit usque cani.
Ante Bohemiacæ numeravero meſsis ariſtas,
Et quot prata virent Pannona graminibus,
Quotque per extentos colles Neoburga racemos
Educat, & quot alit ſilva propinqua comas:
Quàm, tentans æquare altæ præconia famæ,
Sufficiam laudes tot memorare tuas.
Me tamen immemorem non ulla redarguet ætas,
Ceu minus æqua tuis corda geram meritis.

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA MADRID

Laurea dum noſtris inducis ſerta capillis,
Me levat ex humili nomen equeſtre loco.
Per te victuræ monumenta recentia Muſæ,
Quæque dehinc pangam carmina docta, vigent.
Tu das ingenium, tu das in carmine robur:
Cæſaris immenſum præmia calcar habent.
Ergo quod Aoniâ frundent mihi tempora lauru,
Scútaque nobilium ſplendida more gero,
Muneris omne tui eſt. nec me dixiſſe pudebit,
Livoris rabido carpar ab ore licet.
Hactenus. adveniens ætas maiora reſervat.
Sit lenis cineri paxque quiëſque tuo;
Corpora de tumulis donec redivíva reſurgent,
Siſtenturque oculos judicis ante Dei.

Digitized by Google

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI ELEGIARVM LIBER TERTIVS.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

ALTA petant alij sublimes grandibus ausis,
Et cumulent magno sæcera multa lucro,
Quos levis ambitio, vel amor gravis urget habendi,
Aut quibus inflato pectore fastus inest.
Me mea simplicitas vitæ traducat honestæ,
Dum mihi molle favens aura secundet iter;
Tuque meas REGINA *libens amplexa Camenas,*
Inter honoratos des mihi Diva locum:
Parca nec anticipet, sed grato lucis amatæ
Munere, si veream, me sinat usque frui.
Ipse canam lenes suavi dulcedine cantûs
Musicus, & facili carmina vincta pede.
Nam quodcumque mihi carmen novus excitat ardor,
Sacratum in laudes personat omne Dei;
Et veneror, cultæ seu vatis amabile donum,
Sive quis a Musis nomen amicus habet.
Nate Dei, semper tibi dedita serviat ætas
Qualibet, a templis non aliena tuis;
Sollemnesque sacrum munus ponatur ad aras,
Terreat ah sontes ne Patris ira reos.
Sic tibi mortali quondam, nunc morte carenti

Digitized by Google

Cæleſtes animi munera grata ferunt.
Nunc illos citharæ faciles percurrere chordas,
Carmina nunc reſonâ pangere voce juvat.
Te ſolum celebrant, merito cui Muſicus ordo
Supplicat: o felix & bonus eſto tuis.
Jam nequeo ſuperos imitari carmine cœtûs,
Nec par aligero protinus eſſe choro:
Sed tenues orsûs viridi formare ſub umbrâ,
Fluminis ad liquidas prætereüntis aquas.
Nec tamen harmonicas pudeat tentaſſe figuras,
Aut Clariam digitis increpuiſſe lyram.
Non pigeat Graiove ſono, dulcive Latino
Concentûs lepidis elicuiſſe modis.
At vos exiguæ criticî momique Camenæ
Parcite: nullius criminis ipſa rea eſt.
Hæc ego cælicolam Patrem placabo quotannis,
Vnigenamque, ſacro plenus Amore, Deüm.
Antè rudes homines juſtâ ſine lege canebant,
Menſuræ ratio nulla, nec artis erat:
Sed malè junctarum diſpar confuſio vocum
Abſurdis ferit pectora murmuribus;
Pugnabant gravibus ſed acuta, & mollia duris,
Sæpeque diſcordes vox dabat icta ſonos.
MELPOMENE *juſſit certis inflectere voces*
Legibus, atque novum fingere prima melos.
Hæc docuit numeros aptè ſervare decentes;
Melpomene ſancti caſta magiſtra chori.
Hæc eadem Muſis caſtè præcepta canendi
Tradidit, & ſanctos juſſit amare modos.
Obſcenos vetuit turpeſque per omnia cantûs:
Vsque adeó pudicas convenit eſſe Deas.
Ah pereat, quicumque ſacram contaminat ædem,

Digitized by Google

Fœdaque laſcivis polluit ora ſonis.
Quàm potius laude eſt dignus, qui digna canendo
Cælitibus, tenuis auribus illa probat!
Hunc Charites Veneresque colunt; huic cantor Apollo
Dulcia ſubjiciens carmina, dexter adeſt.
Cernimus, ut ſacri quondam ſua carmina vates
Congrua maluerint uſibus eſſe bonis.
Terribiles Orpheus tigres, rapidosque leones
Et ſævas placidâ lenit arte feras:
Scilicet agreſtes animos, hominesque feroces
Mollit, & domitis pectora corda dedit.
Amphion blandæ potuit teſtudinis olim
Dura penetranti flexa movere ſono:
Vnde (fide maius) Thebani concita muri
Sponte ſuâ inter ſe membra coiſſe ferunt.
Quos non adſpicerem lucos ſilvasque ſequentes
Inſuetos cultâ ponere ſede pedes?
Quid loquar Iſaiden? quoties a Saule vocatus
Flexanimâ tetigit ſæva canora fide,
Illico, qui regem furiis inceſſerat atris,
Vi citharæ Dæmon cedere juſſus abit.
Muſica quidquid habet, quidquid divina Poëſis,
Acceptum faſteſt omne referre Deo.
Quàm juvat Aonios cœtûs audire canentes,
Pieridumque choris implicuiſſe manûs;
Ac, teneras cum terra parit fecundior herbas,
Tranquillum florem vere tepente ſequi!
Quàm juvat in ſilvis avium diſcrimina mille
Imbibere, & varium diſcere mille modos:
Denique maturis letum properantibus annis
Concentûs inter nabliaque ipſa mori!
Hæc mihi contingant. Sit avarus, & alta requiras

Digitized by Google

Nomina, cui lucrymente cupido ſedet.
Quid moror? audiri Muſas non tædeat ipſas:
Incipite, & molli ſolvite verba ſono.
Cantemus bona verba, piis quæ comprobat uſus,
Harmoniâ numeris convenïente ſuis.
Ne ſtrepitu quis turbet, amant taciturna Camenæ.
Quisquis ades, linguâ virque puerque fave.

AD IOACHIMVM CAMERARIVM PRÆTERGENSEM.

Quam tibi maluerim præsens, IOACHIME, *ſalutem*
In penitrale domûs advena ferre tuæ,
Hibernum gelidâ ſub brumæ tempus eamdem
Nunciat absentis charta notata manu;
Heic ubi Leucoream, Nymphis latitantibus, urbem
Frigidus Arctoâ præterit Albis aquâ.
Liquimus Auſtriacæ ſublimia tecta Viennæ,
Auguſtum magni Cæſaris hoſpitium;
Perque ſitus Moravum pulchræque Bohemidos oras
Vénimus in Myſi rura beata ſoli.
Hinc, venerande, tuos Philyres in mœnibus altis
Magna mihi vultûs cura videre fuit.
Scilicet ingenio præſtans SAMBVCVS *& arte,*
LOTICHIO *veteri junctus amicitiâ,*
Quique tot hiſtoriæ latebras ſcrutatus opertas
LAZIVS *Auſtriadûm facta genusque refert;*
Quæ nunc transmitto cerâ commiſſa fideli
Ad poſtes dederant verba ferenda tuos.
Sed fera tempeſtas, Aquiloque domeſticus Arcto
Obſtitit, & votis ſors inimica meis:
Namque ego cum ſocio geminas (ſcit navita) noctes
Hæſimus

Digitized by Google

Hæsimus undantes fluctibus inter aquas.
Treis animas, certas necis, incertasque salutis
Jactat in Albinis ira Boréa vadis:
Nec lintrem tactis poterant adpellere ripis
Lassa viri fracto brachia remigio;
Donec in hanc nobis delatos almus arenam
Tuta locat firmâ sub statione pedes.
Nec tantùm mihi cura tui fuit illa videndi,
O sacra Phœbéa lux IOACHIME *facis;*
Sed magis optabam dextris per murmura nexis,
Præceptisque tuis colloquiisque frui,
Ex animoque tuum mihi conciliare favorem.
Dij faciant, cordis sint rata vota mei.
Quæ sit enim, scimus, Gràiæ facundia linguæ,
Threïciam plectris te moderante lyram:
Novimus & Latiis quum vocibus ora resolvis,
Quàm fluat eloquij vena diserta tui.
Famque recurrenti duodena per astra meatu
Purpureos decies Sol vagus egit equos,
Cum tener, Aonias puer erudiendus in artes
Traditus ESROMI *sub documenta fui:*
Flavus ubi liquido Cycnéos flumine campos
Irrigat, & plenis Molda susurrat aquis.
Quartus ab ætatis decimo processerat annus,
Vt didici rudibus carmen hiare modis,
Vertere fabellas Æsopi jussus, & illud
In pueris minimum quod stylus urget opus.
Quum semel atque iterum (memini) tu gratior hospes
Illuc vectus equo non remorante fores,
Et generum, natamque tuam, neptesque tenellas
Comibus adfari conspicerere sonis:
Ipse aderam, vultûsque tuos venerabar amicos,

Et placidâ Phœbi mitius arte caput.
Protinus heic nomen patriæque meumque roganti
Paucula ſubjecto nomine verba dedi.
ALPHIPOLIS *patria eſt, ad amœni Strœonis amnem:*
Hanc MELRICHSTATVM *turba colona vocat.*
POLICHIO *eſt eadem natalis: & ipſe Lycéi*
Primus Leucorcâ Rector in urbe fuit.
Talia tu contra, gratans mihi, dicere. quin &
Hos ultro monitûs prompta loquella dedit.
Perge ſacras, o mi popularis, amare Camenas,
Dum tibi flos tenero vernus in ore viget;
Nec minus Aonidum puris de fontibus hauſtis
Dulcibus ora riga, nos imitatus, aquis.
Tempus erit, cum jam tibi pubeſcente juventâ
Laurus honoratas cinget odora comas.
Sic ais; & ſpatium decurrere grande parato
Nil dubitas urgens addere calcar equo.
Quisquis enim dictis non abſterrentibus uſus
Impiger ut facias, quæ facis antè, monet;
Ille ſimul laudat, ſimul incitat ille monendo,
Et probat hortatu gnaviter acta ſuo.
Vidi ego, qui Muſas viridi ſequerentur in ævo;
Queis citharæ cordi, queis geniale melos:
Hi tamen, auſteris rigidi monitoris adacti
Vocibus, argutas deſeruere Deas.
Crudeles animos faciles odere Camenæ:
Blanda Charis quorum pectore regnat, amant.
Sed quid ego his teneo mites ambagibus aures,
Ætatis repetens tempora prima meæ?
Tu potius, vir clare, tibi quæ clauſa libello
Miſit Cecropiæ cultor uterque Deæ,
Perlege; & in numero me quæſo repone tuorum,

Digitized by Google

Quos tibi verus amor junxit & alma fides:
Et mea crescentis non duro suscipe vultu
Carmina, censuræ jus subitura tuæ.
Non ego Mæoniis celebrem me spero futurum
Versibus: ingenij divitis illud opus.
Impare si saltem decurrant lenia versu
Verba, nec illepido carmina vincta pede;
Hoc satis. Imbelles elegos cantare videmus,
Huius qui certant temporis esse decus.
Cum gravibus numeris sublimia verba valete:
Omnis in alternis jam mora nostra modis.

AD IOHANNEM BAPTISTAM LECHELIVM.

FRIGIDVS hibernas jam vertit Aquarius urnas,
Et densas gelido spargit ab axe nives.
Aspera sævit hiems, Boreâ stridente, procellis;
Adsiduo torpet terra perusta gelu:
Occultisque pater muscosum cornibus Albis
Tristior adstricto condidit amne caput;
Quâque prius liquidos sulcavit navita fluctûs,
Desita concretis pinus inhæret aquis.
Nullus honor silvis, mœrentque silentque volúcres:
Scita nec argutis vernat Alauda sonis.
Jam philyra frundes negat, hortus iniquior herbas;
Jam neque flos pratis mollibus ullus hiat.
Vtque semel dicam: stat frigus, quale per annos
Asperius centum nemo senum meminit.
Tu tamen, Aonidum studiis exculte LECHELLI,
Saxonicis procul hinc finibus ire paras?
Natalemque locum, dulcesque revisere terras,

Digitized by Google

Cærula MÆNVS *ubi flumine regna tenet?*
Mænus ab Aurorâ vitreis qui volvitur undis,
Nempe tuis ortus, Piniſer alte, jugis.
Omine vade bono, Muſis comitatus amicis,
Quo te cumque vocant principis ora tui.
Nec votis adverſa tuis Fortuna repugnet,
Squalida nec ceptis curſibus obſtet hiems.
Tempus ad hoc æquo plures tibi fida ſodales
Fœdere ſors junxit dulcis amicitiæ,
Heic ubi nata Jovis primo te Pallas ab ævo
Præclarum multâ reddidit arte virum.
Sed tibi quis nimbos unâ paſſurus & Auſtros,
Tædia longinquæ leniet alta viæ?
Aut quis amicorum dabit exſuperare malignos
Tyrigetûm ſaltûs, Hercyniasque nives?
Certê ego, ſi Genius ſineret meus, ardua tecum
Ingrederer durum per juga cinctus iter,
Perque aſpros montes, perque horrida luſtra ferarum,
Hærerem lateri fidus ubique tuo.
Una fides nobis, mens una, eademque voluntas,
Quam nec Eris poſſet lædere dira, foret.
Eſſent LOTICHII *ſuaves, mea cura, libelli*
Nobiſcum, longæ ſarcina grata viæ;
Vel quodcumq; bonum eſt, veterumq; ſimillima chartis
Verba ſonat, priſcum verba imitata decus.
Atque ita Mænalio digreſſus ab axe, redires
Lætior in patriæ, me comitante, ſolum.
His pia tantiſper nunc me conſiſtere terris,
Quas volui toties viſere, fata jubent;
Dum redeant niveæ meliori ſidere luces,
Veris & adventu bruma recedat iners.
Tunc, puto, cæleſtum ſi fert ita certa voluntas,

Digitized by Google

Tempus in Italiam tendere forſan erit.
Non ego feſſa dabor mulcenti corpora ſomno,
Intempeſta licet nox vigilare vetet:
Nec verò, ſiquidem violentius obruar ipſo,
Molli pulvino tempora fultus ero,
Sed Jove ſub nudo cernar recubare, LECHELLI,
Subnixus rigidâ cote recline caput:
Dummodo (quod votis ardentibus opto) feraces
Sit mihi fas Latij cernere poſſe plagas,
Et dominæ quondam mundi Capitolia Romæ,
Campanoque ſitam litore Parthenopen.
Antè tamen Viadri luſtrare binominis urbes,
Balthica quasque premit fluctibus unda, juvat.
Hinc Lanum Nicrumque petam, Rhenique bicornis
Flumen, & Acronij ſtagna profunda lacûs:
Inde Lyci campos, Auguſtaque Suevidos urbis
Mœnia, & Auſtræi denique regna ſoli:
Danubijque ſequar ripas, ubi Cæcius ingens
Murice prærupto nubila celſa ferit.
Iſtic vos iterum, lectiſſima turba, ſodales
Alloquar, enumerans acre ſub axe gelu:
Te CHAROPE, *& forti* THRASYBVLVM *pectore Sue-*
Feſtivis lepidum teque MYLAVRE *jocis,* [*vum,*
Et te montanis oriunde FYGERE *Variſcis,*
Qui condiſcipulus Cycnide noſter eras;
Atque alios, quorum nec pectora candida fallunt,
Dira nec occultâ mente venena tegunt.
Vos modò, ſi mereor, parili communia mente
Pro reditu unanimes ſolvite vota meo:
Namque libellorum retrahit me cara ſupellex.
Deliciasne meas quæſo perire ſinam?
Dij precor o melius; noſtros ſervate labores:

Digitized by Google

Hoſtes Pieridum talia damna ferant.
Multa mihi terris ſuperanda, perita reſtant;
Multa mari. curæ tuta libera agam.
Eſt aliquid ſalvâ trans æquora currere navi,
Poſtque aliquot tandem luſtra redire domum.
Spes mihi ſit patriæ, metuam nihil horrida Syrtis
Murmura, nil furias ſæva Maléa tuas.
Famque peregrinis hoſpes dum verſor in oris,
Eheu! me graviter dena fatigat hiems.
Quando erit, ut, primas mihi quæ dedit hoſpita cunas,
Fruge meroque habilem transferar ALPHIPOLIM?
Quando erit, ut videam gelidis ubi limpidus exit
Rupibus, irriguâ fons Achelóus aquâ?
At tu, cui patriæ jam nunc ſpes certa videndæ,
I felix, animo non aliene meo.
Jam tibi palma data eſt, poſt exhauſtosque labores
Parta manent operæ præmia digna tuæ.
Sive igitur virides colis uda cubilia ripas,
Quas gravido lætas palmite Mænus amat;
Sive ſedens liquidam Faxti prope fluminis undam
Cogis in alternos verba ligata pedes:
Deſluat ex animo nunquam tibi cura Meliſſi.
Sim maneamque tuus, ſis maneasque meus.
Sic facie præſtans & dotibus aucta Minervæ
Innúbat thalamis Franca puella tuis.
Hæc ego. tu Muſas veſtri ſalvere jubebis
MEILANDI, *totam Pieriamque domum.*
Muſicus & vates Muſasque bonosque Poëtas
Diligo, & illorum carmina ſemper amo.

Digitized by Google

AD HIERONYMVM WOLFIVM OETINGENSEM.

CERNERE quam toties votis optavimus urbem,
En facta est oculis illa propinqua meis.
Ardua jam multas ostentant culmina turres:
Jam video, gelidus quâ secet arva Lycus.
Heic locus ille cruentus, ubi cecidere tot Hunni,
Oppida vastantes rúraque Vindelicûm.
Salve præstantum genitrix AVGVSTA virorum,
Consiliis quorum Cæsaris aula viget.
Este salutati, qui me bene nostis, amici,
Quos locus hic tuto continet in gremio.
Te quoque cum doctis jubeo salvere Camenis,
A studiis VOLFI non aliene meis.
Audivi quàm sæpe tuum clarissime nomen,
Et mores Sueuæ gentis, & urbis opes;
Dij faciant huius, dixi, non læva videndæ
Se mihi sors niveis offerat alitibus.
Hanc propter tolerabo nives, tolerabo labores,
Frigus & hiberni sideris acre feram.
Primus erit, sancto cui fœdere junxero dextram,
VOLFIVS & Graiis notus & Ausoniis.
Accedet favor HÆNZELII proconsulis, & me
Foverit hospitio FABRICIANVS amor.
Vota Deos tetigere. novus (quis crederet?) hospes
Accipior tectis urbs operosa tuis,
Scilicet Austriacis proficisci jussus ab oris,
Huc ubi conventum MAXIME Cæsar ages.
Hæc aliquis nuper si nuncia forte tulisset,
Cum linquenda mihi FRANCIA terra foret;
Vix ubi visa tibi fuerint excelsa Viennæ

Mœnia, Vindelicos rursus adibis agros:
Non ego crediderim; non, si præsaga futuri
Numina prædixent auguris Actiaci.
Non bene longinquum rigidæ sub tempore brumæ,
At melius carpit vere viator iter;
Vere, vel auctumno. mensi sua gratia utrique:
Æstas præcalida est, est nimis acris hiems.
At tu, quandoquidem convénimus, optime VOLFI,
Votaque successu non caruere suo:
Candida si Franci melli est tibi Musa Melissi,
Fac solidâ jungti simus uterque fide.
Dulcius in terris nihil est, quàm fidus amicus,
Non nisi qui rectê, quod facit, omne facit.
Sic det Hygéa tibi nullos sentire dolores,
Omnia sic abeant pectoris ægra tui.

AD ORLANDVM LASSVM MVSICVM.

Non ita lætanti Periander Arióna abundis
Incolumem excepit pectore in Acropoli;
Nec gavisa adeo est civis Methymna salute,
Lesbiacam rediit cum citharœdus humum:
Telemacho nec tanta fuit spectare voluptas,
Patrem Ithacis salvum vivere litoribus:
Quanta ego te viso percepi gaudia nuper,
Quanta ego colloquiis gaudia LASSE *tuis;*
Heic ubi Vindelicos bifidus Lycus irrigat agros,
Et vetus Augusti mœnia nomen habent.
Nam quoties (memini) sparso rumore cruentam
Dictus es immeritâ cæde tulisse necem;
Certe equidem dolui vehementer, & ultima mœstos
In cineres salsis justa dedi lacrimis.

Digitized by Google

Sed bene habet; ſuperas. tenues abiere per auras
Irrita, quæ propter cor mihi triſte fuit.
Dij faciant longæ decurras tempora vitæ,
Impediant cursûs fata nec ulla tuos.
Antè alios vates ut ſunt mihi dulcia cordi
Carmina LOTICHII, *nectare tincta, mei;*
Sic tua præ reliquis penetrant mihi cantica pectus,
Cantica nata homines, nata movere Deüm.
Nil tamen idcirco, quicumque es, detraho cuiquam,
Muſice ſive tibi, ſive Poëta tibi.
Quæ bona ſunt, laudo. non eſt tenor omnibus idem:
Ars ſua pro merito quemque decere poteſt.
Primus inexpertam ſcrutatus es impiger artem;
Te duce LASSE *novum Muſica tentat iter:*
Artis & ad ſummum divina peritia vênit,
Suaviter harmonicos te modulante ſonos.
Es gravis, & plenis aures concentibus imples,
Maieſtasque tuis cantibus omnis ineſt.
Scis bene, quæ faciat lætas ſymphónia mentes,
Flebilibusque modis ſcis bene quâ ſit opus.
Nunc tàrdas lento voces procedere tractu,
Nunc celeres numeros currere ritè facis;
Et modò ſublimis, modò preſſior, aptus ad odas
Quaslibet, argutâ pectora voce feris,
Mollia ſeu duris, gravibus vel acuta neceſſe eſt
Miſcere, & reſonos elicere inde modos.
O te felicem, cui munera tanta Camenæ
Vbertim largâ contribuére manu!
O te felicem, dextro cui ſidere naſci,
Numine nec lævo vivere contigerit!
Quàm juvat & melli eſt, eius meminiſſe beati
Temporis; o niveüm candide LASSE *diem,*

Digitized by Google

Quo dextras, fidei teſtes, & mutua primum
Fœdera non vanis junximus auſpiciis:
Tunc cum præluſtres aulas ſequeremur uterque,
Tu ducis Alberti, Cæſaris ipſe mei.
Hinc quoties mala lingua, tuo minus æqua labori,
Próſcidit indignis carmina ſancta modis;
Fortiter ipſe tuas auſus defendere Muſas
Sæpius adſerui teque tuamque fidem.
Idque lubens feci, nec poſt feciſſe pigebit:
Me penes in tanto eſt Phœbus honore tuus.
Neſcio quo fato cunctos, quibus arte magiſtrâ
Myſtica Pieridum ſacra coluntur, amem.
Scilicet huic ſtudio teneris ego ſemper ab annis
Jucundâ volui deditus eſſe morâ.
Hic amor, hoc veterum lenimen dulce laborum eſt;
Hoc mala fortunæ ſolor acerba meæ.
Pectora carminibus, mulcentur cantibus aures:
Fontibus ætherijs útraque vena fluit.
Quod ſupereſt, porró firmum & durabile ſemper
Sit precor inter nos fœdus amicitiæ.
Queſtibus hæc nullis unquam temeranda manebit
Suavis ad extremos funeris usque dies;
Mutatique leves cum jam fuerîmus in umbras,
Illa perennis erit, neſcia LASSE *mori.*

AD NICOLAVM CLEMENTEM TRELÆVM.

DVM vagus externis hoſpes regionibus erro,
Fixus & in nullis heu requieſco locis;
Depereünt anni, viridis mihi carpitur ætas,
Ingenij fiunt dona minora mei.

Digitized by Google

Ipſe meæ ſtudium langueſcit ad omne juventæ
Floſculus, & dempto pænè vigore cadit;
Non ſecus ut cultis marceſcit amáracus hortis,
Ponens languidulas, victa calore, comas.
Felix qui potuit, patrij prope fluminis undam
Mæonidum recolens ſacra, manere domi.
Non illi Boreas, non horrifer Eurus, & Auſter
Turbidus, invadunt flatibus ora ſuis:
Non illum vis ulla domat, nec ſæviter illi
Turpibus e latebris obſtrepit hoſtis atrox:
Sed parvo bene contentus ſibi vivit, & ultra
Nil mage, quàm dederit ſorsve Deüsve, cupit.
O patrij fontes! o Mæni flumen amœnum!
Quando erit ut veſtras cernere detur aquas?
Quando redux, Sali ſlave, tuis mihi ſemper amatis
Incolumi ſiſtar corpore limitibus?
Me mea fata trahunt retrahuntque, ſequamur oportet:
Hei mihi, meta procul, quam peto curſor, abeſt.
Ah quoties curâ vigilatas ducere noctes
Cogor, & inſomnes absque quiete vices!
Spiritus ah quoties mihi pectore languidus ægro
Surgit, & invitos ſæpe traho gemitûs;
Singula dum miſeræ repetens incommoda vitæ
Anxia mæroris carmina plena cano.
Non animum placidi levat indulgentia cæli,
Aura nec adflatu mulcet amica ſuo;
Jam neque purpureis, velut antè, meridior hortis,
Formoſi nemoris nec levis umbra juvat.
Scilicet immeritos Fortuna tenaciter urges,
Innocuisque ſoles vatibus eſſe gravis?
Parce precor ſacro (ſi qua eſt tua gratia) vati,
Parce; nec indignè quem premis, usque preme.

Digitized by Google

Quid tenerâ prodest incingere tempora lauro,
Et canere argutis carmen utrumque modis?
Quid juvat, heu, magni sectari Cæsaris aulam;
Denique principibus quid placuisse viris?
Num minus idcirco me sors adversa flagellat?
Num minus invisas incutit illa minas?
Sed merui forsan: patienter at omnia, quamvis
Ipsâ morte cadant asperiora, feram.
Non tamen est animus tantis minor (ecce) periclis:
Eluctor, nec mens fractâ labore jacet.
Nunc quoque non dubitem pro signis stare tuendis,
Thracibus & fortes conseruisse manûs.
Me fera bella vocant, vocat acer ad arma Gradivus,
Cæsare pro patriis arma gerente focis.
Haud metuam dulcem per vulnera ponere vitam,
Si ponenda aliquo vulnere vita mihi est.
Ob patriam laus est in aperto occumbere campo;
Mors nec honesta magis, quæ venit, ulla venit.
At tibi, mi CLEMENS, *summos cui laudis honores*
Attribuit studiis gloria parta tuis,
Gratulor ex animo. Felicia faustaque sunto
Perfungenda novæ mœnera militiæ.
Dignus es ante alios multisque beatior unus,
Quem decoret celebri pulchra corona loco.
Hanc meruit doctrina, tui meruere labores:
Est aliquid, studij præmia ferre sui.
Ergo tibi volo cuncta fluant in honore secunda:
Me dolor & quamvis cura fatiget edax.
Crede mihi, non, si malè nunc, fortasßis & olim
Sic erit. o mihi lux illa beata veni.
Memnonis hanc cælo genitrix invecta sereno
Quamprimum roseis aurea portet equis.

Digitized by Google

AD VRANIAM.

Cum Alphonſus II. dux Ferrariæ ab expeditione Hungaricâ domum eſſet reverſurus.

Hvc ades Vranie. ſic te veneretur Olympus,
Sic tibi Sol niveis luceat albus equis.
Mitis ades, clarumque decus Ferraridos urbis
Incolumem reddas finibus Auſoniæ
ALPHONSVM; *cui* PIGNA *latus venerabile claudit,*
Pigna Meduſæi gloria rara chori.
Illius hoc meruit virtus, meruere labores:
Cæſaris auſpicio fortiter arma tulit.
Danubius teſtis, teſtis Voga, Pánnonus amnis;
Quemque bibi, patriis Arrhabo liber aquis.
Jamque reverſurus patrias remeabit ad arces,
Quâ Padus immenſo gurgite radit humum.
Ne qua per aërias incommoda ſentiat Alpes,
Sis age longinquæ dux que comesque viæ.
Tu Dea naſcentem placidis amplexa lacertis
Dignata es magnis fingere nominibus;
Ætheriasque illi donaſti Palladis artes,
Múltaque præterea principe digna viro.
Quod fuit Alcides ingens ſublimibus auſis,
Hoc fuit ipſe tuus, Dux animoſe, parens.
Qualis erat quantusque olim Germanicus armis,
Eloquio præſtans, ingenioque ſagax:
Talis es & tantus, belloque togâque decorus,
Heros magnanimis edite maior avis,
Maior avis atavisque. tuos quoque clara nepotes
Semper honoratâ gloria laude vehet.

Digitized by Google

Scilicet emicuit dextrum tibi ſidus in ortu,
Fulſit & aureolis ſtella diurna comis.
Dulcia Pieridum ſacra, divinosque Poëtas
Et colis & Muſis ſemper amicus amas.
Miraris veteres, priſci non inſcius ævi,
Inque novum revocas acta vetuſta decus.
Nec ſatis hoc. motûs etiam rutilantis Olympi,
Artificisque juvat noſſe potentis opus;
Naturæque vias rimari, arcánaque rerum,
Quidquid & abſtruſi totus hic orbis habet.
O quàm magnus honor, quanta hæc in principe laus eſt!
Nomen ab æternâ poſteritate feres.
Quod decuit reges, ALPHONSE, *ducesque vetuſtos,*
Eſſe quid eximium, teque decere putas:
Rentur idem heroës veſtrâ de ſtirpe creati,
Brunoſuiganæ lumina magna domûs.
Et merito. ſed tempus erit, tua facta tuasque
Carmine cum laudes uberiore canam.
Dij tibi dent longosque dies, mollemque ſenectam,
Proſperet & cursûs aura ſecunda tuos.
Poſt varios casûs, bellique viæque labores,
In patriis tandem dulce quieſſe locis.

AD PAVLVM MYLAVRVM AVSTRIVM.

CANDIDVS *illuxit nigri qui turbinis expers,*
Sidere lætus eat proſperiore dies:
Lætus eat, CHAROPVM*que meum florente coronâ*
Cingat, & Aſſyrij ſpargat odoris aquâ.
Ille canit pulchras viridante ſub arboris umbrâ
Flumine quas vitreo Naiadas Iſter habet.

Digitized by Google

Dumque canit Nymphas, Nymphæ gratantur, & illi
Carmine pro dulci ſuavia dona ferunt;
Dona, quibus gemmæ cedunt ac munera regum:
Scilicet alternis oſcula rapta genis.
O fortunatum, teneræ cui lumine blando
Iſtrides arrident, Caſtalidumque chorus!
Atque utinam liquidæ, poſitis Aquilonibus, auræ
Optatis faveant Paule MYLAVRE *meis;*
Ah ego quàm vellem reſonantes pangere cantûs,
Verſibus & noſtram ſæpe vocare RHODEN.
Æmulus Alcmani vel Lesbiaco Terpandro,
Hunc modulis, illum verſibus exprimerem:
Quales vix Alemanna prius fortaſſe canores
Audierit, melicæ gens ſtudioſa fidis.
Non eſſet Clarios inter mea numina vates
Æoliæ fidicen cultior arte lyræ;
Præque meæ, toties quam carmine laudo, puellæ
Nominibus, nusquam clarior illa foret.
Sed me nunc veſtris longiſſima dividet oris
Linea, prolixis diſſita tramitibus.
Poſt exanclatos ævi bellique labores,
Quâ vagus Iſtrinas Arrhabo ditat aquas,
Et Thracum fines a duris ſeparat Hunnis
Arx vicinorum Martia Pannonidûm:
Fert animus Celtas luſtrare, celebria regna,
Pérvetus a Francis nomen adepta meis.
Commendo ſuperis caput hoc, auræque ferenti:
Sed tamen eſt Belgas viſere cura prior.
Fallimur, an poſtquam populoſa Lutetia nobis
Cæperit intuitu tædia ferre ſuo,
Exſpectat noſtras Aurelia pulchra Camenas,
Et Liger Aonium ſentit adeſſe Deum?

Digitized by Google

Inde per Ausonias iter emetibimur urbes
Trans Apennini culmina celsa jugi.
Nam quoque sese illuc CHAROPVS, *volventibus annis,*
Non immaturo conferet ingenio:
Linquet & Austriacæ jucunda Lycéa Viennæ,
Culta, pari studio mentis, utrique diu.
Nobiscum interea lætare MYLAVRE, *diemque*
Hunc dape jucundum sume, bonoque mero.
I puer, & lepidum velox arcesse FYGERVM,
Quo sine vix poterit integer esse chorus:
SVANSERIVMque *oculis compressis pæta tuentem,*
Quo longê nec abest hinc SALICETVS, *adi.*
Sufficit harmonicæ paria ad modulamina Musæ
Ter mihi lingua duplex, sive bis ordo triplex.
Hánc cape tu citharam, resonaque MYLAVRE *peterra*
(*Nam testudo sonat jam* CHAROPINA) *fides.*
Cras unâ faciamus idem. valedicere vobis
Hora jubet. Salve terque quaterque Geni,
Et tu natalis salve; fidoque sodali
Candidior semper prosperiorque redi:
Donec in Hesperiâ cursu cum laude peracto
Ipse meâ Nymphâ perfruar, ille suâ.

~~AD IOANNEM POSTHIVM.~~

NON *hoc de nihilo est,* POSTHI, *neque vanus ad aures*
Hæc toties sparsus rumor in urbe fuit,
Seditione graves ortâ restare tumultûs,
Sævaque civili bella gerenda manu.
Præcessere mali fera signa, osténtaque visu
Mira Dei, miris prodigiosa modis;
Latratûsque canum diri sub nocte profundâ,

Iraque

Iraque & alternæ trux laniena cutis.
Cælo visæ acies signis concurrere apertis,
Et miscere alacri prælia sæva manu.
Adde etiam, non fallaci temeraria lusu,
Visa prius nostris somnia luminibus.
Nox erat, & tenebris latitabat Cynthia densis;
Mollibus in stratis me premit alta quies.
At vigil, eventûsque memor, cum Pallade vivâ
Constitit ad lecti clara lucerna pedes.
En trepido vacuas tormenta fragore per umbras,
Mæstaque terribiles ære dedêre sonos;
Ære sub aëreis tigno pendentia celso
Turribus. horrendos incutit umbra metûs.
Excitus e somno, vestesque indutus & arma,
Opperior quæ sit rebus habenda fides.
Vix respiraram, fremitu quum fervere magno
Omnia per cunctas visa repentè vias.
Exoritur clamorque hominum, cædesque cadentum,
Pugnaque per plateas aspera, perque domos.
Qualis ubi tenebris confisus equisque citatis,
Improvisus adest finibus Hungaricis
Thrax ferus, & captos abigitque necatque colonos,
Nudatosque cremat rustica tecta Lares:
Aut ubi flamma furens diversis partibus urbis,
Sæviter insani flatibus aucta Noti
Invaluit, rapidêque volans violentior ignis
Arripuit juvenes, arripuitque senes.
Tum pavidæ circum matres, timidæque puellæ
Funestâ plangunt pectora nuda manu;
Dilaniantque comas, lacrimisque per ora profusis
Cælum luctisonis vocibus omne replent.
Non alia heic rerum, POSTHI, *fortuna secuta est:*

Hic ſtatus, hæc Troiæ forma ruentis erat.
Talis erat facies bello Carthaginis altæ;
Talis item priſcæ ſors miſeranda Tyri.
Audiit iſta Liger, Nymphæ audivere ſorores;
Intremuit quaſſâ territa vallis humo.
Audiit, ac viridi muſcoſus ut extulit antro,
Sicut erant cano tegmina glauca, caput:
Me miſerum! nam quos, inquit, ſperabimus hoſtes?
Quæ ſcelerent ripas caſtra inimica meas?
Adſpiciamne iterum ſpumante cruore fluentes,
Sacrilegi tinctas ſanguine Martis, aquas?
Flectite meos retro curſûs pater optime Nereu,
Aut mihi ſub terris ſicca dehiſcat aqua.
Quis furor eſt, bellum placidæ præferre quieti,
Prælia nec pacis poſthabuiſſe bonis?
Nec ſatis eſt, totis in propria viribus iri
Viſcera; nec, civem civis amare necem.
Forſan & externus peregrinis miles ab oris
Conſeret hoſtiles in mea damna manûs:
Impacatus Iber, ſumptisque animoſior armis
Qui ruit a rigidis Alpibus Helvetiæ.
Heu, quot ſcuta virûm galeasve, quot inſuper haſtas
Invitus cernam volvier amne vago!
Aut mihi ſub terris aqua, Nereu, ſicca dehiſcat,
Aut pater hos curſûs optime flecte retro.
Siccine fata volunt? ſic Dij ſtatuiſtis? ab omni
Vndique concurrunt agmina denſa loco.
Saltem ſi qua brevi de te ſperata venirent
Auxilia indigenis, gens Alemana, meis:
Nam (meminiſtis enim Nymphæ) obſidione ſolutâ
Hæc prius optatam gens tulit acris opem.
Æquius interea clades casûsque meorum,

Digitized by Google

Mitius & ferrem triſtia quæque mala.
Hactenus: & plenos lacrimarum turbidus amnes
Fudit, ei flentes aggemuere Deæ.

AD CHRISTOPHORVM COMITEM PAL. RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

Equi proſopopœia.

Si vacat, intentas aures adverte querellis,
Æmulus humani quas loquar oris equus:
Sic tibi ſint ſalvi, lætoque abdomine pingues
Quadrupedes niteant, bellica cura, tui.
Ille tuæ fidei genus obſequioſus ad omne
Servitij, o princeps, quod tibi cumque placet;
Ille tui juſſu patris hac novus urbe Meliſſus
Incola, ab Allobrogum jam regione redux:
Quem prius, Helvetiûm ſuperatis montibus altis,
Ad Rhodanum Nicro ſalvus ab amne tuli;
Inde per algentis metuenda cacumina Juræ
Tergore geſtavi non leve ſoſpes onus:
Quique dehinc uſus me non vectore maligno
Per pluvias, glaciem, ſaxa, fluenta, nives;
Donec Sequanicum Dubim penetrarit & undas
Rhene tuas, Nicri contigeritque vadum.
Ille tuus vates, inquam, tuus ille Meliſſus
Poſt iter, & meriti tot benefacta mei,
Me venum ſtatuit: ſed avena, ſed & quia fenum
Carius hoc venit tempore, nullus emit.
Nullus emit, quamvis juvenem. quinquennia novi
Sola. color Mauri eſt, cetera Teutonicus.
Inſpicias alvum, brevis eſt, velut & caput ipſum:
Colla reor longas nigra decere juba.

Digitized by Google

Prolixa eſt mihi coda ; ſuas nec perdidit aures,
Vt ſolet in terrâ Gallide, noſter honos.
Contemplere pedes, ſolido ferit ungula cornu
Firma ſolum, rectos conglomeroque gradûs.
Luminis aſt acies utriusque coruſcat, ut ignis ;
Vitreüs in tenebris nec mihi uſus hebet.
Hic mihi pes nunquam ſilices offendit ad hirtos,
Nec mea lunato poplite crura labant.
Foſſa iter impediat, ſaltu feror. arduus auſit
Nemo mihi tritas anticipare vias.
Si fluvius pluviis torrens excreverit undis,
Torrentem fluvium præpete trano pede.
Stultius iſta loquor. ſat erit, quòd quamlibet ater
Seſſoris memorer Pegaſus eſſe mei.
Quòd ſi ego cum Friſiis nolim certare caballis,
Haud ideó culper non equus eſſe bonus.
Sumptibus at veſtris ſi me commune fovebit
Hoſpitium (ſupplex hoc meüs orat herus)
Cur ego non potius pars in præſepibus imis
Stem poſtrema, tui quâ ſtabulantur equi?
Aegra mihi macies alióqui contrahet artûs :
Subtrahit infidus pabula juſta famul ;
Tempore nec juſto ſitientem ducit aquatum,
Et ſtrigili parcit, ſtramineoque toro :
Quum tamen interea creſcente pecunia ſumptu
Plurima quottidie connumerando venit.
Vt taceam, citharæ ne poßit tendere nervos,
Sarcina ſim domino cúraque quanta meo.
Iſta ſenex genitor, quo munificentior alter
Vix fuit, in præſens hauriat aure ſuâ :
Hauriat. actutum te dixerit indice credo,
Hæc fuerant dudum ſignificanda mihi.

Digitized by Google

Si renuis, princeps, ut (donec vendar obesus)
Constituar vestros ultimus inter equos;
Fac mihi præberi saltem, quodcumque necesse est:
Alterius stabuli commodus hospes ero.
Hoc quoque si renuis; neque vos tam seria tangunt
Vota; suo meüs hæc jure minatur herus,
Me tibi donatum (licet haud te principe dignus
Sim sonipes) iri, mancipiove datum.
Sit quem sponte tuâ paullum nutrire negaris,
Ipse tibi invito semper alendus ero.

AD HERMANNVM FOLKERSEMIVM.

SÆPE *meam subiit (fateor) miratio mentem,*
Nec semel hæc animo nosse cupido fuit:
Vnde forent HERMANNE *tui, vel mille, profectæ*
Corporis & dotes ingeniique bona;
Pars animi in primis fidi meminisse vel ultro
Lecta, vel attentis auribus hausta prius.
Quippe tibi certans est indole victus Iberus:
Victori palmam conscia Roma dedit.
Totque dehinc, facunde, loqui (vernacula præter
Verba) peregrinis tam bene posse modis.
Tu Solymas calles, Græcas, vocesque Latinas,
Quosque sonos Italus, Celta, Britannus habent.
Quàm nec laude caret gentes peragrasse remotas,
Tam remeare domum non sine laude datum est.
Adde tot eximias junctis virtutibus artes,
Pectoribus sedem quæ posuere tuis.
Gnarus equûm domitor, studioque peritus equestri,
Teutoniæ pessum non sinis ire decus.
Acer ad hæc pugiles scis exercere palæstras,

Digitized by Google

Ritus Olympiaco pulvere qualis erat.
Se neque contulerit tibi Caſtor, ſe neque Pollux:
Quod duo dividuê, ſcilicet unus habes.
Scis bene quid bello, melius quid pace gerendum:
Nec tibi pax odio eſt, Martis ut arma colas.
Quin & Abydeno longê felicior, altas
Cogis in obſequium ſumme natator aquas.
Te quoque pictorem finxit natura politum:
Exprimis artifici vivida ſigna manu.
Pingere quæque manus ſollers, hæc ipſa canendo
Eſt teſtudineüm fingere docta melos.
Audiat hæc vel Demodocus, vel cernat Apelles;
Victus uterque ſuis ceſſerit arbitriis.
Ipſa geometricis radiis deſcripſit & orbem,
Quàm ſit terra ſuis láteque & alta plagis:
Inſuper & cæli dimenſa volubilis axem,
Sidera non fruſtra eſt paſſa micare polo.
Aptus es ad quidvis, omnesque paratus in horas,
Seria conſulto, ſive jocoſa velis.
Quid referam, quantum ſemper, qui caſtra ſequuntur
Muſica, tu multo plus adamandus, ames?
Denique quàm comis, quàm ſis adfabilis; & te
Non niſi Pieriis moribus eſſe juvet?
Cumque gubernandi ſeniore virentibus annis
A Duce ſit juveni credita cura Ducis;
CHRISTOPHORI *Ducis, in patrias quem creſcere laudes*
Opto, Palatinæ ſpemque decusque domûs:
Dicundi ſimul eſt provincia tradita juris.
Nam leges memori pectore quasque tenes.
Idem te, procerum quo non ſapientior alter,
Conſiliis merito gaudet adeſſe ſuis.
Talia miranti (nec enim jam perſequar iſtas

Digitized by Google

Cuncta, quibus famæ est gloria clara tuæ)
Vranie quæsita mihi multiscia causam,
Illico respondit talibus Vranie.
Non illum Dæmon, magiti non spectra cylindri,
Nec cata Thessalicis saga veneficiis;
Nec quantum mortale genus finxere Deastrûm,
Numina quæve colit vana superstitio,
Munere donavere suo: sed originis expers
Ille Deüs, sancti quem coluere patres;
Patres ætheriis imbuti pectora donis,
Cura quibus summum nosse erat una Deum.
Hunc quia Pastorem teneris sibi legit ab annis,
Isaidæ qualem regia Musa canit:
Amne sacræ Charitos cæleſti lotus abunde est;
Amne tot ex illo dona perenne fluunt.
Macte tuis HERMANNE *igitur virtutibus esto,*
Vtitor & tantis perfruitorque bonis.
Nempe tui semper scatebræ Pastoris inundant,
Fontis aquâ latices perpetuante suos.
Hactenus utque fuit Domini bona gratia, sic est
Sitque precor vitæ duxque comesque tuæ.

AD C. O.

ESSE *vides geminas hiemem brumamque sorores;*
Altera de glacie, de nive nata prior:
Quæ veluti generant aliis algumque geluque,
Frigore sic ipsæ nocte dieque rigent.
Vtraque Volcani calido tamen ardet amore:
Cui ne displiceant, semper alantque faces;
Arboreos viduis (spolij o grave crimen!) amictûs
Prorsus Hamadryadum diripiunt humeris.
Faunos & Satyros imploravere puellæ;

Digitized by Google

At neque fert Satyrus, fert neque Faunus opem.
Pana vocaverunt; sed adiverat Arcadas. orant
Nysigenam; tardo sed pede vector erat.
Auxilium Dryadas poscunt & Oréadas; at se
Territa turba arctis saltibus abdiderat.
Pierides fuerant peregré Charite que profecta:
Dicta Nazarum nulla fuisse dam.
Nec potus exustas soror ut raque reddere vestes,
Quas niger absumpsit Mulcibergigne fero.
Naiadas orassent tales exstinguere flammas;
Talibus in flammis non habet unda locum.
Ac ut habere locum potuisset, ubique gelatus
Concreto Nigri stabat in amne rigor.
Supplice restabat solum prece flectere Phœbum;
Sed procul illarum vertice Phœbus erat:
Solstitialis enim Capricorni tergore vectus,
Indeclinatos lentus agebat equos.
Denique confugére focos ad egentis egenæ;
At mea (confiteor) non nimis ara calet.
Si nequeo miseris quanquam succurrere promus,
Non tamen ignarus nuncuper esse mali.
Tu quoque si nosti, consulte, quid exigat usus,
Commoda nudatis ne rogo vela neges;
Arida vel saltem primùm sarmenta procúres:
Juppiter hospitibus propria jura dedit.
Quòd nisi consilium properes reperire, timendum est
Ne necet algentes frigus Hamadryadas.
Pauca recusaris vivis; dein plurima frustra
Funereo dederis ligna cremanda rogo.
Sic, ut hiems & bruma fuit primaria causa,
Aliera tu miseræ causa ferere necis.

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI ELEGIARVM LIBER QVARTVS.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

QVÆRERE delicias atque oblectamina vatum est,
Jucundumque aliæ liberioris iter.
Silva nemusque virens, & flore fragrantior Iotus
Adficiunt mitis pectora perlecebris.
Nunc juvat in fluvij ripis aut margine fontis
Ad strepitum liquidæ pangere carmen aquæ,
Nunc altas valles aut montis acumina celsi
Disparitèr junctis exhilarare modis.
Scribentem pulcher delectat ELISA recessus,
Antraque muscosis obsita cæspitibus,
Sub medio quæ Sole beatæ sibilus auræ
Percurrit tacitis instrepitans foliis.
Garrula fraxineæ fidem sub tegmine frundis
Integrat arguto luscinia ore sonos.
Ergo vernat ovans dulci philomela canore,
Provocat & claro gutture turdus aves.
Parte aliâ queritur sociæ nigra fata palumbes,
Ingeminans mœstæ flebile vocis opus.
Voce carens propriâ planctûs resonabilis Echo
Consimilem, & similes æmula dat gemitûs.
Terra solens fundo commota remúgit ab imo;

by Google

Commistosque sonos antra nemusque bibunt.
O quoties tales Dryadum me turba faventum
Vidit secessûs vere tepente sequi!
O quoties REGINA *tuum nomenque* ROSINÆ
Clamavi solis abditus in latebris!
De te deque meâ sperabâ sæpe canendo
Mille dedi numeros, carmina mille dedi;
Quorum sensa leves Satyri Faunique bicornes
Trita per alternas edidicere vices.
Rusticulam quoties cœpere inflare cicutam,
Rustica prolusit suave cicuta melos.
Ad numerum choreas pede plausit Oréas utroque,
Tibia dum Phrygios edit acuta modos.
Aërias vidi motasse cacumina pinus;
Cum piceis ornis sustulerunt que caput.
Vsque adeó rupes ipsas nodósaque flectit
Robora præsensæ spiritus harmoniæ!
Jura mihi testis loculples, saltûsque Thyringi,
Æolus & densâ creber in Alpe sonans:
Pinifer ipse etiam, fluviorum oculata quadriga,
Testis, & Hercynij scabrâ crepido jugi.
Pinifer o salve, nubes qui vertice tangens,
Bis binis præbes ordia fluminibus.
Solis ad occasum Mænus fluit, Oegrus ad ortum:
Ipse petit Boream Sala, Notumque Nabis.
Salve o monticolis pater agnoscende Variscis,
Et fontes lymphis eggere perpetuis.
Quòd mea si placuit cupressigero Silvano
Phyllis, item Pani Thestylis indigenæ;
Nostra fac arbuteâ crebro cantata sub umbrâ
Incidas teneris carmina corticibus.
Efficiasque sonent venerabile nomen ELISÆ,

Quotquot habet patrios ſilva comata Deos:
Naiades in primis fortunataeque Napaeae,
Quas prope radicem caeſpes opacus alit;
Vnus & alter ubi Maeni fons exit amoeni
Limpidus, irriguis congeminatus aquis.
Indeque Francorum per agros tempêque volutus,
Et celerans multis amnibus auctus iter,
Oppida multa lavit, tandemque rapacis in undas
Rheni praetumidis influit agminibus.
At tu ſceptrorum rectrix longaeva potentum,
Triplice Pindarica digna canore tuba,
Ne rogo ne gracilis modulamina deſpice cannae,
Quae mihi ſimplicibus ſtridet inepta ſonis.
Naturae ſequimur, non artis idonea juſſa:
Tu cedo nativis ſponte locum calamis.
Non ſemper lituus delectat grandior aures:
Saepe meret ingens Muſa puſilla decus.
Nec ſemper magnis ſpectatur gloria factis:
Magna etiam parvis gratia rebus ineſt.

AD IOHANNEM HAGIVM.

Amorem divinitus eſſe ingeneratum in hominibus; unde Poëtarum ſcriptis decantatiſſimus ſit.

SI QVID in humano genere eſt, proclivius ad ſe
Mentes blanditis quod trahat illicijs,
Vimque ſuam inſtillet totis Geniumque medullis,
Fúgeque ineſcato pectore nectar alat:
Certe Amor eſt, HAGI; cui fronte Modeſtia rectâ
It comes, & niveo corde pudica Venus.
Purior hunc Aether olim generavit, & intra

Succenſas juſſit regna tenere fibras.
Nunquam illi deſit Cytheréæ fomes honeſtæ;
Nunquam, lætitiæ cauſa caputque, faces.
Primus Amor ſexum discrevit, & omnibus unam
Ex Nymphis lêgit conſociare viro.
Primus Amor prolem dedit, & connubia ſanxit
Poſtera legitimus usque tenenda modis.
Idem complexus docuit genitaliter aptos,
Baſiaque alternis pangere preſſa labris.
Primus Amor paci ſtuduit, lætæque quieti;
Bellonamque trucem miſit in exſilium.
Illius inventum eſt ludos aperire docentum,
Excultâque animos arte polire rudes.
Ille idem populos magnas obſtrinxit & urbes;
Deſertosque vetat rure & in urbe Lares.
Ille Amor æquales vimelis conglutinat arctis,
Conſtanti jungens mutua corda fide.
Non ita de ferro ductos infibulat orbes
Inter ſe nexu firma catena pari;
Nec tam compactâ coaleſcit in arbore ramus,
Auctaque nativâ robora frunde capit:
Quàm potis eſt animos Concordia ſancta tenaces
Non diſſolvendis nectere fœderibus.
Fortius in terris nihil eſt, quàm numen Amoris,
Quæque itidem vero flamma ab Amore calet.
Nimirum veteresque Sophi, doctique Poëtæ,
Abdita queis rerum noſcere cura fuit,
Quanta forent penitæ, ſenſere, incendia flammæ,
Quamque flagrans avidis Ætna Cupidinibus:
Vt nequeant nec aquis, nec terræ mole revulſæ
Obruta, nec diro fulminis igne teri;
Non, ſi grande Jovis tonitru labefactet Olympum,

Aut Nereus toto ſæviat Oceano.
Nec certê, ſi nube nigrâ latus obſita denſum,
Cimmeriam offundat Juno potens nebulam,
Abſcondi patiantur. habent alimenta calores
Vivida, ſidereis fota perenne focis.
Phosphorus innatos virtute reſuſcitat ignes,
Mollior adflatu quos fovet Aura ſuo.
Sol radiis inſtincta movet præcordia vatum;
Stella bonas artes dat cata Mercurij:
Dant alias aliæ. ſic propagare laborat
Indita naturæ ſemina quisque ſuæ.
Tunc igitur rerum prudens miraberis, HAGI,
Vatibus a priſcis ignea tela cani?
Tela, quibus victor quandoque vel Hectoras urget,
Sauciaque efflictim corda perire facit.
Multa quidem pro more ſatis luſere licenter;
Laſcivitque animi luxuriantis opus:
Excipias obſcena; pudens nihil auris habebit
Offenſam quo ſe poſſit anile queri.
Finge ea, quæ paullo tibi liberiora videntur,
Dicier in caſtis ingenuisque toris:
Ecquid in his vitij eſt? quaſi verò nulla Pudori,
Nulla verecundis ſit data cauſa Jocis.
Turpius interdum dictu factuque maritis
Quiddam uſu, veteres quàm meminere, venit.
At verò non id vulgandum. Quid, quòd & illi
Verbis ficta nothis & ſimulata canunt?
Scilicet ut proſint, ut delectentque legendo.
Sis bonus interpres, nil erit inde mali.
Obvia ſunt veterum, ſunt obvia multa recentum:
Mentem adhibe caſtam, crimine lingua vacat.
Fallimur, an teneris anima eſt Amor ipſe Camenis,

Digitized by Google

Vivacisque illex proditor ingenij ?
Nonne dedit vires ardenti pulchra Catullo
Lesbia ? Naſoni bella Corinna ſuo ?
Virgilio juveni memores Amaryllidis ignes
Primum bucolicos elicuere modos.
Delia ab interitu gracilem Nemeſisque Tibullum
Vindicat ; Auſonium Cynthix Callimachum.
Ingenium fama eſt acuiſſe Lycorida Gallo ;
Et Cinnam Veneris mella animaſſe ſuæ.
Quinctiliam Calvo rape, Leucadiam Varroni ;
Languida vis Calvi, languida Varro tua eſt.
Quid memorem reliquas ? oculos exempla fatigant.
Inſtar multarum ſuppleat una vicem.
Viſa ſemel Tuſco Narbonia LAVRA *Petrarchæ*
Non tam animum rapuit, quàm cor alácre dedit.
Virginis in laudes ut carmina multa ſuperſunt ;
Quæ vatem prohibent cum tenero igne mori !
LOTICHIVM *taceam, quo nobile vate fluentum*
Cynthis it, & puras eg gerit Acis aquas :
Acis Acidaliæ ſolitus reſtinguere Divæ
Nympharumque hauſto ſæpe liquore ſitim ?
LOTICHIO *libuit priſcorum imitarier umbras,*
Nec canere imparibus carmen inane ſonis.
Mollia quo melius fluerent in carmina venæ,
Naturæque opulens ars adhiberet opem ;
Auribus & doctis poſſent tot ſcripta probari,
Gratiaque argutis maior ineſſe modis :
Purpuream faculis Erato jucunda puellam
Objecit, dignam vatis amore ſacri.
Quem ſimul Aonidum liquidâ circumluit undâ,
Impoſuitque nigris myrtea ſerta comis ;
Mox ait : O ſidus noſtrum, feliciter arde,

Digitized by Google

Et gere ſub caſto regna pudica ſinu.
Dumque licet, faciles ſectare per otia Muſas,
Et fruere ætatis flore, tuisque bonis.
Tempus erit, gelidum quum liqueris Albidos amnem,
Et quæcumque animo grata fuere tuo;
Nam fruſtra retinere volet veſtigia eüntis
CLAVDIA, *profuſis ora madens lacrimis:*
In Celtis dabitur TVNICATA, *vel orbis Iberi*
Finibus, arguto lumine CALLIRHOE;
Quæ facie referens Saxonidos ora puellæ,
Caucaſeo ſimilem te faciet lapidi.
Illius at niveis compones carmen in ulnis,
Solamen veteris, quam novet illa, facis.
Poſtmodo Felſinei, quod ames, dabit Apennini,
Inter læta ovium paſcua, dulce jugum:
Qua Sculſenna ruens (Panarum nunc ruſtica pubes
Indigetat) liquido præterit arva pede.
Denique Teutonicas redies cum ſoſpes in oras,
Te capiet blandis PHYLLIS *amans oculis:*
Phyllis ad herbiferi ſata flumen amabile Nicri,
Vltima fervori cura SECVNDE *tuo.*
Hactenus. Evenere Deæ præſagia ſenſim,
Irrita nec celeres verba tulere Noti.
Lenior hinc Elego pede Muſa cecurrit, & omnes
Omnibus & Veneres clepſit & Aglaïas.
Acceſſit Lycidas, Sarnis, Viburnus; & umbra
Daphnidis, atrato tergore vecta Capri:
Præterea Nicer, & deſponſa parans Hymenæus
Feſta Palatini lætus in arce ducis.
Plurima item, Lacheſis pollex quibus ille proterva
Abnegat extremam vatis adeſſe manum.
Hei mihi, vix decima impleras trieteridis ævum,

Digitized by Google

O decus & numen Petre SECVNDE *meum;*
Cum tibi projecto fati metuenda potestas
Obrueret clarum nocte nigrante caput,
POSTHIVS *& fractos animam exhalantis ocellos*
Clauderet humectâ flensque gemensque manu.
Ah utinam denos saltem protraxet in annos
Parca rapax vitæ stamina pulla tuæ;
Ducere protelo quantum licuisset agellum
Ingeny! quantas fenus adauxet opes!
Docta quot in lucem nobis monumenta dedisses,
Quæ nunc in tenebris cuncta sepulta jacent!
Magna Poëtarum seges est & larga malorum,
Quos aliquid vulgus, ceu solet, esse putat:
Contra, supremo tandem nisi funere mersis,
Gloria nulla bonis, nullus habetur honos.
Incolumis virtus odio est: sublata repentè
Ex oculis, frustra quæritur Invidiæ.
Nos quoque (si numero vatum non eximor, HAGI,
Si qua meis vis est ingeniosa libris)
Speratam numeris fictis cantare ROSINAM,
Per bis terna ferè lustra peracta, juvat.
Illam ego nec visam, nec posthac forte videndam
Depereo, miserum tostus amore jecur.
Illam ego per sentes aspros, & inhospita tesqua,
Exterus ignotis advena quæro locis.
Nullus ad arbitrium versus mihi, nulla sine illâ,
Tunc quoque cum meditor seria, Musa venit.
Sive diem cælo Matuta revelet aperto,
Seu fuscus gelidam Vesper obumbret humum;
Illius optatos suspiro cernere vultûs,
Quos Morpheus oculis subdidit ante meis:
Jucundisque inhians simulacra retecta figuris,

Materia

Materiæ ductum, corpus ut umbra, ſequor.
Non mihi propoſitum eſt laſcivo fallere luſu
Tempus, & impuro deterere ora ſale.
Odi ego Lampſacios, puerorum incommoda, verſûs:
Caſta verecundæ carmina mentis amo.
Attamen innocuæ mellita reperta Camenæ,
Quæque Amor inſomni nocte iterare jubet,
Cur tendam ſepelire prius, quàm nata videntur,
Aut Genio fraudes arte parare vafrâ?
Quin potius documenta ſuæ ſcitiſſima formæ
Promere ſub lucem dædala Pallas amet.
Hæc ſuscepta mei ſunt argumenta laboris;
His vagus erro diu ludor imaginibus:
Forſan & his alij ludentur; vera putantes,
Quæ ſpeciem veri decipientis habent.
Credula res, nugæ. ſic oblectamine falſo
Ludicra vulgavit carmina Veſelius;
Candida cui ſtimulum virtutis ad optima quæque,
Adplauſum Phœbo non renuente, dedit.
Verùm inventa tamen labra, mendaciſſima labra,
Tam celebris famæ detrahere auſa viro.
Nempe ſibi gaudent alienum arrodere nomen
Nequam homines, digni dente perire ſuo:
Deliciasque putant inſonti poſſe nocere;
Heu malè turba ſui conſcia flagitij.
Peſſimus ut quisque eſt, ita peſſima fingere ſuevit
Crimina de juſtis & ſine labe viris.
Trita via eſt, culpare bonos: ſed honeſta bonarum
Conari rerum munia, rara via eſt.
Stultorum nemo ſapit, ecquid carminis artem,
Aut ipſos deceat carminis artifices.
Quod ſupereſt, HAGI; *nos (en dextramque fidemque!)*

Turba Poëtarum qui ſtudioſa ſumus,
LOTICHII famam ſincera tuebimur ultro
Poſteritas, linguæ contra aconita malæ:
Illius & Manes nunquam patiemur inultos,
Carmine pro patriis excubitore focis.
Me quoque, ſi merui, defendet SCALIGER ipſe,
Scaliger Aonij dux que comesque chori:
Nec ſinet æternâ victuram laude ROSINAM
Fortis egere ſuo DOVSA patrocinio.
Re præſtabit idem culti LERNVTIVS oris,
Aptaque pro Muſis induet arma meis.
Denique non deerit referire EVMOLPIA virtus,
Hoſtica miſſilibus corda petens jaculis.
Nam quia guſtarunt ſemel intemerata mearum
Munera, quæ ſucco roris aluntur, apum:
Neſcio quâ genialis Amor melligine vates
Lactat, & oblitos non ſinit eſſe favi.

AD ROSINAM.

EN mea ſunt acri transfixa Cupidinis arcu,
Et nimis hei cæcum pectora vulnus alunt:
Vulnus alunt herbis ſanê medicabile nullis.
Morbum nec curant verba nec herba meum.
Sola ROSINA meo poteris medicare dolori;
Sola mihi curas demere corde graves.
Vnica conſumptis potes artubus addere vires,
Vnica languenti ferre ſalúbris opem.
Vrit amor mentem meditanti nomina ſolum:
Quôque magis meditor, ſævius urit amor.
Ac ſubit in primis lætiſſima lucis imago,
Obvia quâ primum lumine viſa mihi es.

Digitized by Google

Festa dies erat : hacce novo nova nupta marito
Vincla sacræ cesti dissoluënda dedit .
Suavibus in septis horti pudibunda legebas
Pallentes violas , Elysiasque rosas .
Heic ardens in te quum lumina fixa tenerem ,
Vultibus hærebas tu quoque fixa meis .
Ingemui ; trepidæque micant in pectore fibræ ;
Et sensi totas pallidus esse genas .
Spectantis nitido mistum candore ruborem
Nescia conticuit lingua pudore loqui .
Protinus accendit mihi subdita flamma medullas ,
Inque meo regnans pectore crevit amor .
Tum quæ sis rogito ; neque enim mihi nota fuisti
Antè , peregrinâ dum moror obses humo .
Hinc flammas hausi , rapidosque sub ossibus ignes
Concepi , formæ raptus amore tuæ .
Vix ita floridulo speciosa Semiramis ore ,
Vix Helene talis , púlchrave Nais erat .
Inferior longê est formâ pulcherrima Juno :
Flava tibi cedit Pallas , & alma Venus .
Ceu niveo suffusa nitet rubra purpura lacti ,
Albave puniceis lilia juncta rosis ;
Sic faciem roseo pinxit natura colore ,
Sic color in niveis purpurat iste genis .
Sidera Tyndaridûm radiis tua lumina vincunt ,
Præcipua flammæ cáusaque faxque meæ .
Non frontem mirer sine rusticitate pudentem ?
Lábraque Erythræis æmula coraliis ;
Labra adeó facunda loqui , linguamque disertam ,
Vérbaque Cecropij nectare tincta salis ?
Vt crines flavent ! ut candet eburnea cervix !
Vt nivea incingit colla monile teres !

Fbera vel malis ſunt adſimilanda rotundis
Candida, conſepto non reſeranda ſinu.
Qui decor inceſſu! quàm ſplendidus arte paratus!
Quæ levitas manuum, ſtrenuitasque pedum!
Singula quid referam? præſtanti corpore tota es;
Tota es præſignis, tota decóre nites:
Moribus & caſtis es prædita. propter eosdem
Te quoque plus, quàm quis credere poßit, amo.
Carpor amore nimis, caſto tamen. O pare flammâ
Et ſimili telo ſaucia corda geras!
Sentio nunc demum, nec longo edoctus ab uſu,
Quid ſit, dum rapidâ me face torret, amor.
Oro ſed ignoſcas ignes animumque fatenti:
Verus amor (cernis) neſcit habere modum.
Te mihi præ reliquis, quas urbs habet iſta, puellis
Eligo, cui dicam: Tu mihi ſola places.
O liceat tecum traducere mollia vitæ
Quamvis deſertis tempora litoribus!
Sit mihi, ſeminium ſtirpis, qui filius olim
Te caram matrem, me genitore, vocet.
Annue quæſo meis ardentibus annue votis,
Aure meas ſurdâ nec bibe dura preces.
Hoc animo ſedeat, quòd crimine purus amarim:
Nullus in hoc unquam pectore fucus erat.
Proinde meum ſperemne tuo, carißima, tandem
Conjungi lateri poſſe ROSINA *latus?*
Vive, memor noſtri, Pylios longæva per annos;
Hæcque tuam mentem tangere vota ſine.
Sim maneamque tuus per ſaxa, per arma, per undas;
Perque ignes; gravius ſiquid & eſſe poteſt.
His mea vita vale, vale o mea ſumma voluptas?
Vtque diu vivam, lux mea vive diu.

Digitized by Google

AMYNTAS CHRYSOGONÆ.

NVNC *erat, ut mentem mutares prona ſupinam,*
Intempeſtivas nec ſequerere vias.
Nunc erat, ut ſociata meos paterere lacertos
Amplexum circa ſerpere rite tuum;
Ex quo CHRYSOGONE *magno deperdita amore*
Noſtra tuis cepſti lumina luminibus.
Nunc quoque tempus erat feſtas celebrare calendas,
Horreaque & plenas meſſe replere domos.
Adſpice, pampineis latet heic quàm multa ſub umbris
Vva! coronatâ fronte Lyæus adeſt.
Frunde Lyæus adeſt viridi cava tempora cinctus,
Gratanturque tibi ſpicea ſerta Ceres.
Regius heic mons eſt; frundent juga conſita Baccho:
Regia ſubmotis vina bibuntur aquis.
Illa negat regio vites, non éducat uvas,
Quam petis: horrendis tota refercta rubis.
Vix ibi proveniunt ſilveſtribus arbuta cornis;
Vix teres hirſuti baccula juniperi.
Pro lauris natos piceæ de ſtipite conos,
Pro myrto & nardo dura filicta leges.
Poſtmodo non unquam fuerit tibi copia noſtri:
Tunc tibi non vinum, cocta bibetur aqua.
Delicias ruris noſtri dehinc ſæpe requires,
Naviger & varias quas vehit amnis opes:
Sed fruſtra neglecta redit occaſio nunquam,
Nec ſors præteritas reddit inulcta vices.
Crede mihi; neque enim mentem præſagia fallunt;
Vilibus optares mecum habitare caſis.
Ruſtica pendérent fixis conópea cervis;

Tibicen fultus vite virente foret.
Ah utinam, dices, non huic sim juncta Dromoni,
Per fas perque nefas qui vafer auget opes.
Hei, cur non potius placuit mihi pauper AMYNTAS,
Cui dedit Euterpe carmen, Apollo lyram?
Quàm cuperes mecum hibernas requiescere noctes,
Et mecum æstivos rure manere dies!
Mecum cantares; cita pollice fila Philander
Pangeret, aut Cratyli dextra rotunda mei.
Ac fidium scitus neque MERGILLETVS *abesset,*
XELLA *nec ornatis* EXTROPHIVS *que comis.*
Parvulus ad numerum tenerâ saltaret in herbâ
Myrtilus, & fratris Susia parva soror.
Maternos premerent oleagina serta capillos,
Vinciretque patris myrtus odora caput.
Atque aliquis faustos ibi contemplatus amores,
Fertilis admirans gaudia conjugij;
Quàm mentes horum conjunxit prospera Juno!
Quàm fuit his thalamis, diceret, æquus Hymen!
Eheu, nequicquam tibi persuadere laboro:
Vana mihi stulto gutture verba cadunt,
Non vicisse meum est, supplex tibi mille licebit
Mitia protentis vota feram manibus.
Qui mihi Sol luxit, latet heu ferrugine tectus:
Luce solet pulsâ nubilus ire dies.
Quam mihi nupturam speravi, præripit alter.
O Venus, indignum tanto in honore locas?

ROSINAM ANHELAT.

SOLVS *ut hæc nemora & silvas montesque pererrem,*
Subque altæ jaceam tegmine castaneæ;

Digitized by Google

Phœbe vides, ocule o mundi clariſsime; & idem
Quæ mala pertolerem tædia, Phœbe vides.
Hei mihi, quot creber ſuſpiria quántaque fundo!
Hei, quantos gemitûs pectore quotque traho!
Vix totidem tantosque imis pulmonibus hauſtos
Cuiquam hominum fundi poſſe trahique rear:
Vix toties tantoque ardens inhiator amore
Prenſaſti Daphnes candida colla tuæ.
Mi domus anguſta eſt nimis árctaque; nec potis aër
Trans intercluſas ſponte meare fibras.
Non mihi ſufficiunt valles, non æquora campi;
Ardua dant auræ ſed loca ſola ſatis:
Vsque adeó, ventorum agileis oneroſius alas
Ponderis ut multi ſarcina magna gravet.
Me venatorem ſilvatica turba luparum
Increpat, & ſannis excipit omnivolis.
Laſcivi pueri me inclámant ſæpe Phaliſcum;
Cuſtodes pecorum ſcommate ſæpe petunt:
Laſciváque canunt inter vineta puellæ;

PAVPERIS HEIC DOMINÆ FILIVS
ECCE VENIT.

Ag gemite o nemora, o ſilvæ. vos ſurgite montes
Altius: exſcendam celſius ipſe miſer.
Exſcendam, gemituque & ſuſpiratibus auctis
Faunis ærumnas exonerabo meas.
Forſan Hamadryadum ſolis latitabit in antris
Vna, ſilente meos aure bibens gemitûs;
Quæ cauſam miſerata meam ſolantia dicet
Verba, quiritanti non aliena ſono.
Sicut anhelando calidos ſuſpirat ob æſtûs
Hinnulus irriguas, dum ſitis urget, aquas;
Sic animus rapido mihi torridus æret ab igni,

Ardoris cupiens juge refrigerium.
Huc ades o Zephyre, a Rheni me tractibus adsta
Leniter, exustæ temperies animæ:
Aut potius caram mihi redde o redde ROSINAM,
Quàm tenet occiduis urbs Monodora plagis.
Redde precor; flatuque levi mea dirige vela:
Sic cessent fratrum turbida flabra trium,
Flabra trium cessent, Euri Boreæque Notique:
Queis mittam pennis verba notata meis.

SVPPLICIS HÆC ZEPHYRVS CERTISSIMA VOTA MELISSI
IRRITA NEC VENTIS, IRRITA NEC DAT AQVIS.

AMYNTAS IN DISCESSVM CHRYSOGONÆ.

QVANDO igitur nullâ dulcedine patria ducit,
Núllave te tangit cura, nec eius amor;
Carior esse tuis tibi quæ debebat ocellis,
In quâ tot Nymphis vivere dulce fuit:
Nec tibi sunt Charites cordi, neque Phœbus Apollo;
Nec tibi Pierides numina nostra placent:
Nec te quæ cecini suavissima carmina flectunt,
Teque juvat nullo Musica blanda sono:
I, scopulos pete dura aspros, & inhospita tesqua
Montis, inoffenso vix adeünda pede.
Scilicet excordes inter referere Pityscas,
Stant queis strumosis tubera gutturibus.
Quid me spe longum lactasti tempus inani?
Quid mihi per famulam missa subinde salus?
Quid mihi flagrantem quæ testaretur amorem,

Digitized by Google

Non ſemel heu vincto ſcripta tabella pede?
Siccine me ſpernis? mihi ſic illudis amanti?
Non tua verba Notos irrita ferre putem?
Tu levior foliis, rapidâque incertior undâ;
Inſtabilisque tuum cor malè verſat amor,
Ipſa ſubornaras nuper, vaniſſima, quemdam
(Vix mihi fraus primum credita veſtra fuit)
Semina verátri calamo qui immiſſa cavato
Naribus inſtaret pulverulenta meis;
Tunc cum ſub patulæ recubantem tegmine mali
Preſſerat in viridi gramine verna quies.
Tu fugis ad ſocias, & earum innexa lacertis
Non poteras riſu diſſimulare dolum:
Si neſcis, in te rectê torquebitur iſtud:
Sicui forma potens, hæc levis eſſe ſolet,
Lubrica CHRYSOGONE, *nimium ne crede colori:*
Virtus ſola manet, forma ſuperba perit.
Heu, gaudesne adeó peregrinâ vivere in orâ,
Dulcia nec patriæ linquere rura grave eſt?
Per juga, per valles illum, per ſaxa, per ignes,
Per freta, per pluuias, perque ſequare nives;
Quem ſervilis amas, quòd maxima poſſidet auri
Pondera, quod lanæ vellera mille rudis:
Quem delegiſti tibi ſordida, ſæpe quòd illi
Ære gravis ſoleat dextra redire domum;
Quamvis ille brevis, quamvis ego longior eſſem.
O tua plus nimio dedita corda lucro!
Barbarus en captâ prædâ potietur: at ipſe
Nil ſum venatus, præter amare, miſer.
Sed tamen excepi multeſima ab ore ſuperbæ
Rapta (ſinebat enim) baſia Chryſogones.
Chryſogone perverſa, nihil mea carmina curas,

Digitized by Google

Purpureus quæ me ſcribere juſsit amor?
Sunt mihi Pegaſidum dotes, ſunt dona Minervæ:
Aúſones & Galli carmina noſtra legunt.
Ille odio dignus Muſarum numina temnit,
Palladiæ vacuum pectus & artis habet,
Queicum victura es, queicum te cernet euntem
Pagus, cui ſterili ſaxa dedere notam.
A ſalebris nomen ſaxisque ignobile traxit.
Mirum, ibi ni fias tu quoque, dura, lapis:
In qualem verſum corpus Sipyleidos olim,
Et Cypriæ memorant corpus Anaxaretes.
Interea molli condens ego carmina verſu,
Triplice fortunæ ſpe melioris alar.
Ipſa inhies opibus cumulandis: at mihi pectus
Artibus eruditat Pallas amica ſuis.
Sint tibi divitiæ cordi: mea Cynthius ora
Dulcibus Aonij fontis inundet aquis.

HELENVS MYRTILÆ.

MYRTILA *Caſtaliæ decus immortale caterva,*
Dignior ante alias vate puella viro,
Lacteolâ niveæ quæ vincis imagine formæ
Candida purpureis lilia miſta roſis:
Dic, tibi pro vero quod pignus amore reponam?
Quod pretium fidei ſuave merentis erit?
Quâ ratione, quibus ve modis, manifeſta rependam
Signa voluntatis tántaque totque tuæ?
Viſere longinquas gentes niſi fata juberent,
Scilicet & Celtas Heſperiamque ſequi,
Meque niſi in mediis fervente caloribus æſtu
Antè fatigatum dura gravaret hiems:

Digitized by Google

Non aliam cuperem Nympham præ mille Deabus:
Vera loquor; non, ſi me Venus ipſa petat.
Laudibus inſignes inter, me vate, puellas
Carminibus poſſes nomen habere meis.
Hoc facit in primis pietas, moresque venuſti,
Et decor, & probitas, ingenuusque pudor.
Hoc blandi faciunt oculi, vultûsque decentes,
Candidulæque manûs, candidulique pedes.
Hoc faciunt mollesque genæ, pectusque pudicum.
Adde quòd es docto nata puella patre:
Cuius tantum alios ſuperat ſapientia, quantum
Stellis præ reliquis Heſpere clare micas.
Qui me non aliter, quàm verê ſi ſuus eſſem
Filius, ex animo nec ſimulanter amat:
Quemque, velut patrem, ſolidâ pietate viciſſim
(Illius hoc meruit gratia ſumma) colo.
Quin etiam talis tibi contigit optima mater,
Optaret qualem quilibet eſſe ſuam.
At ſperare grave eſt, timor omnis amantibus obſtat:
Res tacitæ plena eſt anxietatis amor.
Si qua tamen, mea vita, tui ſpes reſtat habendæ,
Si pater & mater non aliena movent;
Accipe daque fidem. nil te mihi cariius unâ:
Vxor es ingenio clara futura meo.
Lesbia docta volet meritam tibi cedere palmam,
Delia nec potior laudibus eſſe tuis.
Se tibi præferri formoſa Corinna negabit,
Pulchraque Romani Cynthia Callimachi.
Ipſe ego frundenti redimitus tempora lauro,
Deducam teneris carmina blanda modis.
Tuque ſedens patulæ viridante ſub arboris umbrâ,
Florida quâ denſam vitis opacat humum,

Digitized by Google

Cantabis mecum resonabile carmen in auras,
Hærebuntque suis myrtea serta comis.
Cuncta mihi tecum, tibi erunt communia mecum;
Mutuus ipse tuus, tu meus ardor eris.
Nunc licet hinc abiens te tristem forte relinquam,
Gaudebis reditu lætior ipsa meo.
Per duo Penelopen (mora longa) decennia castam
In viduo perhibent secubuisse toro,
Sæpius absentem dum suspiraret Vlyssem,
Falleret & dubios tela retexta procos.
Non ego ut exspectes duo' flagito lustra vel unum;
Dimidij saltem copia facta, sat est.
Da breve quæso meis tempus spatiumque Camenis,
Ne cogar cæptas destituisse vias.
Firmior ambobus sic olim creverit ætas,
Et venient sero gaudia plura toro.
Æqua peto; facies quodcumque videbitur æquum,
Quidquid & heic statuet mitis uterque parens.
Quos ego carorum dilecta per ossa parentum
Obsecro: sic tumulo molliter illa cubent:
Perque tuas, mea vita, faces, nostrosque calores,
Perque tuos oculos, sidera nostra, rogo,
Te mihi, meque tibi, sociali fœdere jungant;
Si mereor, si non sum tibi vilis ego.
Pollicita es certê, consensu nempe tuorum,
Et tuus hanc nuper spem mihi fecit amor.
Ne metue incensi profiteri pectoris æstûs,
Neu quæ contulimus dissimulare velis.
Haud vereor tali temerarius arguar ausu;
Omnia sunt nobis præmeditata diu.
Exitus in superis: superis parére necesse est,
Seu fuerint aliquid quæ peto, sive nihil.

Digitized by Google

Sit alij quamvis tedâ ſocianda jugali,
Spes ſit ut heu voti vana futura mei;
Haud mea mens longum ſubito deponet amorem,
Qui non immemorem me ſinit eſſe tui.
At citò fac mea lux (quid enim dilatio prodeſt?)
Reſponſis poſſim certior eſſe patris.
Sequana me dudum, Rhodanique celerrimus amnis,
Auſoniyque manet fertilis ora Padi.
Vt res cumque cadent, lacrimis ſuper ora profuſis
MYRTILA *digreſſum flebis anhela meum:*
Flebis, & alternis HELENVM *complexa lacertis*
Voce levi dices: Fac redituru eus.
Ibimus, an ſic re cogente manebimus ultra?
Mens maneam ſuadet, fata ſed ire monent.
Ibimus ergo, tui memores; quascumque per oras
Sidere me læto ſorsve Deusve trahet.
Dum tamen externis, mea lux, regionibus abſum,
Nil eſt quod dubites de probitate meâ.
Juro tibi ſanctè, nec me malus auferet error,
Me ſervaturum teque ſacramque fidem.
Interea mea vita vale, lux unica ſalve:
Faxit Hymen, conjux ſim tibi, tuque mihi.

LYGDAMVS PROCVS THYMBRIÆ AD CAMILLVM.

BIS *quater (heu toto ſpatium diuturnius anno)*
Cynthius Heſperio gurgite lavit equos:
Ex quo cuncta ſuæ tibi ſenſa recondita mentis,
Arcanumque animi credidit omne ſui
LYGDAMVS *ille tuus, longoque domeſticus uſu,*
Ille tuum venerans, cane, fidele caput:

Digitized by Google

Ille tuæ caſto neptis ſuccenſus amore ;
Cuius amore etiam non minus illa flagrat .
Quæ mihi nunc miſero reſponſa dabuntur amanti ?
Aut quam ſpem dubio verba relata ferent ?
Ah quoties curis vigilatam inſumere noctem
Cogor , & abruptas in requiete vices !
Ah quoties triſtis mihi ſurgit anhelitus arcto
Pectore , & evicte ſæpe fluunt lacrimæ ;
Eventura meæ timeo dum ſæva repulſæ
Damna , procelloſo læva minante Noto .
Non animum verni recreat clementia cæli ,
Aura nec appulſu lenit amœna ſuo .
Ac neque purpurei nunc arva perambulo ruris ,
Frondoſi nemoris grata nec umbra juvat .
Amplius & pulchris jam non ſpatiamur in hortis :
Ipſa mihi Lalage ſordet , & ipſa Chloë .
Solus at occultis latitans ſecretus in antris ,
Carmina væ mæſti plena doloris hio .
Dumque aliquid meditor , crebris ſuſpiria duco
Motibus , haud ullis diſſimulanda modis .
Forſitan & cauſam tandem ſentitis amici ,
Quòd miſer heu toties & ſine fine gemo .
Sic Cephalus periit Auroræ captus ocellis ;
Sic Lunæ formâ Latmius Endymion .
Difficile eſt animi rapidos abscondere motûs ,
Nec facile adfectu temperat acer amor .
Eſtur ab igne jecur , mens ægra fatiſcit , & iusque
Cor micat , ancipiti ſpeque metuque tremens .
Hinc ſolitæ me deſtituunt in corpore vires ,
Et color infecto luridus ore ſedet .
Quin & flos noſtræ flacceſcis aprice juventæ ,
Totus & exhauſto pænè vigore peris ;

Digitized by Google

Non ſecus arenti marceſcit ut ocimon horto,
Languidulum ponens Solis ad ora caput.
Quid querar? En cantûs, læti felicia nuper
Argumenta animi, non velut ante ſonant.
Ipſa etiam pullâ frontem velata cupreſſo
Luctibus indulget pallida Melpomene.
Quis poterit, quæſo, noſtros auferre dolores,
Nulla ſit in Phœbo quum medicina meo?
THYMBRIA *ſola potes. mihi tu potes una mederi,*
Tu requies curis Thymbria ſola meis.
Ipſa avie (memini) reſeraſti prima Penates,
Ignotam tetigi quum novus hoſpes humum.
Thymbria te propter, ſancti mihi numinis inſtar,
Adſuetâ lentam duximus urbe moram.
Si quæ feciſti mihi vulnera, vulnera ſanes;
Tu quoque me ſoſpes ſoſpite ſemper eris.
Atque utinam voti potiar te conjuge compos,
Vel mihi non unquam viſa puella fores.
Credula res amor eſt. quid non ſperamus amantes?
Sed caret effectu ſpes bona ſæpe ſuo.
Hæc mihi ſola rapit ſenſûs animumque, quod omnes
Teutonici Nymphæ non valuere ſoli.
Huius, quidquid agam, mihi ſemper oberrat imago,
Absens luminibus ſæpe videnda meis.
Huic ego me proprium totumque dicabo, parentum
Sint modò corda meis mollia pectoribus.
Hanc quisquam dubitet præponere mille puellis,
Quamlibet antiquâ nobilitate ſatis?
Hac fruar, hac potiar, thalami hac conſorte ſeneſcam;
Cedet ab hac nunquam, quam dabo, noſtra fides.
Annue Juno favens; tibi vincla jugalia curæ:
Succeſſûs habeat quod voluere duo.

Digitized by Google

At tu, ſic quoniam ſuperos ſtatuiſſe putandum eſt,
Præſidium vitæ ſide CAMILLE *meæ,*
Parce, precor ſupplex, animæ ſuſpéndere noſtræ
Vota: moræ cogunt ſenſim in amore mori.
Vidi ego formosâ juvenem caluiſſe THYELLA,
Quam cuperet ſociam dulcis habere tori.
Dum pater inviſus ſeras procraſtinat horas,
Hei mihi, quanta graves damna tulere moræ!
Ille amens, rabie correptus & efferus irâ,
Huc illuc fertur more furentis apri.
Vidi etiam ſimili fato ſuccumbere Nympham,
Cui deſiderium cauſa perire fuit.
Adſpicis o quantis urantur pectora flammis?
Ventilet ut ſævas Cypris utrinque faces?
Tu quoque enim tales ſenſiſti forte calores
Impatiens, GLYCERE *cum tuus ignis erat:*
Te penes arbitrium eſt, & jus, neptisque poteſtas,
Ipſa licet dederit ſpemque fidemque prius.
Sat conſultatum eſt, ſententia lata ſequatur;
Seu placitura mihi, ſive dolenda ferat.
Da breve, da ſimplex, & ab omni ambage remotum,
Quod mihi reſponſum ſaucia corda levet.
Quodcumque accipiam (nam mens ad utrumque parata
Seu dare promittas, quod peto, ſive neges) [eſt,
Hoc contentus ero; patienter & omnia, quamvis
Durior eſt ipsâ morte repulſa, feram.
Ne precor ulterius rem tardas lentus in horas
Differ. habent minimæ maxima damna moræ:

AD GENIVM SVVM.

O MIHI *quanta animum fiducia, & o mihi qualis*
Lætitia

Lætitia exhilarat corque jecurque, Geni!
Conscia mens recti gestit. patefacta Decembri
Non frustra est oculis ista fenestra meis.
Quam dicam, nosti, nec opus, me dicere cuiquam
Mortali. tacito gaudia servo sinu.
Quid folia e platano necdum lapsura virenti,
Insolitus brumæ dum prope finis adest?
Me prius acris hiems mediis rigefecit aristis;
Nunc æstas medio cálfacit orta gelu:
Virgineis Phœbe sub spicis inchoat annum,
Vt voluit spicis claudere Virgineis.
Quin geminas ardere faces, & quod fuit unâ,
Natalis vidi nuper honore mei:
Ac toties lêgit jam mensa secunda racemos,
Nominibus numero conveniente suis.
O mina das alia ex aliis; das plurima visu
Signa voluntati non aliena meæ.
Lacrimo præterum felici sorte. Tot astra
Cogis in obsequium fúlgere clara meum?
Tempora me propter (nec vanum est credere) mutas?
Me propter cœptum texere pergis opus?
Texe opus & pertexe Geni. Te serta piabunt
Florea, te dulcis cymbia plena meri.
Hinc platanos posuisse novas, umbratile regnum,
Non tibi ero frustra vere tepente memor.
En tango frontem. Sedes in frontis aperto
Est tibi, quam lætam semper amare soles.
Accidat adversi quid, corrugata severum
Prætorvis caperat illa superciliis.
Tu facies, mea sit porrectior omnibus ima,
Lætior ut Divis omnibus unus ades.

AD ROSINAM.

Siccine te video coram, doctiſsima fandi,
Deliciæ noſtri virgo futura tori?
Siccine conſpicio tua labra, corállina labra;
Flammeolosque oculos, ſidera bina, tuos?
Siccine contemplor procéra fronte ROSINAM,
Suffuſam nitidas flore rubente genas?
Francica ſummiſsi reverentia poplitis hæc eſt;
Hic color, hic habitus, quem mihi finxit Hymen.
Hic locus, hæc aulæa, fores hæ ſponte patentes,
Indiciis dudum ſigna fuere meis:
Signa, Deüs per quæ puero monſtraverat olim
Decretum fati prodigiale ſui.
Fallor, an & ſimilem cæleſtia viſa figuram
Oſtendére animo, caſta ROSINA, *tuo?*
Annue liligero, & conſueſce Meliſſa vocari.
Si te fata trahunt, te quoque vota trahant.
Nata domo magnâ, magnis decorato minorem:
Maior eris per me, per te ego maior ero.
At vos, de ſancto quos compellare neceſſe eſt
Indelibati fœdere conjugij,
Adfines mihi ſite æqui facilesque bonique:
Sic bonus & facilis, ſic amor æquus eat.
Ne mihi ne quæſo gladium fabricate: repulſæ
Prælia vobiscum ſtent mihi nulla volo.
Dignus ut hac non ſim, tamen hæc me digna puella eſt;
Vos digni, merito quos ego jure colam.
Pugnatisne? parum reffert. certatio gliſcet
Fruſtra, ubi pars armis ſubtrahet una manum.
Non mihi pugnatis, ſed fato. certat amore

Digitized by Google

Lux mea, & indignum me negat esse sui.
Quos æther conjunxit, humus disjungere tentet?
Fit, fieri quod vult, nec mora pœna moræ est.
Differtur, non aufertur, quod destinat ille.
Consilium humanum vertere fata nequit.

DE TVRTVRIBVS SVIS.

CÆLIBE dum vitâ fruor, & cunctamine Fati
Possideo sterilis frigida regna tori;
Idalias nutrire domi mihi cura volúcres,
Menti quæ vacuæ tædia lenta levent.
Sunt aliæ nobis, quæ præter Aëdona cantent,
Dentque serenati gutturis harmonias.
Præcipuê Erigilla canore fritinit amœno;
Et matutinas excit Acanthis aves.
Sed mihi nil tanti est, quàm vos spectare fideles;
O volucres, Cypriæ gens adamata Deæ.
Quàm mihi laudati Turtur, fidissima Turtur,
Exemplum præbes nobile conjugij!
Quàm vos unanimes concordi pectore junctos
Mutuus alterni mulcet amoris amor!
Proxima transversum tu non avelleris unguem
Dilecti sotio comparis a latere.
Tu simul is cubitum, cubitu simul éxcita surgis.
Quum comedit, comedis; quum bibit ille, bibis.
Alter ab alterius spatio sejunctior absit,
Gutture sejunctum crebra gemente vocat.
Vos gemitu sequor, absentem dum clamo ROSINAM:
Sit præsens, vestro more sequuta torum.
Atque columbatim mecum precor exigat ævum;
Et simili ritu jusque fidemque colat:

Digitized by Google

Immo tuum ſuperet caſtiſsima Turtur amorem,
Quo nihil in terris junctius eſſe poteſt.
Quid facere eſt homines æquum tot ſenſibus auctos,
Conjugium Paphiæ ſi venerantur aves?

IMAGINARIVM ROSINÆ CONIVGIVM.

TANDEM *ego poſt varios ævi bellique labores,*
Poſtque tot ærumnæ dura pericla meæ,
Te potior conjux. jam fluctûs, jamque procellæ,
Et maris adverſo turbine naufragia
Suave rudimentum. jam ſidere ducta ſecundo
Leniter in portu ſalva carina natat.
In ſtatione ſumus. Vertumno natus iniquo
Cenſear? o mihi mens illa faceſſe procul!
Miteſcunt victi placidis adſpectibus auræ
Falciſer ille ſenex, Marsque feroxque draco.
Jam Veneri lito, Mercurium Solemque ſaluto:
Luna mihi decimo pignora menſe ferat.
Euge ROSINA, *meüm mel amabile, amabile mulſum!*
Te dominam cordis nuncupo jure mei;
Corporis immo etiam totius, & omnium in iſto
Vertice qui ſenſûs, pectore quique vigent.
Tot vixi cælebs, unam te propter, in annos;
Te propter, lento facta mora eſt thalamo.
Vnam te propter tot perluſtravimus oras:
Te propter, patriæ dulce relinquo ſolum.
Nunc age me niveis amplectere vita lacertis,
Et preme conſertis pectora pectoribus.
Nunc mihi (namque licet) ſuaviſsima baſia liba:
Velle columbinis morſibus ora mea;

Digitized by Google

Ora mea, & linguam titubantius ore bisulco
Luctantem vivæ sugere florem animæ.
O labra, quanta fluit vobis cum melle voluptas,
Labra Damascenis floridiora rosis!
Ambrosiis o lingua recens imbuta salivis,
Quale tuâ nectar prolicitur scatebrâ!
O quàm, molliculê vibratis verbere fibris,
Dulcis anhelando spiritus imbibitur!
Spiritus arctato se ipsum par vincere nisu,
Inque imum subidâ vi penitrare jecur..
Jam nihil est totum quod scripsimus antè, ROSINA,
Quasque ementitas finximus illecebras.
Hæc tua dulcedo potior venit omnium amantum
Nectare, & omnigeni munere delicij.
Ne quis turbassit nobis hæc gaudia Dipsas,
O ab Atlantiade nobile Moly pete,
Moly veneficiis Hecatesque resistere natum
Fraudibus, & magicis Vasconidum ligulis.
Cetera securi vivamus. Quid mihi porró est,
Quo tua blanditus pectora demerear,
Quàm munes præbere manûs? quodque audio clarus,
Acceptum meritis omne referre tuis?
Cuncta tibi debebo: mihi cor lux mea debe;
Duret ut æternum mutua debitio.

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI ELEGIARVM LIBER VNICTVS.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

POSTERA *seronam dum cogito sæcla nepotum,*
Cértaque mutandæ rumino fata vicis,
Fortunæque pedes variabilis orbe rotundo
Experior nullis stare perenne locis:
Pectore mi fixum est, fore, decrescentis ut ætas
Mundi, tam miseris exagitata modis,
Miretur nostri felicia tempora sæcli,
Quo tibi regnanti vivere contigerit;
Felicesque vocet, tua qui lustrare beatis
O Virgo quierint ora decusque oculis:
Nec tantum in speciem lustrare, sed insuper aureâ,
Quâ potitur concors insula, pace frui.
Otia nam præbes genti sera Britannæ,
Tranquillosque facis leniter ire dies;
Qualibus usa olim Saturno rege vetustas,
Cum foret in pretio non temerata fides.
Quin stabilis artes pacis, sapientior illis,
Qui toties stultè bella nefanda movent.
O infelices populos, quibus horrida somnum
Obturbant crebra tympana pulsa manu!

Digitized by Google

Perfide Mars, animi demens insania cæci,
Quo furor usque animos præcipitanter agit?
Quorsum acies gladij? quorsum rabiosa cupido
Militis, & fusus per tria lustra cruor?
Proh scelera infandis commissa ferociter ausis!
Proh gravia abruptis crimina fœderibus!
Quo ruitis vesana cohors? Pygmæis Olympo,
Et contra justum sumitis arma Jovem;
Nubigenæ ut quondam vastissima monstra bimembres,
Viribus aggressa grandævus illud opus,
Cui ne perfectum possent imponere finem,
Senserunt rigida tela trisulca Jovis.
Heu quot jam cæco ferro cecidere, cadentque
Posthac magnanimi per fera bella duces!
Fraus struet insidias simulato pignore dextræ,
Regnorumque petet sceptra caduca dolus.
Celticus e medio furtim tollitur Iäson:
Præcludent animam toxica dira viam.
Occidet immiti trajectus viscera plumbo,
Quo duce colla jugo Belga soluta gerit.
Livor Aquitanum dubiis tentabit in armis
Despoliare novi fascibus imperij.
Atque aliis itidem mox ventura pericula restant,
Quos locat excelso fors malè fida loco.
Tu tibi Nympha cave, quantum potes. haud tibi paucus
Intentat sævus prædo latroque necem.
Nunc ego nunc optem multo posse repentè
Corpore Caucaseos vertier in scopulos,
Cautibus aut duris obdurescere Apennini;
Ne videam tantum tàleque in orbe nefas.
Ah licet in silices præruptaque saxa rigerem

Digitized by Google

Versus, uti Phineus, utque animosus Eryx;
Quei neque pollicerem manantes fletibus irquos,
Non & in antè diffluerem lacrimas?
O native Geni, nivæo prælustris amictu,
Defensor vitæ præsidiumque meæ;
Hanc animam totius tutelæ subtrahe sortæ,
Hocque meum fidæ relinque latus:
Tutior ut per te redeatur ELISA *salutis,*
Divinæque manûs sentiat auxilium.
Cui tutor præsto est bonus Angelus; huic neque ferrum,
Nec virus, neque vis ulla nocere potest.
Sint mihi vel centum Genij, totidemque Minervæ,
Militia humanis addita servitiis;
Aligerûm manus hæc uni tibi serviet omnis,
Omnis ad obsequium rite parata tuum.
Cur tibi enim quantumcumque est Regina negarem,
Pro te qui cuperem, si patererè, mori?
Noveris ipsa debinc, mea destituisse phalangas
Pectora sublato nuda ministerio;
Quid facies? facies, ut sub te principe salvâ
Res mea sit tuto salva patrocinio:
Ipseque, si mereor, protectus ab ægide forti,
Quod tibi gestamen Pallas habere dedit;
Te venerer, te Diva colam, tibi debita præstem
Munia, & ex animo te manifestus amem.
Tum merito sola est mea magna potentia, dicam;
Sola est in terris numen ELISA *meum.*

Digitized by Google

IN OBITVM OTILIÆ MELISSÆ, MATRIS SVAVISSIMÆ.

AD IOSEPHVM SCALIGERVM,

IV[illegible]

QVÆ *me funerei planctûs exordia poſcunt?*
Aut lamentandi quæ mihi finis erit?
Vnde novo gemebunda traham ſuſpiria queſtu?
Vnde exſtillantes eliciam lacrimas?
SCALIGER *o cordis ſolatia mutua noſtri,*
Devorat in medio verba dolore dolor.
At nec corde dolor cedit, nec pectore luctus;
Nec lenit curas noxve diesve meas.
Contemplere meos vultûs; effleta videbis
Lumina, nimboſis humidiora Notis.
Aure bibas gemitûs; jecur eſſe fateberis ægrum
Sole gravi toſtis aridius foliis.
Nunc ego nunc Boream ingentes, pulmonibus imis
Spirantem, gemitûs exonerare velim.
Nunc Argus fieri centeni luminis optem,
Totus ut irriguis fletibus immadeam.
Ille ego, ceu frundens abies, qui flore vigebam,
Altave in aërio fraxinus Hercynio,
Sic jaceam dejectus humi? fragilisve myricæ
More, ſoloque velut ſtrata geniſta, terar?
Erige me, rerum columen ſublime mearum
SCALIGER, *& fulcrum caſibus eſto meis.*
Qui ſtat, & audaci temnit pede lubrica, firmam.
Prolapſo dextram tendere rite poteſt.

Digitized by Google

Heu dilecta parens, quanto me dejicis ictu!
Quanta cicatricis plâga patentis hiat!
O qualem & quantam tua triſtia (proh dolor!) orba
Attulerunt nato funera mæſtitiam!
Dicite Mæniades funebria carmina Nymphæ:
Occidit antiquâ femina rara fide.
Ah utinam tractûs crebro indagata per omnes,
Et quos Sol oriens occidunsque videt,
Illa foret præſto, ſubitæ fultura ruinæ
Lenimenque meis fida ROSINA *malis:*
Non poſſet nõn ipſa meæ miſereſcere ſortis,
Fractumque alloquio firma levare ſuo;
Nec minus & morbi cauſas auferre necantis,
Oblinere & Paphiis vulnera noſtra roſis:
Non ea, quæ miſsis in ſaucia corda ſagittis
Aſper & ignotus maximã fecit Amor;
Quamvis hæc vellem medicando forte ſalúbri
Tollere ſi poſſet, tolleret ipſa manu:
Sed magè quæ telis OTEILIA *mater acerbis,*
Telorum Mortis vulnere fixa prius,
Huic capiti infligis, capitique inflicta relinquis:
Immedicabilibus vulnera cruda modis.
Morte tuâ patrem, rapido quaſi fulmine tactum,
Exanimem fermê ſub cava buſta trahis;
Patrem, cui bifrons adjecit ducere cælum
Vltra bis ſeptem Janus Olympiadas:
Qui tamen adſpectu venientis ad ora revixit,
Suffuſus madidas imbre fluente genas.
Dicite Maniades funebria carmina Nymphæ:
Occidit antiquâ femina rara fide.
Quid me tarde Nicer, quid me tardiſsime Cocchar
Tam lentum ad veſtras detinuiſtis aquas?

Digitized by Google

Cur absens oculos properatâ in morte natantes
Emeritæ matri claudere posse vetor?
Cur nequeo extremas audire & reddere voces,
Spemque poli certâ consolidare fide?
Quòd si præscissem, mater, carissima mater,
Supremum vitæ tempus adesse tuæ;
Ocyus in Francos per tesqua rigentis Odenæ
Vngula me celeris rapta tulisset equi,
Qualis Glauciaden cæli per inania vectum
Memnonius sonipes Bellerophonta tulit:
Fixissetque pedes ad flumina Mænidos undæ,
Quâ viridis Pyrgi surgit in astra caput.
Nunc, nobis absente, animam simul exspirasti,
Cæspite Petrino contumulata jaces.
Illibatam eadem contexit arena sororem,
Vnica quæ fratri delicium omne fuit.
MÆNE *dole mecum, & fac amabo, sepulta quiescant*
Molliter ad ripam membra utriusque tuam.
Dicite Mæniades funebria carmina Nymphæ:
Occidit antiquâ femina rara fide.
Heic mulier cubat illa, novi quâ præco triumphi
Est satus in laudes FRANCIA *clara tuas.*
Heic cubat illa, gravi quæ me quum ferret in alvo,
Communi visa est abstinuisse dape.
Ipsa quater coëunt reparatæ cornua Lunæ,
Dum ne mica quidem panis ad ora venit.
Vescitur arboreis tantummodo fetibus hornis,
Æstas quos tulerat torrida; lacque bibit.
Illa eadem prægnas Salij vada circumit amnis,
Quâ structa est planâ Curia regis humo.
Vidit ibi in somnis teneræ crescentia lauri
Brachia de ventris surgere mole sui;

Digitized by Google

Carpſerit unde manu baccas utrâque novellas,
Et nuribus caſtis virginibusque cibum.
Editus hinc ego ſum, partûs matura ſecundi
Sarcina: conjugio ſeptima fluxit hiems.
Atque (fide maius) vagitûs immemor infans
Muti inſtar nullos credor habere ſonos:
Credor; & hoc miriu, genitrix, tibi non modò viſum eſt,
Verùm & Straeniis res peregrina Deis.
Quin etiam puero (Cyllenî eſt dicere cauſam)
Tardius occepit lingua retenta loqui:
Donec poſt actæ primum ſeptennia vitæ
Ora volubilibus ſe expliciuere ſonis.
Traditus Aonias tunc eruditendus in artes,
Æquales vici dotibus ingenij;
Arboris in morem teneræ, vi præcoce ſuetæ
Vincere cognatas fructibus ingenitis.
Vis eadem innatusque vigor quoque manſit ephebo:
Gratus eram Muſis, gratus eram Chariſin.
Trivimus in ſtudiis primæ lanuginis ævum,
Trivimus ætatis ponè ſequentis iter.
Præmia doctrinæ & virtutis, lauxea Cæſar
Vt tribuit noſtris ſerta ferenda comis;
Ex animo gaviſa, meo grataris honori,
Pectore lætitiam præcipiente novam:
Nempe fore ut paullo poſt, non ſine numine Divûm,
Ornaret thalamos Franca puella meos.
Aſt ego ducendæ (verearne edicere?) geßi
Prorſus ab uxoris mente alienum animum.
Maluit externas diſpendia longa per oras
Noſter equus, fato non renuente, ſequi.
Quid memorem expertus quas ſim fraudesque dolosque;
Et quas vitarim providus inſidias?

Digitized by Google

Quid peregrinando longê latêque viarum
Dura? quid Hungaricæ noxia militiæ?
Quidve propinatum referam mihi in Auſtride terrâ
Virus, & incautis pota venena labris?
Mirata es reducis maciem rugasque ſeniles,
Et calveſcenti tempora cana pilo.
At tibi quem fructum laurus mea carpere opimum
(Somnia ni fuerint irrita) ſera dedit?
Cui mea ſerta bono? cui frundet inutilis arbos?
Hei mihi, quàm triſti marcet iners ſenio!
Jam venit in mentem, quânam ratione modoque,
Poſtremum a Mæno cum meditabar iter;
Adſperſos nivibus tu contemplata capillos,
Optaris nullas crinibus eſſe nives.
Quos ubi digreſſu de luctiferâ cypariſſo
Velat maternâ plexa corolla manu;
Vltima ſunt, inquis, quæ do tibi munera, fili:
Nunquam ego te poſthac intuar his oculis.
Omine terrebar, noſtræ ratus ultima tramæ
Pollice lanifico fila ſecanda legi.
Sed fati monuiſſe tui præſaga volebas
Mater, & inſtantem funeris eſſe diem:
Nam ſexagenos & quinque ſenex Auctumnos
Ætatis poteras enumerare tuæ:
Et quater undenas hiemes, quas cum patre vixti
In bene pacati fœdere conjugij.
Sic abij infauſtus, dictâ acceptâque ſalute;
Nec capiti (fateor) grata cupreſſus erat.
Tu tamen, I felix nate, o nate optime, dixti;
I felix animi cura ſuprema mei.
Cæleſtis Genius quoquo comitetur euntem,
Incutiantque tibi nulla pericla metum.

Digitized by Google

Tempus erit, tandem optatâ potiare ROSINA,
Si modò justa pios numina respiciunt.
Me miserum atq; inopem, rerumque ferè omnium egenũ!
Quâ spe verba istæc vera futura putem?
Cui Nymphæ quosnam subcánus server in usûs,
Foturæ generis pignera tarda mei?
Si tamen est aliquid, mihi promisere quod astra,
Nec mater dictis spondet maniloquis;
Docta sit illa velim cantûs, linguæque Latinæ,
Seque meis celebrem noverit ante libris.
Illa mihi vetulos reor argutabit amores,
Vt solet in pratis rauca vocada queri.
Illa tuens pætis ridebit, SCALIGER, *irquis,*
Quòd tam multus aret sulculus hasce genas.
Ibo tamen rursum vestigia lenta puellæ
Quærere, quo vitam cumque aget illâ loco:
Sive per intonsum ducar vagus Apenninum,
Vel colles Bromio fete Veseve tuos;
Seu trans Orbeli juga Tarbellæve Pyrenes
Provehar, aut sistar litore Santonico;
Sive Caledoniis me per placida æquora vectum
Saltibus accipiant lustra Britanna suis.
Inventam dederis mihi te ROSA *nobilis illa,*
Semidea arguto facta canore ROSA;
Lætitiâ (sed quando?) novâ mutavero planctum,
Rursus & Attalicâ veste superbus eam.
Sic pius Abramides genitricem luxit ademptam,
Perculsus querulo triste dolore jecur:
Post animi requies tedâ sociata jugali,
Gaudia mœrenti mille Rebecca tulit;
Sicut ubi pulsis tristi cum nube procellis
Tempestas puro Sole serena redit.

Digitized by Google

Numine contingat ſuperûm mihi talis, adoro;
Ne mihi ſit lecto cælibe pœna mori.
Venerit ad Manes tibi nuncius, o pia mater,
Rerum ſucceſſu læta erit umbra tua;
Vmbra tua, in ſolis lecto obverſata tenébris,
Spectandam placidâ ſe mihi dans facie.
Interea mihi (vox iterat quod & anxia patris)
Perpetuum ſalve, perpetuumque vale.

AD IANVM DOVSAM NORDOVICEM.

De Chartero, obitu

NATVS an in lacrimas tantum, luctûsque perennes,
Sic efflebo genas? ſic cor anhelus edam?
Quàm peraterba diu fibris abſinthia amaris
Veſcar, & admiſto potula felle bibam?
Quo gravis usque mihi lacerabit pectora vultur,
Et caput impoſitâ pondera mole prement?
Vertar ut in fratrem rigidâ cervice Promethei,
Geſtantem ſcapulis tótius axis onus;
Liquar & in lymphas merus, Heliadumque liquorem
Ex oculis manet plurima gutta meis:
Non tamen huic fletu, nec moli commodus iſti
Sufficiam. tantis urgeor ecce malis.
Quin & Ariſtæus ſuccum melliginis omnem
Huc ferat, & dulces munera dia favos;
Haud potis eſt aloën ullâ dulcedine, & atram
Tinguere viroſi fellis amaritiem.
Ecquid enim durum magis, ecquid acerbius unquam
Accidere humano, væ mihi, more queat;
Quàm nihil in vitâ quo carius ipſe tenebam,

Digitized by Google

Nil & amabilius, perdere DOVSA *citò?*
Privarique animæ & vitæ (miserabile) parte,
Parte animæ & vitæ, quam gemo, dimidiâ;
Plus etiam quàm dimidiâ? Mors effera atroxque,
Tristibus heu tenebris mors adoperta caput;
Grassari licuitne tibi sævissima tantum,
Vt raperes subitâ gaudia nostra nece?
Prædane sit tætris tam pectus amabile echidnis?
Sit tam dulce caput vermibus esca opicis?
Depascenda jacet tumuli sub inutilis antro
Virgo decens, atavis edita nobilibus:
Virgo, mei spes conjugij; cui mutuus ardor,
Jungendoque toro cura fidelis eram.
Cur me non pariter, quando immaturius illam
Tolleret atra dies, abstulit atra dies?
Non ego tot miserè quassatus casibus essem,
Nec jecur absumpset pergrave tordoliam.
Mecum DOVSA *precor, mecum suavissime* DOVSA
Carmen hia querulis flebile arundinibus.
Mæste Nicer, veteris qui mœnia Myrtilleti
Candida pullatis alluis ater aquis;
Si tua Pieridum decus immortale MICYLLVM
Non sine LOTICHIO *ripa sinistra tegit;*
Si VICTORINI *manes itidemque* XYLANDRI
Sanctior eiusdem marginis ora tenet:
Cur ego Musarum genialis alumnus ibidem
Qua CHARITVSA *cubat, non simul orbus humor?*
Nempe hoc docta sita est & OLYMPIA *Fulvia templo,*
Fulvia GRYNTHLERO *non inhonora suo.*
Quid morer in terris? onerem quid inanibus auras
Lamentis? quid inops hæc loca sola teram?
Mecum DOVSA *precor, mecum suavissime* DOVSA

Carmen

Digitized by Google

Carmen hia querulis flebile arundinibus.
Caſtaneæ virides, umbracula grata locorum;
Caſtaneæ, jacui ſub quibus æger amans,
Teſtes vos eritis, quàm caſtè ſemper amarim
Nunquam contactæ corda pudica Deæ.
Vos eritis teſtes, ut ſuſpiratibus hauſtis
Adflarim veſtris ſæpe Notum foliis.
Sæpe meos gemitûs Fauni Satyrique bicornes
Nec divulgandas edidicere notas:
Ag gemuiſſe meis & Oréadas aio querellis;
Silvicolisque fui planctus Hamadryaſin.
Mecum DOVSA *precor, mecum ſuaviſſime* DOVSA
Carmen hia querulis flebile arundinibus.
Quos penes arbitrium eſt, o Dij, conjungite amantes,
Votique efficite ſpes utriusque ratas.
Caſta Venus Veneriſque fave puer obſecro, dixi;
Ipſa mei conſors ſit CHARITVSA *tori.*
Conſors ſit Charituſa tori; remeabilis Echûs
Vox iterata novem dat ſine mente ſonos.
Diis aliter viſum eſt, queis pacta jugalia curæ.
Attamen hancce meam ſum ratus eſſe RHODEN.
Quid non tentavi? quid non (ſed inaniter) egi,
Res ut ſucceſſûs poſſet habere ſuos?
Nequicquam roſeos ſumens Hymenæus amictûs,
Eluſit pullâ gaudia noſtra face.
Pro thalamo tumulum ſtravit Libitina recentem:
Tibia funeſtæ ceſſit amœna tubæ.
Mecum DOVSA *precor, mecum ſuaviſſime* DOVSA,
Carmen hiâ querulis flebile arundinibus.
E vivis miſeram ſimul exceſſiſſe referret
Orſa quiritantes HELIODORA *ſonos;*
Juppiter, ut ſtupui! ſubito ſic fulminis ictu

Digitized by Google

Attonitis gelidus pectora terror habet.
Faux hiat, & vox hæret. abit color ore calorque;
Protinus & stantes obriguere comæ.
Capsa erat ad dextram; retro quæ firma labantis
Sustinet oppositô terga supina pede.
Serpere in hos artûs tabem, sensique moriri,
Abreptus longi sphalmate deliquij:
Quale oculus mundi patitur Sol, corpore Luna
Rectâ fraternis suppositô radiis;
Aut quali defectu olim Luna ipsa laborat,
Vmbrifero tenebras objiciente solo.
Prodigij simile est: unâ candescere nocte
Hoc cæpit tinctu versicolore caput.
Vnde nives capitis? quærebant mane sodales.
Ipse ego vix noram me, puditumque mei est.
Mecum DOVSA precor, mecum suavissime DOVSA
Carmen hia querulis flebile arundinibus.
Interim adornantur, faciunt quæ non ad honorem
Quem volui, sed quæ funus inane decent.
Non ego funestis, aulâ præeunte ferétrum,
Visus ob ægrorem cœtibus ire comes:
Non ego lugúbrem sumpsi de more lacernam:
Ast homines fugi, delituique domi;
Asperiore Euri ceu tempestate coortâ
Dum glaciem accretam depluit ira Jovis,
Torquatus metuens lapidosa grana palumbes
Conditur excesæ corticibus platani;
Aut quasi terreni rimas ruspata cubilis
Interiore latet cochlea clausa domo.
Ter volui demens mihimet consciscere mortem,
Inque undas præceps insiluisse Nicri:
Ter Genius mihi, seu quisquis fuit ille Deorum,

Et cohibere manûs, & revocare pedes.
Mecum DOVSA *precor, mecum ſuaviſſime* DOVSA
Carmen hia querulis flebile arundinibus.
Infelix virgo, procus infelicior, eheu,
Cui tua non cupidâ eſt Zona recincta manu!
Non erat in fatis, ut quam CHARITVSA *petiſti*
Lux deſideriis fulgeret alba tuis?
Non erat in fatis, ut quem præceperat ardor
Ille meus, finem conſequeretur Hymen?
Vt mora plus nimio nexa eſt utriusque petitis,
Neſcio quo tedæ pactum inhibente ſacræ;
Tu vitæ pertæſa, mori prius eligis ultro,
Æſtibus immodicis quàm ſine fine coqui.
Fortius accendit febris ardentiſſima flammam,
Mutua quæ flagrans uſſit utrique jecur.
Quærebam ex medicis: Quo morbo noſtra laborat?
Quo tu: reſponſum Tmeſius ille dabat.
O amor, o ignis, clamaſti, ſiccine perdor?
Te necat illa febris, cáuſaque febris amor.
Me veſpillones vitâ ſepelite carentem,
Inter enim vivos mortuus ecquid agam?
Ah utinam præſtó genitrix tibi cara fuiſſet,
Aut ſoror; auxilij quid manus alma daret.
Mille ferant herbas ſuccosve Machaones ægris:
Pharmaca maternæ ſunt potiora manus.
At modò nec leſſum fecit tibi funeris ergo
Aut ſoror aut genitrix, tamque remota domus.
Me miſerum! finem ſperavi ego: finis (at o qua?)
Eſt data. tu lucem; nox data lucis egens.
Me veſpillones vitâ ſepelite carentem:
Inter enim vivos mortuus ecquid agam?
Hoc erat ah, denſas ſpectri quòd imago per umbras

Digitized by Google

Me compellavit triſtibus alloquiis.
Voce quiritanti mediis ſub nocte platéis
Audita eſt miſerê Strix gemebunda queri;
Idque priore anno. Vox illa ex ædibus, in queis
Mortua es, at quas tum nemo habitare hominum,
Vênit; & inclamans ter nomen inane Meliſſi
Eiulat: inque locis eiulat illa tribus.
Siſto gradum, nequijque hæc præter dicere quidquam:

EX HAC DVCENTVR FVNERA NOSTRA DOMO.

Me veſpillones vitâ ſepelite carentem:
Inter enim vivos mortuus ecquid agam?
Vt gemere amiſſâ non ceſſat compare turtur,
Sed triſti viduos integrat ore dies;
Haud ſecus ipſe tuos obitûs CHARITVSA *dolebo,*
Perpetuoque gemens funera mæſta querar.
Me veſpillones vitâ ſepelite carentem:
Inter enim vivos mortuus ecquid agam?
O fatum! meruitne ex me periiſſe virago,
Pro quâ debuerant mille perire proci?
Proh dolor! hoc lucri tandem ſperare jubebar
Credulus, ut vitam perderet illa ſuam?
Spes bona ſi fallit; metuam bona, quo mala vitem.
Aut ſperabo malum, ne bona mi noceant.
Me veſpillones vitâ ſepelite carentem:
Inter enim vivos mortuus ecquid agam?
Fors o Fors anceps, ſi vertere cuncta libido eſt,
Verte graves casûs in leviora precor.
Terminus iſte malis. Infelix, cui ſua ſemper
Res agitur retro, propoſitoque caret.
Me veſpillones vitâ ſepelite carentem:
Inter enim vivos mortuus ecquid agam?

Digitized by Google

At vos o Manes, & amati corporis umbræ,
Quarum ſæpe meos ludit imago oculos;
Salvete Elyſio nemore, æternumque valete
Incolumes, animis non ſine perpetibus:
Queis rogo, ſi libeat, caſtum claretis amorem.
Noſter & Elyſiis ſit volo notus amor.

IN OBITVM BALTHASARIS SCHEDII REGISCVRIANI, PATRIS OPTIMI.

AD IVSTVM LIPSIVM.

HEI mihi! non ſat erat, ſupremum vatis aſylum
Fata Palatinum præripuiſſe ducem?
Non ſat erat multâ clarum pietate GALENVM,
Qui prope divini principis inſtar erat;
Non matrem caram mihi, non obiiſſe ſororem,
Vnica quæ Charitas vincere mille potis;
Non & ſpem thalami CHARITVSAM; *cui mea ſecum*
Omnia ſub tumuli gaudia rapta cavum:
Ni quoque (ut hos omnes intra ſpatium únius anni)
Terræ mandaſſes heu Libitina patrem?
Patrem, qui trabium reſtans fultura labantum,
Ægrê me longam miſit in Auſoniam.
Nunc jacet absentisque atro mea funere merſit
Lumina, tam vaſtis óbruta ruderibus.
Vertice prærupto mihi Latmius incubuit mons.
Quantula proh animæ portio reſtat adhuc!
Ignoti nemo ſortem miſeratur acerbam:
Raro hominum mentes mors aliena movet.

Te tamen in partem mœroris, idonee LIPSI,
Vt potero, querulis forte traham numeris;
Vt cum SCALIGERO *&* DOVSA, *quibus anxia nuper*
Corda modis fecit nœnia flebilibus,
Dividuum facias. Grave onus levius fit, amico
Obtendente manûs, commoditante humeros.
Mens quoque lenimen sentit, relevata subinde
Consolatorum dulcibus alloquiis.
Ah utinam in reditum saltem dilata fuisset,
Care parens, obitûs hora propinqua tui:
Æquius abreptum tolerarim; dummodò nati
Patria sensissent lumina clausa manum.
Non febri poterat herbas adhibere salúbres
Ipse Machaoniâ POSTHIVS *arte potens?*
Cetera qui valuit, non idem in morte valebas
Protrahere extento fata suprema die!
At prius, ô genitor, quàm te resciverit ægrum,
Crediderant gelidæ lúgubre corpus humo.
Hæc mihi cum luctûs asperrima nuncia vênit,
Commodus in Patavi mœnibus hospes eram:
Nam lue purgatâ, Venetas inviserat arces
Euganeumque iterum lætior aura nemus.
Sperabamque uno trieteridos orbe peracto,
Postque peragratis urbibus Oenotriæ,
Cónfore, Francoam remeare daretur in oram,
MÆNVS *ubi liquidas volvit amœnus aquas;*
Confectique ætate, nives imitante, parentis
Comibus usuris suaviter usque frui;
Mellitosque ROSÆ *genitos in flore nepotes*
Lusaros ad avi posse videre pedes.
At Fors humanis antistita lubrica rebus,
Cui varias mutat cæca libido vices;

Digitized by Google

Provida consilij torsit vestigia cœpti,
Nutare ancipiti poplite jussa, retro.
Hinc cata quæ ratio trutinâ pensaverat æquâ
In lævum crepera lancis iere latus.
Quam mihi nunc rerum sollers astutia mentem
Vindicis ex Sophiæ suggeret ingenio?
Quas mihi præscribes metas, justissime LIPSI?
Cuiæ me prudens juveris artis ope?
Turbida nox eheu mediâ sub luce coorta est:
Æstibus in mediis aspera sævit hiems.
Fluctuat ut ratis Hadriaco deprensa profundo,
Turbine commotam circumagente Thetin;
Remige quum nudum est latus, & malè saucia mali
Carbasa; & antemnæ tránstraque quassa gemunt.
Sic dubio titubat animi mens anxia fluctu,
Jam prope sub rapidis mersa voraginibus.
Turgida cum tumidis sex infortunia ventis
Certant, obque meum stant animosa caput;
Nec potis est ullus, qui membra labantia servet,
Aut vigor aut vires exseruisse labor:
Artubus usque adeó fractis, nervisque solutis,
Liquitur arctatæ languida vis animæ.
Da portum reperire bonum per saxa, per æstûs,
O Zephyre optatis non inimice meis:
Si tua purpureo laudans spiramina vere,
Nil animâ, dixi, gratius esse tuâ;
Esse tuis alis nil pulchrius; ut libet Irim
Quæ referant, nitidas pavo coloret opes:
Si matutino nemore inspatiatus, ad auram
Mille tuam cecini carmina, mille sonos;
Auroræque tuas redituræ vespere in ulnas
Puniceis sparsi suave cubile rosis.

Mitior en fit hiems, ſudumque Favonius adflat:
Cedere viſa die nox tenebroſa locum.
Fas mihi ſit Manes jam compellare beatos,
Innocuiſque Elegis damna paterna queri.
Sic me care pater ſolum, ſic deſeris orbum,
Inque peregrinis, te ſine, litoribus?
Siccine deſtituor? vix lamentabile carmen
Inchoo præ gemitu, finio præ lacrimis.
Care pater; vitæque ſatur plenuſque dierum
Liquiſti humanæ prægrave molis onus.
Vt multum; decies ſeptem transgreſſus es annos,
Nec tamen omnino tempora canus eras.
Haud mihi tot ſpinæ, tam múltave cura perédit
Pectus; & infectâ frons riget alba comâ.
Quæ te exercuerint, dum cogito plurima mecum
Monſtra, nimis noſtræ perniciosa domo;
Longa equidem miror ſegnes ſubtemina Parcas
Non citius vitæ præſecuiſſe tuæ.
Excepere tuos humeros genus omne pericli;
Mille tuo capiti eſt Fraus operata dolos.
Mordaces curas ærumnoſosque labores
Fortiter adſueras nocte dieque pati;
Pro Laribusque domi te colluctante, foriſque
Pro patriâ; multis non ſine diſſidiis.
Queis tua quis caruit vexata juventa procellis?
Quo vacua flictu cana ſenecta fuit?
Tempore quo crebris ardebant Francica flammis
Oppida, & inviſos Mars populabat agros;
ALBERTVS *ſtrictâ religatum brachia reſte*
Marchio per ſilvam protrahit Hercyniam,
Extorquere ratus ſecreta recondita, quorum
Vix magus aut aliquis notitiam augur habet:

Imperitansque aurum ſuspendia diraminatur;
Pulſaque ter plexo verbere terga quatit.
Mox ſpoliatum habitu, nec non opis omnis inanem
Vinciri ad trunci robora dura jubet.
Non alia a ſævo ſperanda erat hoſte facultas,
Si torquet cives civicus ordo ſuos.
Quid faciat vel prædo lupus vel atrocior urſus,
Si glubit proprias paſtor avarus oves?
Quo non argento, quo non emunctus es auro;
Marte diu Salices diripiente plagas?
Sæpe redemiſtis depenſo incendia cenſu,
Sæpe manûs nullâ non aluiſtis ope;
Num minus exutos re lixa aut calo reliquit,
Immunesve ignis ſivit abire Lares?
Vos negitem quidvis perferre fuiſſe coactos,
Nullius obſidibus civis ob æra datis?
Quos ferus obſeſſis SVINFORTI *in mœnibus idem*
Detinuit vinctos Marchio compedibus.
Vt MELRICHSTAIVM *ſuperarit acerba ferendo,*
Nomine quam Graio dixeris Alphipolim;
Plus tamen huic nocuiſſe frequens exactio clamat
Præſulis, adſiduis ſollicitata minis:
MAVRICII *& pedites graviora equitesque colono*
Cum Brunſuiganis damna dediſſe liquet;
Quàm ſignis hoſtes manifeſto in Marte profeſſos.
Vel ſocio armorum nulla rapina ſat eſt.
Scilicet hoc bellum eſt, nullo diſcrimine quosvis
Prædari, ſubitoque igne cremare caſas.
Hoſtis, amicus, idem eſt. eadem fax uſtulat ambos.
Diripit huic, illi, miles uterque Lares.
Non tamen æquale eſt, ſeu Mars crudelia patret,
Seu pax hoſtili ſæviat ipſa metu.

Digitized by Google

Quæ Bellona rapit, patientius illa dolemus :
Sed quod pax aufert, ægrius illud obest.
Quid loquar, ut privamque domum reliquosque Penates
Tristior in cinerem viderit ire quies ?
Tunc quoque te paries illapsus habebat opertum,
Seminecique imam turba aperibat humum.
Singultantem animam tum protinus exhalasses,
Ante obitum invitâ contumulatus humo ;
Ni cælestis heri nunquam violabile fatum
In seros vellet te supersse dies :
Longius ut cum matre piâ pro meque meâque
Sollicitas faceres prosperitate preces.
Te post instaurante novas feliciter ædes,
Quâ genitale lavit Stræonis unda solum ;
En Phthonus immanes Furias Acherontis ab imo
Evocat, accensus bile tumente jecur.
Quæ simul atque animis inspiravere nefastis
Colchica Cerbereis hausta venena labris ;
Fax hominum varias, excita furoribus atris,
Intentare tibi turpiter insidias.
Quod facit invidiæ, livor nil linquit inausum :
Linquit inexpertum nil malè sana cohors.
Quo labefactarent surrecti culmina tecti,
Impete pars dominum, pars & adorta domum.
Mox obstare meis & Erinnyes incrementis,
Turbaque nescio quas tendere iniqua plagas.
Ne quid dissimulem ; non hoc furiale, neque illud
Franci progenies sanguinis agmen erat ;
Verùm colluvies Zigarûm de gente nefandâ.
Rectius indigenæ pectus habere solent.
Stas contra, virtusque unâ (vir fortis ad omnem
Stare Notum firmo pectore nempe solet)

Digitized by Google

Donec, ut infremuit longis patientia victrix
Acta odiis, alio remque domumque migras.
Jucundum est alibi quoque tuta accumbere mensa,
Non tantùm e patriâ sumere lance cibos.
Adde quòd interdum mutatis vivitur oris
Lautius. ignotis & bona causa favet.
Interea pro se spondere Syringus & Æsson
Incauto suadent. huc facilisque venis,
Obstringisque fidem. sic in divortia nasse
Squamea pellaci similace turba ruit,
Vnde exire nequit. Ita postquam re malè sarctâ,
Ceu fit, uterque suas dilapidasset opes;
Sponsio mactatum præstando perdidit ære:
Sponsio prudenti nunquam ineunda viro.
Heu heu, quàm multos eadem alea sæpe fefellit!
Præs fias; Crœsus sis licet, Irus eris.
Glutiit Albini patrimonia sæva Charybdis;
Scyllæo nat adhuc Sturmius in barathro.
Quid mihi nunc prodest, Fili, carissime fili,
Cernis ut ingenuâ sim, repetisse, fide?
Quoad vives, Æssona cave, cave Paule Syringum.
Sic ais, adscito facte perite malo.
Felix, quem reddunt aliena pericla sagacem.
Edoctus propriis stultius ille sapit.
Tutius integræ tempestas creditur alno,
Quàm rude si tentet perdita naufragium.
Ast ubi nunc vineta, suis bene consita sulcis?
Ast ubi nunc fundi, pomiferumque nemus?
O ubi Turpilio frustra venúmdata sedes?
O ubi cuncta, animo quæ meminisse grave est?
Singula ne memorem, mihi tempero; ne quasi demens
Exprobrasse tuis Manibus ista puter:

Digitized by Google

Quidquid enim factum est abs te, pater optime, factum
Non ut in accitum conjicerere malum, [*est*
Verùm aliis ut prodesses. ut sæpe sibi ipse,
Qui prodest aliis, plurimum obesse solet!
Nil priscâ rebare prius virtute fidêque;
Est & Non verbis reque probare memor.
At (quod pace tuâ liceat mihi dicere) nullum
In facinus poteras consuluisse nefas;
Quòd satus in tætræ neque eras contagia labis,
Oblita nec fuco verba loquentis erant:
Nec tuus insuerat mos unquam fallere quemquam,
Circumventum astûs calliditate vafri.
Mendaces odio linguas, cane peius, habebas;
Angueque letifero duplicis ora viri.
Elatis infensus, item gradientibus altê,
Tollere nescibus grande supercilium:
Vnde queri nullis injuria facta silescit;
Nec de te sparsim fama sinistra volat.
Legitimam præter tibi nulla, nec ante, nec intra,
Nec post conjugium, cognita forma fuit.
Non nisi agi rectum debere, subinde monebas,
Nec sibi cuiusquam pertimuisse minas.
O quoties in aperta senum tibi férvere bilem
Vidi ego patratis crimina adulteriis!
Te quoties fœdos memini exsecrarier hircos,
Stúpraque, & infames semina dira lupas?
Iurgando vehemens, in flagitiosa potentum
Ausa ferebaris liber & absque metu.
Denique fixum animo tibi erat nil præter honestum,
Quæque decent homines munia, quæque Deum.
Quòd similesque tui justosque probosque putaris,
Cum quibus interdum causa gerenda fuit;

Digitized by Google

Plus nimio bonus, & Francæ probitatis amator
Arguere. hæc noxæ res quoque ſæpe mihi eſt.
Sæpe mihi eſt damno, quòd non ferar eſſe malignus.
Sedatum placidi pectoris eſſe juvat.
Teſtis CORRASIO LANGVETVS *idoneus auctor,*
Nótaque ſincero POSTHIA *corde fides.*
Sed tamen ut præſtat, falli bonitate; licebit
Vix hodierna vacet crimine ſimplicitas!
Res olim vulgaris erat, bene vivere poſſe:
Commune eſt hodie, vivere poſſe malè.
Aurea Saturni quòd ſi te ſæcla tuliſſent,
In pretio pietas quum vetus illa foret:
Crede mihi, non talis honor, non tanta ſenecta
Puriter exactæ fama ſuperſtes erat;
Quanta tibi nunc fama, tuæ nunc qualis in ævi
Poſtera virtuti creſcere certat honos.
De probitate tuâ mihi glorier ipſe neceſſe eſt,
Sincerusque boni filius eſſe patris.
Ergo te rari noſtris ſcribamus in annis
Fas erit exempli, ſancte, fuiſſe virum.
Scribe age idem, juſtusque fer o ſuffragia cenſor
Aonio LIPSI *non reticenda choro.*
Audiat hæc vatum manus omnis, & adprobet: at nec
Improbet hoſce meos FRANCIS *Eoa modos,*
Quos magnâ in Româ flavum prope Thybridis amnem
Tegmine cupreſſi ſub nigricante cano.
Optime mi genitor, Manes ſi carmina tangunt
Tam procul ad Mæni lene fluentis aquam;
Tranquillo requieſce loco, dum candida cernas
Marmora candori rite locata tuo.

INDEX TITVLORVM

SECVNDÆ PARTIS.

ALphonſus II. Ferrariæ dux. 93.
Amyntas Chryſogonæ. 117.
Amyntas in diſceſſum Chryſogonæ. 120.
Andreas Mergiletus Alphipolitanus, P. L. 44.

BAlthaſar Schedius Regis-curianus, pater Meliſſi. 149.
Barbarorum inſolentia. 11.

CAmillus. 125.
Caſpar Cropacius Pelſinenſis, P. L. 63.
Caſpar O. 103.
Catharina Læta. 66.
Charituſæ obitus. 143.
Chriſtophorus Andreas Iulius Iuriſconſ. Reip. Nor. conſiliarius. 27.
Chriſtophorus Comes Pal. Rheni, dux Bavariæ. 99.
Chriſtophorus Flurheimius Kirthingenſis. 36.
Chryſogone. 117.120.

ELISABETHA Angliæ & Hiberniæ Regina. 3. 6. 39. 53. 77. 105. 134.

FErdinandi Rom. Imperatoris obitus. 71.
Fridericus Comes Pal. Rheni, dux Bavariæ. 9.

GEnius Meliſſi. 128.
Georgius Zehender, prætor Arenſtenius. 50.

HElenus Myrtilæ. 122.
Hermannus Folkerſemius nobilis. 101.
Hieronymus Vvolfius. 87.

Digitized by Google

IAnus Douſa Nordovix, nobilis. 143.
Ioachimus Camerarius Pabepergenſis. 80.
Ioannes Baptiſta Lechelius. 83.
Ioannes Brandeſides Pragenſis. 69.
Ioannes Hagius medicus. 107.
Ioãnes Henricus Hainzelius, patrici⁹ Auguſt. 18.
Ioãnes Poſthi⁹, principũ Palatinorũ medicus. 96.
Ioſephus Scaliger, Iulij Cæſaris F. 137.
Iuſtus Lipſius nobilis. 13.149.
LAzarus Hilarius Viennenſis. 66.
Lygdamus. 125.
MAgdalena Stelbagia. 50.
Maria Muſſia. 27.
Maximilianus II. Rom. Rex. 57.61.
Michaël Rauënbuſchus. 22.
Myrtila. 122.
NIcolaus Clemens Trelæus. 90.
Nicolaus Comes Oſtrorogius. 25.
ORlandus Laſſus Muſicus. 88.
Otilia Meliſſa, mater Meliſſi. 137.
PAulus Mylaurus Auſtrius. 94.
Potatores & ebrioſi. 47.
REgius mons Franciæ orientalis. 41.
ROSINA. 114.118.130.132.
STatua Minervæ. 9.
THraſyllus in Barbarorum inſolentiam. 11.
Thymbria. 125.
Turtures Meliſſi. 131.
VIéna Auſtriç Maximiliano II. Rom. Regi. 61.
Vrania. 93.

Digitized by Google

Digitized by Google

MELISSI
SCHEDIASMATVM
POETICORVM
PARS TERTIA.

Secundo recognita, atque edita

PRIVILEGIIS
ROMANI CÆSARIS AD VII. ET
FRANC. REGIS AD IX. ANNOS.



LVTETIÆ PARISIORVM.

Apud ARNOLDVM SITTARTVM sub scuto Colonienſi, monte divi Hilarii.
Anno CIↃ IↃ LXXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

MELISSI SCHEDIASMATVM POETICORVM

PARS TERTIA.

Secundo recognita, atque edita

PRIVILEGIIS
ROMANI CÆSARIS AD VII. ET
FRANC. REGIS AD IX. ANNOS.



LVTETIÆ PARISIORVM.

Apud ARNOLDVM SITTARTVM sub scuto Colonienſi, monte divi Hilarii.
Anno CIↃ IↃ LXXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI, GERMANI,

Comitis Palatini & Equitis, laureatique Poëtæ, Civis Romani

EPIGRAMMATVM

LIBRI NOVEM.

MVSARVM NOMINE INSCRIPTI,

I. CLEIO
II. EVTERPE
III. THALEIA
IV. MELPOMENE
V. TERPSICHORE
VI. ERATO
VII. POLYMNIA
IIX. VRANIE
IX. CALLIOPE.

Digitized by Google

AVCTOR
AD SVAS MVSAS.

ITE *bonis avibus, feliciter ite Camenæ,*
Reginamque bono viſite Lucifero.
Illa perhumanis vos amplexabitur ulnis,
Princeps Caſtalij virgo Britanna chori.
Vt merito greßus talem gaudebis in aulam
Ferre, verecundo grex adamate gregi!
Vt merito, Charitum numero comitate, benignos
Munificæ vultûs experieris heram!
Credo equidem, non ullâ aliâ juralibus ipſæ
Principe vos dignas eſſe, fuiſſe, fore.
Indeptæ grandem modicis ſimul eſtis amorem.
O quantum eſt magnæ parva placere Deæ!

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER PRIMVS.

CLEIO.

CLEIO *virtutem laudo, præcláraque geſta:*
Laurea militiæ, pacis oliva comes.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

ARMA *per Eoas ſub Thrace frementia terras,*
Cæſare pro patriis belligerante focis,
Me lituos ſtrepitûsque inter fecere Poëtam
(Si quis adhuc triſci nominis exſtat honos)
Qualemcumque quidem releges imbelle canentem
Imparibus carmen dia VIRAGO, *modis.*
Vt paces rediere bonæ, furor ille recurrit;
Ille furor, Clarii largiter hauſtus aquis:
Osque glycyrrhizæ ſucco mihi Francica tinxit
Nympha, remollitos eliciente ſonos.
Sic pare temperie, Muſis et Apolline dextro,
Mars canit apta ſago, Pax canit apta togæ.

AD ROSINAM.

PROXIMA *Reginæ ſequeris quod ſyrma Britannæ,*
Gnaviter ad niveas officioſa manûs;
Id monitis Cliûs facis, imperioque ſororum,
Progenies Clarij pulchra ROSINA *chori.*
Num tua detrectet famulantia jura Virago,

Digitized by Google

Dissernatve procul dulce ministerium?
Absit. ab ingenuâ proficiscitur omnis honestas
Virgine, & eximius cum probitate pudor.
Stemma tuum taceo. Scit Apollo, Diana, Jovisque;
Scis quoque tu, doctæ Palladis esse soror.
Nomina discutias, o formosissima rerum,
Nomine quid reperis pulchrius esse tuo?

AD ROBERTVM COMITEM LEICESTRIÆ ET PHILIPPVM SYDNEVM.

PRINCIPIBVS *mos est infantis ab únius ortu*
Treis susceptorum conciliasse manûs.
At pia susceptrix (fortunâ obstante novercâ)
Hisce novem natis nulla reperta meis.
Sunt inopes. Regina tamen Britanna puellas
Has aliquo poterat dives habere loco.
Si moriar, tutoris egent patre mæstiter orbæ:
Quis curatoris possit obire vices?
Vivus eas vobis pariter commendo. Novem
Dux ROBERTE *chori, fisque* PHILIPPE *comes.*
Mite gynæcéum non ingrediantur, adeptæ
Munificum comitem, munificumque ducem?

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

INCLITA *quæ famâ clares ambagine mundi,*
Quàm longè celeres Sol superguntur equi;
Et laudem, Regina, tuam & præconia honoris
Infantem potius mirificare decet,
Dicere quàm paucis. si flumenis instar, inundans
Pluribus elloguis, illa vocalla foret;
Copia materiæ linguam superare nequiret,
Nec calamum rapidæ fungeret uber aquæ.

Digitized by Google

Sed quia virtutum (Dea, non homo) grandis abyſſus
Fluctivago ſimiles efficit Oceano ;
Mergerer immenſo pelago. nam litoris expers
Eſt tua laus, expers marginis altus honor.

AD ROSINAM.

Sic gerat æternum tua gens Mavortia nomen ;
Sic tibi de Franco vate triumphus eat :
Huc ades ægiſonæ formâ clipeata Minervæ ;
Caſſida ſumpta comas armet, & haſta manum.
Nunc certamen eris Diva atque ego grande. laceſſam
Te nudus ? vinces, ſat ſcio. victus ero.
Non tamen hic animus pugnæ ſuccumbet. honeſto
Prælior & licito veles amore tui.
Anne dolis ut te capiam ? capiarve ego ? neutrum.
Non amat ingenuus vincula ſerva pudor.
Cur igitur tecum certo ? genialis ut ambos
Libera Mars norit nos fore mancipia.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

Cæsaribvs magnis quondam clarisque dynaſtis
Tantus legitimo eſt jure tributus honos,
Vt Patriæ Patres *audiant ; idque togati*
Ob merita in populi ſacra piosque focos.
Heroina, *tuæ quis laudis facta recenſens*
Adjiciet meritis nomina digna tuis ?
Tu patriam, quæ te talem tantamque creavit,
Nunc recreas, gentis cura decusque tuæ.
Nonne decente magis melioque jure Britannûm
Te Patriæ Matrem *dicere quisque poteſt?*

Digitized by Google

AD CAROLVM V. ROM. IMP.

AFRICA *te metuit, metuitque Europa. timendus*
Aſidi eras armis CAROLE *Quincte tuis.*
Multa ſalo præclara, ſolo præcláraque multa
Geſta parem faciunt te ſimilemque Deis:
Sed duce Mauricio, noctu metus & fuga, quòd non
Exueris hominem, teſtis uterque probat.
Lubrica Fortuna eſt, quam non Deus ipſe gubernet.
Sæpius excelſos dejicit illa viros.

AD FERDINANDVM IMP.

PACATISSIME FERDINANDE *Cæſar;*
Vides, oppida quanta, quotque pagos,
Villas, prædia, & inſulas & arces
Inteſtina tumultuum ſimultas
Diſſentanea per rebellionis
Facta abſtraxerit Hungârum coronæ;
Illaque omnia Thracio tyranno
Prædam adjecerit? heu pudor nefasque!
Idem diſſidium manet Polonos,
Acri poſtmodò vulturi vorandos.
Res concordia parvulas adauget;
Sed discordia maximas profundit.

DE ELISABETHA REGINA ANGLIÆ.

QVID *tot in orbe Deæ numerantur, quũ tamen ullâ*
Nemo unquam in toto viderit orbe Deam?
Aut nulla eſt, aut vix una eſt Dea. ſi tamen una eſt,
Nulla pol illa, niſi ſola BRITANNA *Dea eſt.*

Digitized by Google

AD MAXIMILIANVM SECVNDVM IMP.

Si quantum gravitate valent, Fortuna juvaret
Consortes belli, militiæque duces;
Rebus & hoc ipsum præstaret & acribus ausis
Quisque, quod ingenti prædicat ore ferox:
Jampridem nostro spumesceret Hellespontus
Remige, & Euxini poneret ira maris;
Cornua quique diu gemuit sibi fracta, vicissim
Lætior elatis curreret Ister aquis.
Grande decus meruit laudemque SERINVS *heros,*
Sospite quo sospes vestra Sigethus erat:
Fortiter ob patriam pugnans quia vulnere diro
Maluit, adverso cæsus ab hoste, mori;
Quàm (licet hoc poterat) captus servire tyranno.
O simul & bello forte togâque caput!
Mars faciat, tales tantosque, ter optime Cæsar,
Complures habeas ad fera bella duces.

AD IO. CRATONEM, CÆSARIS MEDICVM.

Quid Musis rigido cum Marte vel acribus armis?
Scilicet aiebas nuper, amice CRATO.
Dic age, cur pharetrâ telisque decorus & arcu
Pieriæ fidicen fulget Apollo lyræ?
Cur jaculum vibrat, cur concutit ægida Pallas,
Quæ Dea nobilibus præsidet ingeniis?
Ennius aut quare, doctique Camena Maronis,
Horrida terribili classica voce canit?
Non opus est referam Flaccum, memoremve Tibullum,
Quique Macer thyrso laudis in arma ruit.

Digitized by Google

Si priſcis cordi fuit illâ ætate poëtis
Arduus & belli militiæque labor;
Quis vetet, illorum lego qui veſtigia vates,
Quo minus invicti Cæſaris arma ſequar?

DE RHENO ET DANVBIO FF.

DANVBIVS *fertur tumidarum rector aquarum*
Queſtus ad æquoreos multâ fuiſſe Deos;
Præponi Rhenum ſibi, fluviorumque vocari
Regem. cui Nereus; deſine plura queri.
Si fluvij captive tui reparaveris Iſter
Cornua, Threïciâ cornua fracta manu;
Nympharumque ſimul rigidâ ſub lege tyranni
Solveris implexo colla revincta jugo:
Sponte ſuâ Rhenus cupiet tibi cedere palmam;
Sceptrifer interea rex mihi Rhenus erit.
Annuit Oceanus; movit pater ipſe tridentem:
Danubius mæſtis turbidus ibat aquis.

AD CHRISTOPHORVM COM. PALATINVM RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

DVM *tuis exſultim ſonipes ferit ætheris auras*
Arduus, & celeri calce fatigat humum;
Cernere tum videor, geſtarit Perſea quondam
Pegaſus Auroræ qualiter ales equus.
Pegaſon at quantum ſonipes, ſcis vincere tantum
Vlterius ve aliquo Perſea, CHRISTOPHORE.
Dicere ſane aliâs auderem; Tu mihi Perſeus,
Ille tuus quadrupes Pegaſus alter erit.

Digitized by Google

AD THRASYBVLVM LEICHTIVM.

MILES *uterque ſumus, domino ſervimus & uni,*
Mentibus unanimes conſilioque pares;
Sed tamen abjunctos acie locus ipſe diremit:
Alter ab alterius didimur intuitu.
Quàm cuperem, ſimul eſſemus THRASYBVLE! *ferirent*
Læta meus aures claſsica, læta tuas.
Nodus hic in ſcirpi diſcrimine ſeparat ambos:
Tu pedes es Suevus, verùm ego Francus eques.

AD ÆGIDIVM.

IMMORTALE *ſuâ tibi nomen ab ægide Pallas*
Armipotens belli præſes habere dedit.
Sis animo forti, mediosque ruamus in hoſtes;
Præsentem poſito ſperne timore necem.
Confiſos bonitate Dei Fors ipſa juvabit,
Mars etiam a noſtrâ parte ſecundus erit.
Si cadimus, cecidiſſe juvat. ſed ſtragis acervos
Hæc manus innumeros, quàm cadat, antè dabit.
Sic non indecores animam fudiſſe feremur:
Pro patriâ laus eſt & pietate mori.

AD LEONHARTVM.

ACER *ut adverſus fera bruta animoſior ire,*
Nec ſolet ullius vim metuiſſe leo:
Sic contra, LEONARTE, *feros audentior hoſtes*
Vade age, & illorum cornua fracta doma.
Ipſa tibi pulchram pariet victoria laudem:
Vincitur haud ullis mens generoſa malis.

Digitized by Google

AD CAR. VTENHOVIVM C. F.

CAROLE forte rogas, bello quid agatur in isto,
Dum contra Turcas Teutones arma gerunt?
Pugna cadis tanta est, tanta est certatio pocli,
Quis sit, ut ignores, inferiore loco;
Cominus inter se tam fervida prælia miscent.
Quisque nisi læsum non caput inde refert.
Maxima pars Bacchi letalibus occidit armis
Saucia: pars ægri morbida membra trahunt.
Desidiâ reliqui torpent segnique veterno.
Castra tamen Thracum tam metus acer habet,
Eminus ut cyathus saltem si iretur in hostes,
Illico terga fugæ Thracia turba daret.

AD COMMILITONES.

QVID sumus, o socij? quâ spe consistere firmum
Rebus in humanis posse putamus opus?
Nil stabile est, nil perpetuum; celerique rotatæ
Turbine sors hominum versat acerba vices.
Quàm cito IAVRINVM *rapidos consedit in ignes,*
Pannoniasque furens Mulciber hausit opes!
Ah miseri, miseri, quibus uno temporis ictu
(Qualiscumque fuit) resque domusque perit.
Sensimus hoc ipsi, patriam quum flamma cremaret
Alphipolim, nostris sæva nocere libris.
Quid querar heu libros? ædes (hoc ploro) paternæ
In cineres horis tunc abiere tribus.
Sola tamen tantos Patientia totque dolores,
Quæ prior hos didicit ferre, tulisse docet.
Hæc certè, Spe nixa bonâ, mala plurima lenit,
Damna quoque & passos hæc graviora levat.

Digitized by Google

AD LAZARVM SVENDIVM.

HECTORA me noſter, te Aiacem LAZARE *dixit*
Tulechovus, junctâ proximiore manu:
Scilicet intuitus procéra tuique meique
Corporis æquali ſtantia membra pede.
At mage felices ſumus ambo faventibus aſtris,
Quam vel Priamides vel Telamoniades.
Do tibi nullum enſem, mihi baltea nulla redonas:
Sunt neutra alterutri munera cauſa necis.

AD MICHAELEM CORMÆVM PAXIVM.

OTIA Pieridum CORMÆE *forinſecus optas,*
Et gaudes requie, pace, ſalute frui.
Non ſinet hoc Dæmon, non arma duellica Martis,
Pannonas aut terrens Thrace ſub hoſte metus;
Nec ſævi deerunt alibi inſanire tyranni,
Tinguereque effuſo triſte cruore ſolum.
Quærendum eſt aliud, dum lubricus incola mundi
Conſpicis inſtabiles turbinis ire vices;
Scilicet interior mentis pax. hæc ubi deſit,
Nulla foris requies eſt tibi, nulla ſalus.

AD FRIDERICVM II. REGEM DANIÆ.

PACE quid utilius, quid Marte nocentius orbi?
Hic perdit reges, illa perire vetat.
Stultitia exoptat bellum, ſapientia pacem:
Imperium nutu ſtatque caditque Dei.
Marte ſuas gentes & vertere regna laborant
Sanguineâ queis faux ardet anhela ſiti.

Digitized by Google

Pace tuos ſtabili populos FRIDERICE *gubernas;*
Inde beata ſuo DANIA *flore viget.*
Quàm te regnantur ſapienter principe terræ,
Cui σοφία in corde eſt, cui Sophia ad latus eſt!

DE SEBASTIANO VOGELSPERGO.

FORTIS *erat bello vir & acribus inclitus armis,*
Cui volucris nomen monsque perenne dabat.
Fuſſerat huic Quinctus caput a cervice recidi,
Cæde fora Auguſtæ nunc quoque tincta rubent.
Ille ſibi cernens enſemque necemque paratam,
Carnifici intrepidâ talia voce refert:
En morior; moriarque, jubet quia Cæſaris ira:
Quod precor, hoc votis parce negare meis.
Truncus ubi gelidâ fuero tellure ſepultus,
In tumulo fetum conſere rite nucis.
Nux ea, ſi merui pœnas, areſcet: at inſons
Si plector, creſcet; grandis & arbor erit.
Vota valent. arbos ſuccrevit, & alta ſub auras
Explicuit patulis brachia denſa comis.

AD CHRISTOPHORVM COM. PAL. RHENI.

ARTE *ſagittandi ſi quis vocitare magiſtrum*
Te velit, haud dubiê nomina vera dabit:
Nec decet, o Princeps, aliorum is pace loquatur,
Quos colit artifices Teutonis ora ſuos.
Quàm pater & fratres illis excellere norunt,
Tam tu præcellis fratribus atque patri.
Indicio eſt tactus certis ſcopus ipſe ſagittis:
Juſtus ut eſt oculus, ſic quoque juſta manus,

Vsque

Digitized by Google

Vsque adeó, jussos ut non nisi tangere clavi
Ipsa volans apices recta sagitta velit.
Quid credam? vel te Chiron hac imbuit arte,
Vsurpanda tibi vel sua tela dedit.

IN LVDOVICI MASVRII NERVII POEMA.

SI licet inter se justâ componere lance
Nostra perantiquis sæcula temporibus;
In pretio nunc est maióreque flore Latinus
Sermo, tuo quàm sub patre, gemelle Remi:
Plus nisi quòd sapiant Martem, sitiantque cruorem
Quos tulit hæc reges, quos genitura duces.
Attigit en summum Romæ decor, áltaque Cleio
Tam recinit Francum quàm Latiale melos.
Alter Virgilius MASVRI *sis, alter Homerus,*
Ardua docte gravi bella sonare tubâ.
Nec quisquam invideat famæ. Borbonias exstet
Par opus Æneidi, par opus Iliadi.

AD CAROLVM HOERNICVM PRESLÆVM.

CAROLE, tune etiam Phœbo studiisque Dearum
Posthabitis, animi cæcus in arma rues?
Dulce rudi Mars est, expertus abhorret ab illo:
Ah nescis, quantum bella laboris habent.
Me quoque nescio quâ nuper dulcedine ductum
Ad fera vesanus traxerat arma furor.
Tutius est mansisse domi, coluisse Minervam:
Bella foris alij, tu gere bella domi.

Digitized by Google

AD CASP. SEITLIZIVM NOB. SILESIVM.

QVANTA *manus Fabij memoratur ſanguinis, olim*
Romulidûm celebri nobilis hiſtoriâ:
Tot pluresve queunt hac tempeſtate referri
SEITLICIÆ *gentis nobilitate ſati.*
Magnus honos ſanè, virtutis & augmen avitæ,
Multorum ſuperat ſtemmata magna ducum.
Maius at hoc longè eſt, CASPAR, *quòd divite poſſis*
Doctrinâ cunctos vincere Seitlicidas.

AD PET. ENOCVM.

PRIMITVS *acer eras, indicebasque duellum:*
Bellica mox humeros cingor in arma meos.
Cumque diu tacitus me ſpe lactaris inani,
Segnior & pigrior factus inerte morâ es.
Symbolon aſt hodie tandem non piſa, nec ervum,
Nec cicer aut lentem das, ſed ENOCE *fabas.*
Téne rear Fabium præſtes ut lente, vel unum
Panthoidæ muto de grege forte ſenis?
Hoc tibi concedam (quamvis faba protinus iſtæc
In cute cudetur Pythagoræ tuâ)
Sed non illud item. Cunctator quilibet eſſe,
Verùm non Fabius quilibet eſſe poteſt.

AD ACHILLEM GAVLIVM.

EFFIGIEM *mortis quare mihi mittis* ACHILLE?
Scilicet ad mortem fortis ut Hector eam?

AD HENR. STEPHANVM.

SI *quis apud Graios olim veteresque Latinos*

Digitized by Google

Sive foris bello, seu quoque pace domi,
Aut patriam servarat, item superaverat hostem,
Strenuus aut dignum laude patrarat opus;
Ille suæ pretium virtutis ab urbe coronam,
Vel celebri meruit signa locanda foro.
Nunc quia Barbariæ tot plúrave tempore nostro
Monstra subegistis tu genitorque tuus,
Quàm vel magnanimus victrice cohercita quondam
Scribitur Alcides perdomuisse manu:
Quæ tibi, quæve tuo debentur præmia patri?
Quæ statui vobis marmora digna queunt?
Sint data, quæ Latij, quæcumque dedistis Achivi,
Digna tamen STEPHANIS *haud potuere dari.*

MARTI SACRVM.

HVNC TIBI MARS GLADIVM PRO MVNERE CONSECRO VITÆ, SI GLADIVS VITÆ MVNVS HABERE POTEST.

DISTICHON

In Venetorum victoriam, continens annum Christi M. D. LXXI. diem Octob. VII.

FLVCTIVAGI *Turcas Veneti stravere duello;*
Nonis Octobris lux quia dextra favet.

Aliud continens numerum.

VICTOR *aquis Henetus perstat, ferus occubuit Thrax:*
Vt lux Octobris septima læta venit!

Digitized by Google

AD ALDVM MANVTIVM PAVLI F.

DVM Capitolinâ MVRETVS *in arce Columnam*
Laudibus eximiis tollit ad astra ducem,
Ambiguum fecit Victoria, docte MANVTI,
Aoniâ lauro dignior esset uter:
Illene res gestas memorare disertus, an istic
Quem tam facundè res memorata decet.
Vt bene rem dirimit Latiâ cum plebe senatus,
Muretum civem qui jubet esse suum!
Nam sua Mureto cessit, sua palma Columnæ:
Vincit hic invictos Rhetoras, ille Getas.

AD ESROMVM RVDIGERVM.

SCILICET obsequium (ceu Comicus inquit) amicos,
Sed veritas odium parit.
Circumstent te mille odia & te mille pericla,
Non diffitenda est veritas.
Discipulum tali præceptor voce monebas:
Reapse nunc probas idem.
Ne treme, ne tituba RVDIGER; *sed cuncta feristæ*
Adversa Franco pectore.
Pectore dum Franco momenta brevissima perfers,
Fortissimum præstas virum.
Forte merum, fortis mulier, rex fortis; at ipsa
His veritas est fortior.

AD FRIDERICVM II. REGEM DANIÆ.

FONTEM, perpetuis quem duxit ad æthera lymphis
Plurimus ingenij, Rex FRIDERICE, *labos,*

Digitized by Google

Nymphæ cum Muſis, Dryades ſacilesque Napææ
Vnanimi celebrem voce melôque canunt.
Adſpice Neptunum; capita adſpice lætus equina:
Adſpice, Delphines quanta ſluenta vomant!
Sirenum fundunt liquidiſsima mulctra mamillæ:
Heic Venus, heic Pallas, Júnoque regna gerit.
Ejaculatur aquas populorum Martia turba;
Teuto, Thrax; Gallus, Sarmata; Moſcus, Iber.
Omnia discutias; omnis ſimul undique & usque
Cónſtrepit in laudes unda ſuſurra tuas.

AD RVDOLPHVM II. ROM. IMP.

QVI tuus eſt hoſtis, fuit hoſtis avoque patrique.
Fortior o utinam ſis patre, ſis & avo.
Reliquias patriæ noris ut ab hoſte tueri,
Vtile cum Jovâ cælite fœdus ini.
Non aliter poteris capitales vincere Thracas,
Non aliter regni jus ſtabilire tui.
Eſt opus auxilio tibi conſilioque, RVDOLPHE.
Conſilium hic ſolus, ſolus hic auxilium eſt.

AD GEORGIVM FRIDERICVM, MARCHIONEM BRANDENBVRGENSEM.

De inſtauratione ſcholæ novæ apud SALVTARES FONTES Franciæ.

PRISCA ſacros Muſis quærat Bœotia fontes,
Et matutinas Pegaſus acer aquas.
Nos laticesque novos ſancti guſtabimus antri,
Ortaque ſub mundi veſpere ſera bona:
Sera bona; at nullis non æquiparanda vetuſtis,

Digitized by Google

Immo etiam cunctis anteferenda bonis.
Nam venas FRIDERICE *aperis diffusius; unde*
Lympha SALVTARI FONTE *perennis eat.*
Vngula fodit equi Pallantidos Hippocrenen:
Has scatebras magni principis alta manus.
Tanto igitur pluris fiant hæ principis undæ,
Quanto est inferior pes potiore manu.

IN NONAS APRILES
Anni 1539. & 1582.

NATALES *tibi* FRIDERICE *Nonæ*
Aprilis; eadem scholæ recenti
Lux natalis, ad aureum SALVTIS
FONTEM *quam generosus inchoasti,*
Firmum præsidium artium bonarum,
FRANCO *Æque decus perenne gentis.*
Nimirum ecce videbimus quotannis
In te flore novo scholam hanc oriri,
Teque semper in hac scholâ renasci.
O dextram ominis auspicationem!

DE FABIANO DONÆO BVRGRAVIO.

QVOD *manet æternus Musas honor, áltaque Phœbi*
Gloria; nec Pallas nescia laudis agit:
Laudibus egregiis en hoc DONEÏVS *heros*
Inclitus, eximiâ dexteritate facit.
Quòd scatet Aonius fons, quòd scatet Hippocrene
Fugiter; assiduas ille ministrat aquas.
Quòd Pindi vertex, Helicon, Parnassia rupes
Stant fundamentis non ruitura suis;
His idem fulcrum est immobile. sustinet idem

Digitized by Google

Principe pro noſtro grande laboris onus.
Denique quòd ſalva eſt reſpublica ; efficit unus
Ille Palatini firmus Atlantis Atlas.

DE GEORGIO LVDOVICO SENSHE-, MIO, BARONE FRANCO.

SENSEMIVM, *o Muſæ, ſimilem cui dixero, nomen*
Qui celebre a Latiâ rettulit hiſtoriâ ?
Coſſo mente alacri, Marcello fortibus auſis,
Scipiadæ pugnis, ictibus Attilio.
O parcam laudem! nam pluris hic inclitus heros
Coſſo, Marcello, Scipiade, Attilio.

AD THEODORVM CYSSAM.

CERNIMVS *ut plures labyrintho immerſerit error ;*
Altior his oculos CYSSA *vetemus habet.*
Cæcultant aliqui: deperdita regna ruinis,
Fruſtra aliis reſidem mentem animumque movent.
Sunt & , cum poſſint antæ fulcire labantes ,
Vnguem qui digiti vix adhibere velint .
Tu facis obnixê manibus pedibusque viriles
Pro lege effectûs régeque , proque grege :
Nec dormire quidem poſcente ſopore , licet it
Nox media admittet , ſeu jubeare , queas .
Vsque adeó pax atque ſalus tibi patria curæ .
O vigilem athletam ! par tibi , CYSSA , quis eſt ?
En tua dexteritas acique labóreque vicit
Argum centoculum , centimanumque Gygen .

AD IAN. IAC. BOISSARDVM.

BOISSARDE *quereris , nemini quòd amplius*
Exulcerato hoc ſæculo fides ſiet

Digitized by Google

Adhibenda, deque râritate plurimâ
Virûm bonorum multa verba funditas.
Nescin' quid ætas ista monstri nutriat?
Aut quomodo discrimen internoscier
Queat? Caballine emptor introspexerit
Frustra ora, linguamque integram cum dentibus?
Faciundum idem esse suaserim mortalibus:
Bonis viris nascuntur in linguâ pili.

AD IOAN. MOLITOREM NORIBERG.

FLAMMAS *cum valido, regionum incommoda, ferro*
Istius ex regni limite sustuleris:
Exseret in cives animus se regius ille;
Regius ille animus, fœdera pacis amans.
Sic ego nequicquam sperare. videlicet hanc spem,
Tempora uti nunc sunt, ventus & unda rapit.
Crudeles armat furor; ac quo sævius ardet,
Hoc citius demens in sua fata ruit.
Belgis Celtarum communia damna luuntur,
Et tamen, o MOLITOR, *tot mala sine carent.*
Sarcta & tecta sibi quis habet bona, ut omnia passim
Obvia sint Marti, pervia Mulciberi?

IN SYRIADA PETRI ANGELII BARGÆI.

TANTVM *de sese felix Æneïdos auctor*
Famam excitarat, ANGELI,
Cæsar ut Augustus saltem vel hypographa prima,
Vel quodlibet colon sibi
Posceret inspiciundum oculis. fors carmen Homeri
Et Smyrna tanti fecerit.
Non tua tam finem Syrias, quàm exordia tanti

Digitized by Google

Operis videre ego geſtio.
Tu ſi Mæonidæ nil quidquam, nilque Maronis
Concedis ingenti tubæ,
Et Bolio tuus Æneâ Græcisque volabit
Virûm per ora clarior:
Cæſaris o quantum & Smyrnæ vehementior ardor
Ardore ſuperatur meo!

AD [redacted] NOR-

LECTA *Palatini cultis ex principis hortis*
Mitto Palatinus hæc tibi ſerta comes;
Laurea ſerta, tuos IANE *evinctura capillos,*
Muſæ & virtutis præmia certa tuæ.
Hæc tibi enim duplici debentur nomine DOVSA,
Cum ſis bellator, ſisque poëta bonus.
Fallor, an excipiens hilari te LIPSIVS *ore;*
Macte tui, dicet, Martis & artis here!
Poſt doctum Huttenum cuiusquam ſi coma lauru
Digna fuit, DOVSÆ *pol coma digna fuit.*
Et merito. quis enim invideat tibi, ſi cluet acer
Mars armis, alacrisque ars cluet ingenio?

AD FRANC. VIENNAM CLAVDII ANTONII F.

CLARVS *avis opibusque potens virtúteque præſtans*
Eſt tuus, & celeber Martis honore, pater.
Prænitet inſigni ſtirps inclita quattuor inter
Stemmata Burgundæ nobilitate domûs.
Aonidum FRANCISCE *novum decus adde vetuſtis;*
Hæc erit antiquâ gloria laude prior.

Digitized by Google

AD NICOL. REVSNERVM LEORINVM.

FRANCORVM *reges, veterisque exordia gentis*
Vsque per innumeros ducta potenter avos
Dehinc LEORINE *canes. non hæc tibi Musa pudori,*
Non erit hæc numeris res aliena tuis.
Spreveris ah Manes pronas tibi tendere palmas,
Suppliciterque Elegos sæpe vocare tuos?
O te durum & inhumanum, si corda refutas
Tot regum precibus mollia, totque ducum!
FRANCIA *te duplex simul obtestatur, ut illis*
Ne desis. duplex fama parata tibi est.
Gratia promeritis & siqua fruenda refertur;
Bis felix, geminâ cui datur inde frui.

AD GEORGIVM LVD. HVTTENVM, NOB. FRANCVM.

EST *aliquid, claris debere parentibus ortum,*
Priscorumque recens reddere nomen avûm:
Nec minimum est, cultas animum formasse per artes;
Et Ciceronæo purius ore loqui.
Tu decus exornas HVTTENÆ *gentis, & amplis*
Doctrinæ cumulas munera divitiis:
Nam tuus agnatus per te LVDOVICE *revixit,*
Doctaque tam celebris tot monumenta viri.
Quo non it virtus, quæ non nisi cogitat usque
Optima, promittit maxima, summa facit?

AD PHILIPPVM MARNIXIVM ALDEGVNDIVM.

QVALIS *erat Xenophon Cyro cum principe quondam,*
Qualis Alexandro fidus Onesicritus;

Digitized by Google

Talis tu Vranio cum principe. namque PHILIPPE
Vt bonus es miles, sic bonus historicus.
Felices Belgæ! MARNIXIVS *iste Philippus*
Alter adest Xenophon, alter Onesicritus.

AD IO. HAGIVM.

TERRIBILEM *vicit, monstrum furiale, Chimæram*
Pegaseo insidens alite Bellerophon.
POSTHIVS *invectus Galiardi tergore fortis,*
Cóntudit informi gutture Barbariem.
Durus uterque labos, utriusque ut durior HAGI
Portenti rabies exitiosa fuit.
Sed quo deterior Lyciâ peiorque Chimærâ
Barbaries Musis plurima damna dedit;
Posthius hoc noster melior (nam commoda Phœbus
Sentit) & integrior Bellerophonte venit.
Glaucia si proles æternum hinc cepit honorem;
Posthius æterni plus quid honoris habet.

DE LABORE ET VIRTVTE.

SI *labor & virtus trutinâ pensentur eâdem,*
Pondus utrique decet par ratione dari.
Virtuti comes invidia est, fortuna labori:
Quàm labor & virtus impare lance jacent!

AD IO. POST[redacted]M.

CVR *longum dormire jubes me strata petentem,*
Nocte brevis somni quem juvat arcta quies?
Num prosit, torpere gravi mea membra veterno?
Num piger exitio deside mente vacem?
Me longum vigilare jube, gnavissime POSTHI;
Sitque meis oculis fac procul usque sopor.

Digitized by Google

Te ſequàr in celſos Hæmi contendere clivos,
Quo tibi præmonſtrat molle verédus iter.
Si puer Aonidum peragravi caſtra pedeſter,
Lumina nec geßi vincta papaveribus;
Vir modo ſomniferis auſim indulgere tenebris,
Pegaſeo velox alite vectus eques?

AD IO. CHRISTOPHORVM FVCHSIVM NOB. FRANC.

CERNERE discupio, FVCHSI, clariſſime Fuchſi,
Ora tua, & tecum mutua verba loqui.
Fallor, an exoptabis idem, quo cernere poßis
Ora mea, & propior vocibus eſſe meis?
Ipſe equidem tanti non ſum. tu pluris habendus,
Quàm quod divini numinis inſtar erit.
Idcirco tacitâ colui quem mente fidêque
Hactenus, Auſoniis advena limitibus;
Nunc animo & vultu præsens venerabor aperto,
Fluminis ad Franci litora nota redux.
Ac merito. quia enim xenius mihi Iuppiter es tu,
Cur veter hei xenio poſſe litare Jovi?

AD CHRISTOPHORVM FYRERIVM, SEN. NORIMBERG.

O VARIAS emenſe plagas remeabilis orbis
CHRISTOPHORE, & vaſti brachia longa maris;
Quid juvenem tantos juvat exhauſiſſe labores?
Quid juvát externos tot peragraſſe ſinûs?
Sederat hoc animo rerum cognoſcere cauſas,
Otia nec fruſtra deſide mente ſequi:
Pigritiæ ſiquidem gnava experientia probro eſt,
Et pudor ignaros arguit ipſe ſenes.

Digitized by Google

Multa reportaſti, quibus eruditiſſe nepotes
Scibis; FVRĒRIÆ non inhonorā domo.
Ecquid enim ſumptûs facimus, niſi fenora cenſum
Auctent? uſuram hanc qui capit, ille ſapit.

AD IOACHIMVM POEMERIVM.

SPES modo ſe lætis oſtendit ab æthere pennis:
Sors modo; Deſpera, nil tibi reſtat: ait.
Vtri plus tribuam? Spes vana eſt ſæpe; fugaxque
Inſtabiles variat Sors IOACHIME vices.
Nimirum ſpem ſpe ſuperavero, ſórteque ſortem.
Victor nemo exſtat, cor niſi forte gerat.

AD MARTINVM CRVSIVM.

EXSVL ab Argolicis Latias tum viſeret oras,
Et locum non inveniret
Diu morandi commodum;
Trans Alpes rigidas ſeſe Dea contulit Atthis,
Eruditione clara
Petens Lycéa Almanidos.
Pro Telamone aderat par Diis Camerarius olli;
Wolfiusque cum Xylandro,
Linguæ Pelasgæ vindices.
O quem te referam CRVSI memorabilem Atlantem,
Vnus omnem qui intuliſti
Nunc Græciam in Germaniam!

IN MONARCHAS NICOLAI REVSNERI LEORINI.

QVI canis heroas, LEORINE, heroicus ore;
Carmine & heroo munere dignus eris.

[redacted]

In duo dividitur vitæ discordia, Posthi:
Aut pax aut Mavors subdita quæque domat.
Si velit hic, fiam miles: velit illa, colonus.
Aptus utrique, geram gesa, novale seram.
Ast ubi prædominans populus sine vertice magnum
Eliget ad belli munia clara ducem,
Et medio mugire foro Nereïdos urbis
Ad mulctram junix cœperit Helvetica;
Qui qualesve erimus? Statuum mutatio grandis
Imminet: in tuto degere suave loco.
Principis ignoti Rhenus venerabitur ora,
Seu placidam pacem, seu fera bella gerat.
O miraculum ingens! nisi enim redit aurea virtus
Illo ævo, virtus aurea nulla redit.

AD NICOLAVM CISNERVM.

Nominis hæc elementa tui, Cisnere, disertim
Transposuit Natura sagax. studione vel arte
Fecerit occultans, artem studiumque Minervæ
Expertura meæ? Sincerus es atque fidelis,
Theseâque fide non te sincerior alter;
Theseas immo inter tu sinceriſsimus omnes:
An non te Musæ inscribant Amarantide cerâ?

Digitized by Google

CISNERVS.

Anagramm.

SINCERVS.

C LEIO, *prima ſoror meæ cohorti* S,
I *n* I *mâne locare calce* I *br* I
S *uſtine* S *mihi tam fidele* N *ome* N?
N *ix quo ca* N *dida*, C *andidũque quo la* C
E *ſſe vix pot* E *luce purior* E.
R *e ve* R *bisque apẽ* R *itur ipſe cando* R.
V *irt* V *s pectore nata, aperta* V *uls* V,
S *ummis hunc ſimilem facit Metello* S.

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER SECVNDVS.

EVTERPE.

EVTERPE delecto animum, mentemque sereno:
Exsulet a lætis turba severa jocis.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

NEMO meum fontem (moneo) Regina, nec Istri
Æquet, nec vastæ comparet Oceano.
Ister turbidior; nimium plus Doris amara est.
Sit mihi pura volo, sit volo dulcis aqua:
Neve catarrhactas Nili fluctûsve Sicanos
Plangor inundantis grandior amnis agat.
Flumina vix unquam sitiuntur magna; nec ingens
Profuit arenti nimbus aquosus agro.
Rivulus emánat placidis hoc fonte susurris,
Proritans alacrem liquiditate sitim.
Hoc juvat, hoc mellis est. tu puram, tu bibe dulcem:
Communi vulgo publica vena placet.

AD ROSINAM.

EXVLIBVS Musis, Phœbo, doctaque Minerva
Vestra domus gratum præbuit hospitium.
His postliminio redeüntibus ad sua demum
Tecta, tibi est obses blanda relicta Charis:
Ac ne sola foret; sociam Venus addidit ultro
Se Chariti.

Digitized by Google

Se Chariti. caſtæ eſt juncta pudica Veneri.
Mireturne aliquis, ſapiat ſi lingua ROSINÆ
Dulciloquam Venerem, ſuavidicamque Charin?

DE EVPHROSYNA.

QVIDQVID *habent Charites feſtivi, quidquid amœni*
Nymphæ, & doctrinæ Palladi quidquid ineſt:
Caſti quidquid adeſt Veneri, Muſisque decóri;
Quidquid honeſtatis candida Veſta gerit:
Denique laudatur quidquid, ſeu quidquid amatur;
Non niſi in Euphroſynâ quære Meliſſe tuâ.
Hæc habet atque gerit ſola omne, quod inclita Virtus:
Huic & adeſt & ineſt, quidquid ubique boni eſt.
Omnis in hac gaza eſt ſita. dixeris omnia, ſi vel
Nomine tu ſolùm dixeris Euphroſynen.

IN SCHEDIASMATA SVA.

RINGERIS, *& palmâ ruſpante poëmata verſas*
Lector: an hinc magnæ prodeat artis opus?
Nil tibi polliceor, præter Schediaſmata. Nonne
Promiſſis ſteterim, ſi Schediaſma legis?

IN SCHEDIASMATVM RELIQVIAS.

RELLIQVIAS *Schediæ diſquiris amice Minervæ,*
Reſtare grande quid ratus?
Mirum, ſi invenias aliquid. nempe ipſemet auctor
Pro derelictis has habet.

[illegible]

MECVM *ſæpe manere noluiſti,*
Seu cenam volui, ſeu dare prandium:
Aſt ultro ipſe velim manere tecum,

Digitized by Google

Si nec prandiculum des, neque cenulam:
Quid cauſæ eſt? tua delicata numquid
Blandinella meam forte ROSVNCVLAM
Faſtidit, roſeis genis nitentem
Æquè, purpureis atque labellulis?
Vivamus precor atque amemus unâ,
POSTHI *care, animi dimidium mei:*
Vnâ ſimus, edamus & bibamus
Vnâ. ſcisne dehinc alter an alterum
Porrò conſpiciat? Viciſſitudo
Immutat variâ res vice lubricas:

AD CHRISTOPH. SALICETVM GRÆCINVM.

CONGERRO SALICETE *raucitatum,*
Aſſâ voce canore tibiâque,
Pulſator crotalique cymbalique:
Hæ quorſum tibi nundinationes,
Aut iſtæ mihi fabulationes
Proſunt; quum nihil hinc ſpei refulget,
Illinc nulla venit petenda merces?
Quare ſi ſapis, o in univerſum
Tolle iſtas mihi fabulationes,
Has tollam tibi nundinationes.
Cur? neutri quod obeſt, utrumque perdit.

EX GRÆCO ANACREONTIS.

NON *amo, qui rixas blatit & lacrimabile bellum;*
Plena ſedens inter pocula vinibibax:
Sed qui Muſarum Venerisque nitentia miſcens
Dona, meræ memorat gaudia lætitiæ.

Digitized by Google

DE SAXONE QVODAM.

PAMPINEAS numquam Saxo qui viderat uvas,
Trajiciens amnem Bacchite Rhene tuum;
Hæccine, quærit, aqua eſt, e quâ Rhenana coquuntur
Vina? genus Zythi par ratus eſſe merum.
Annuit, & monſtrans remex vineta, Videsne
Heic, ait, & lupulum qui ſimul incoquitur?

AD THRASYBVLVM.

TE poterant oris promoſſe petorrita Francis,
Vel ſonipes, patriæ vel celer amnis aquæ:
Cur pedes adventas? Vegetum Thraſybule poëtam
Nunquam deſtituunt per juga ſacra pedes.

AD GEMELLVM, NOB. PALATINVM.

FVMVM alij vendunt, tu gratis das mihi fumum;
Thurini an fumum? non; ſed aromaticum.
Venditor in fumos quondam tuus: ille GEMELLE
In ventos abiit fumus, odorque manet.
Gratius hoc nares nullum ſuſſimen ad imas
Vênit. dic, quanti veneat. ipſius emam;
Sed gratis. Gratis propóla ubi vendere nolit,
Fumum pro fumo reddere nonne licet?

AD MATTHÆVM GREGORINVM TVLECHOVIVM.

EDENDVM ſolet inter & bibendum,
Quem noſti bene GREGORINE, *Phlaſco*
Non linguæ modò ſæpe, ſed ſuîmet
Oblivíſcier ipſius loquendo:
Velut mentio forte diſputando

Heri veſpere facta quum fuiſſet
Apum ; caſus apes apisne rectus
Eſſet . ille negans utrumque , cunctis
Reclamavit , apesque ſingulari
(Quem vocant) numero carere dixit .
Si vel tunc apis una ſingulari
Tantum cuſpidis impetiſſet ictu
Labra Phlaſconis , admoneńs ut oris
Memor dehinc foret ; ille opinionem
Heſternam reor , haud coactus , ultro
Retractaſſet , apemque credo ſanè
Plurali numero carere dixet .

AD PHILIBERTVM MILESIVM.

AMPLA *tua eſt navis ; ſpatioſa per æquora tendit ,*
Quum validi perflent carbaſa tenta Noti .
Vterer haud aliâ , mare transcurſurus in altum :
Principe namque Deâ , principe digna Deo eſt .
Sed quia vicini parvam lego litoris oram ,
Non adeó magnum carpere promptus iter ;
Cymba ſat eſt , lembuſve brevis , vel curta faſélus .
Contrahe vela tuæ , mi PHILIBERTE , *ratis .*
Qui volet , Oceani plenâ ampulletur in undâ :
Nauta colam modicis regna minora vadis .

AD FRANCISCVM AVERLIVM MINÆVM.

AVREOLVM *dominæ tuæ libellum ,*
Lacteolæ dominæ ſacrum libellum ,
Candidulæ tunicâ nitente chartæ
Ecce remitto decenter involutum ;
Borboniæ tot agens tibîque grates ,

Digitized by Google

Carmina grata ſacris quot ipſe, Phœbo
Non renuente, canis modis, AVERLI,
Quotque loquens hera Gratiis abundat;
Denique quot domino Deo Jehovæ
Corde pias agit apprecante grates
Ipſamet, aureolum legens libellum.

AD [redacted] M.

DONAVI *tibi ſedecim poëtas*
Nec integros nec abſolutos:
Redonas mihi ſimplicem poëtam,
Sed integrum, ſed abſolutum.
Altero minus, alterove maius
Vtrum ſit, ede quæſo, donum.
Quid muſſas, age? ſedecimne pluris
An unicum facis? Meliſſus
Æſtimat numerum quater quaternum
Minoris unitate ſimplâ;
Tanto IANE *minoris hercle, quanto*
Bis octo plura ſunt eo uno.
At versâ vice mutuo rependit
Valore commodata: namque
Condonans tibi ſimplicem poëtam
Nec integrum, nec abſolutum;
Plus donat tibi ſedecim poëtis
Et integris & abſolutis.

AD IO. HAGIVM FRANCVM.

HOC *verê tibi confirmo, vexilliſer* HAGI
Inter amicorum claſsica LOTICHII,
De grege Teutoniæ vatum mihi núllius unquam
Impariter junctos tam placuiſſe modos,

Digitized by Google

Quàm quos nec Muſis luſit nec Apolline lævo
Lotichius Clariæ flumine lotus aquæ.
Douſa mihi teſtis, Douſa inclitus arte canendi,
Quo nemo Batavûm clarior ingenio.
At cur non placeant dulciſſima carmina nobis,
Cur non ſit melli Lotichiana chelys:
Quando Lotichius dulcedo eſt ipſa, novoque
Muſæ ardent dici nomine Lotichides?

AD NICOLAVM CLEMENTEM TRELÆVM.

NON *externa ſed interiora quærit*
BOISSARDVS *meüs ille, ſuos libellos*
Eunuchos faciens, faciens ſpadones.
Cultellos amat immodicè ſecantes;
Caſtrat Pontifices malè Cæſaresque.
CLEMENS, *dic age dic nimium ſevero,*
Vt clementius immeritos libellos
Tractet. Quàm metuo (metuisne & ipſe?)
Si perrexerit, ut lubet, expatrando,
Ne Phœbum Charitesque ſacrasque Muſas,
Ne cunctas Veneresque Cupidinesque,
Ne caſtret quoque virgineam Minervam.

AD IAN. IAC. BOISSARDVM.

PARTEM *dimidiam tibi diei*
Nuper ſurripui deambulando
Hac illac, pariterque colloquendo:
Id BOISSARDE *doles adhuc, opinor.*
Cur & ipſe dieculam Meliſſo
Non furare, vicesque reddis æquas?
Damni quidquid erit reſarcietur.

Digitized by Google

Si nolis ; age, quantulum priore,
Tantumdem tibi clepsero futurâ
Cras ex luce : quibus duabus unâ
Junctis partibus, integer redibit
Ad te nempe dies & absolutus,
Vt de dimidio nihil queraris.
Par BOISSARDE *pari referre fas est.*

AD SEIPSVM.

QVID *est Melisse, quod minus iam nunc velis*
Magis ve nolis, quàm vel iri perditum
Plenos favore & Gratiarum numine
Versûs, ligato quos facit PORTVS *pede,*
Musis Deoque PORTVS *acceptissimus;*
Vel quæ soluto puriter filo senex
Epistolarum texit idem stamina?
Seu more Graio, seu Latinis ritibus,
Vtrâque doctus personare barbito,
Vel his vel illos exaret: ne quid queat
Horum perire, numquid est Melisse, quod
Minusve nolis jam, magis ve quod velis?

IN GELODACRYA PETRI ENOCI.

SI *me flere voles unâ ridéreve tecum,*
Seria fac norim sintne jocosa, PETRE.
Seria plorabo; ridebo jocosa. Poëtis
Excutiam risûs, excutiam lacrimas.
Si potius cupies rideri seria, fleri
Lúdicra; & his morem moribus ipse geram.
Me ridente Oetus ridebit, flente Gelóus
Flebit: ad utrum vis promptus uterque modum.

Digitized by Google

Dulce vel immiſcens inulis aconiton amaris,
Triſtia vel lætâ gaudia mœſtitiâ.
Sic quocumque oculos, quocumque os mobile vertes;
Miſtio ridentis, miſtio flentis erit.

AD SIMONEM FLORINVM.

QVADRIIVGES *rexit temere Clymeneïa proles;*
Tu tribus auriga es præficiendus equis.
Alter eris Phaëthon, rectè niſi lora capeſſas,
Et quo dextra jubet, quòque ſiniſtra manus.
Non equidem timeo vectoribus ætheris ignes,
In Rheni ſed ne præcipitentur aquas.

SOLE *ſatus Phaëthon incendia miſcuit orbi,*
Orbita quum rapidis excuteretur equis.
Tu cave diluvium, Terrâ ſate, cardine verſo
Inducas merſis flumine verticibus.

AD NICOLAVM RVDINGERVM.

BARBA *nigella tibi eſt maxillæ parte ſiniſtrâ;*
At mento dextro candida barba tibi eſt.
Vnde bipertiti ſpecies externa coloris?
Fare age; nunc albus, nunc niger eſſe ſoles?
Ah minimè. Tactura tuum face Cypria pectus,
Mutua quo vati cura Creüſa foret;
Ex improviſo tetigit malè ſedula barbam.
Tam citò non potuit flamma cremare pilos,
Quin Venus ipſa manu lævos abſterſerit ignes,
Sparſerit & dextram lacte Creüſa genam.
Nupta obiit; ſed durat amor. duo ſigna ſuperſunt
Viduli lactis torridulæque facis.

Digitized by Google

AD CHRISTOPH. EHEMIVM.

QVID tibi de varo vis ſcribi metra caballo,
Excipiens ipſum me ſale teque ſimul?
Cruribus intortis velut ille eſt claudus, EHEMI;
Sic verſus mutilis duriter it pedibus.

AD GEORG. AVERLIVM.

ME convivator lentiſci cuſpide donas:
Arguor hac lentæ ceu Dromo pigritiæ.
Sum piger & lentus conviva vocantis, AVERLI:
Mandere lentiſcum nec ſcio, nec didici.
Qui ſatur eſt curſu, nil dentiſcalpia curat:
Displicet Appietas, Lentulitasque placet.

AD CASPAREM CROPACIVM.

SERICA tergimini filis cirrata coloris,
Queis teres anelli bractea vincta fuit;
Anelli, mihi quem dono memorande dediſti:
Mirê in ſe quiddam convenientis habent.
Gratia per violam, per amor rubra, candor in albis
Seſe aperit; morum, pectoris, atque animi.
Gratia, candor, amor tibi propria, care CIROPACI:
Propria mi quoque ſint gratia, candor, amor.
Fallor, an exclamat tua Pelſina, carmine lecto?
O teres indicium! o nobile judicium!

AD IO. HENRIGVM HAINZELIVM.

NVLLIVS & pretij qui ſum, nullius & artis;
Vncia cui fructûs nulla merentis ineſt;
Expetar HENZELI tibi? Fallit opinio multos.
Ars, pretium, fructus, commoditate carent.

Digitized by Google

Pondera ſi qua tamen ſubſint laudabilis artis;
Vix oboli fiunt únius, atque pili.
Pectore me geſtes? levior tibi fio ferendo.
Sic quæ ſperabas emolumenta capis.
Es catus, & molis fugitans, nec fallor. Amicum
HÆNZELIVS *nec vult nec ſcit amare gravem.*

DE EODEM HAINZELIO.

IN *pretio eſt apud* HÆNZELIVM, *quod nec facit aſſe*
Vulgus, nec nauci. quàm pretioſus homo eſt!

AD CHARILAVM.

CVR *adeó faveam, quæris Charilaë, tibîque tuisque:*
Vt mihi tu faveas itidem, confaveantque tui.

AD [redacted].

REGIA *prælibas mihi pocula, ſobrie* VOLFI,
Hinc ut Cæſarei vena ſoporis eat.
Vsque adeone tibi reputer vigil, ut mea nullos
Somniet urbanos cornea fibra cados?
Quin & eburna merum, quin cymbia dapſilis uvæ
Objicit, agreſti rite litanda Pali.
Ruſticus eſt, tecum qui garrit. id autumo ſentis,
Si quoque per ſomnum regia vina bibo.
Inde per & cerebrum per & artûs diditur humor,
Cæſare proliciens régeque digna mele.
Sic ego cantillans vigiloque & dormio. ſed nec
Hæc Cæſar, nec rex audit ineptiolas.
Quid mirum? nec habere poteſt, nec ſumit in aulis
Grandibus argutum parva cicada locum.

Digitized by Google

AD ZOPYRVM DE LÆLIA.

ZOPYRE, *formarum non ſum mirator inanis,*
Nec ſine judicio mens mopina ruit,
Inter mille ferê quòd formoſiſſima Nymphas
Sola meis placuit LÆLIA *luminibus.*
Os roſeum, niſuſque decens, malæque rubentes,
Flava coma, & lato tempore frontis honos;
Candidior cervix niveo devincta monili,
Pectoraque ingenuâ non niſi tacta manu,
Quique oculi invidiam poſſint moviſſe vel aſtris,
Ceteraque appoſitis membra decora locis:
Non faciant, ut opum naturæ mirer, & illam
Verſibus ad cælos ellogioque feram?
Cedite Franciades matronæ, cedite Suevæ.
Neſcio quid Nymphâ pulchrius Euganeâ eſt.

VIDI ego nec perii. nec me malus ardor aduſſit,
Vt viſa eſt oculis LÆLIA *bella meis.*
Pulchrior in terris facies poſſit ne morari,
Lælia conſtanti quam Patavina fide?
Vertice procéra eſt, & ſucci corpore pleno;
Spartanas greſſu ſcita referre Deas.
Quid loquar, ut Nymphen Amethyſtina veſtis adornet?
Qui color ante alios lumina noſtra capit.
Cetera prætereo decora alta. quis illius omnes
Exigat ornatûs únius ungue pedes?
Summa vel huic inſunt cuncta. ah! odiumne meretur
Si quis eam ſummê non inhoneſtus amet?

NEC ſcio, nec poſſum prudensque volensque ſodali
Mentiri, o veri ZOPYRE *ſemper amans.*
Formoſas inter ſi mille & mille Dianas

Digitized by Google

Conſpecta eſt oculis ulla puella meis,
Quæ mage mi potuit placuiſſe, virentibus annis
Integra, quàm bella hæc LÆLIA; *dispeream.*
Lælia formoſis induxerit omnibus umbram:
Vicerit Eoas Lælia Vergilias.
Non ea mortalis, ſed pluſquam ZOPYRE *Diva,*
Nec niſi de cælo Lælia dia ſata eſt.
Mirane res, hæc ſi ſpectantum incenſa flagranter
Extra ſe penitus corda animosque rapit?

SI *bene te novi, non falſo* ZOPYRE *velles*
Lælia quàm lepida eſt, tam mea tota foret.
Si bene me noſti, non falſo ego pectore vellem
Lælia quàm lepida eſt, tam tua tota foret.
Sed nec jam tua, ſed nec jam mea Lælia poſſit
Eſſe, per alternas mutua cura vices:
Quin nec dividuam poſſimus ſcindere, partim
Vt mea ſit, partim ſcilicet ut tua ſit.
Vt neutri noſtrum ſperandum eſt tangere Solem;
Sic neuter tanto ſperet honore frui.
Figat in alterutrum (ut radios Sol) Lælia vultûs;
Pars quotacumque mea eſt, pars quotacumq; tua eſt.

BRACHIOLO *tetigit me Lælia, Lælia bella:*
Præſtiterat tangi ZOPYRE *baſiolo.*

DE CAMILLA VENETA.

BLANDA *Camilla, chelyn docto quæ pollice pulſat,*
Mille canit fraudes, mille Camilla dolos.
Pamphile ſi neſcis, hæc ex Sirenibus una eſt.
Hadria Sirenas, non Achelous habet.
Ni caveas (nam te parat inretire canendo)
Mille dehinc fraudes, mille querere dolos.

Digitized by Google

AD ZOPYRVM.

VSQVE adeó pulchra eſt quòd Lalia, pulchrior ut non
Eſſe queat; non, ſi ſe ſuperare velit:
Deſine mirari mi ZOPYRE. Lalia non eſt,
Sed Venus e captâ Marte fugata Cypro.
Induit humanam faciem Dea: dumque latére
Vult, oculo & vultu proditur ipſa ſuo.

AD HIPPOCRENEM.

QVAM bene laudaſti VOLFI celeberrime fontem,
Multifidas cælo qui jaculatur aquas;
Heic ubi vicino ſe Landespergia colli
Applicat, & planus ſubſecat arva Lechis:
Tam malè mi ceſſit potus. nam Juppiter aio,
Vix tales ſcatebras ora novena bibunt.
Vix Hippocrene tanti eſt, vix pulcher Iliſſus.
Ex hoc me Clariæ deſtituére Deæ;
Nullus & Alpini ſalebroſa per avia tractûs,
Dictavit ſolitis carmen Apollo modis.
Diſcite, qui ſapitis, Muſarum pace profari.
Nullus fons ſimilis fontibus Aonidum.

TAM mihi difficiles juga trans Alpina Camenæ
Paullum irritato numine reddideram;
Quamvis Pegaſei veherer geſtamine dorſi,
Verterunt nullos in mea vota pedes.
Pace, Deæ, veſtrâ poſthac loquar, ilicet inquam:
Fontem quem celebro carmine, veſter erit.
Nonnihil iratas etiamnum ſentio, VOLFI.
Intercede precor, ſi quota culpa tua eſt:
Namque tuo ductu fontem laudantis amœnum

Derivatus in hoc eſt caput iſte furor.
A teneris faciles Muſas expertus es annis,
Quei poſſent aliquid jure negare ſeni?

AD CALLIRHOEN FONTEM IN FORO LANDESPERGI.

Si mihi te propter meritâ, Fons, laude ſuperbum
Succenſet Clarij turba novena chori;
Are, nec poſthac ſalientibus aëra limfis
Allice, neu ſiccis guttur inane riga.
Immo arere nega. Divas licet usque ſeveras
Experiar, ſcatebris tu flue perpetuis.
Nec meus in partem culpæ (crudele) trahatur
VOLFIVS, Aoniâ præſes in arce vetus.
Nam ſcio, nec neſcis, Alpina ſub antra profectus
Et Muſas latices ſæpe bibiſſe tuos.
Laudârunt etiam. Demens heu, quisquis ineptè
Improbat, Aonidum quod chorus ipſe probat.

AD ZOPYRVM.

DIVA tibi ſcripta eſt, formoſior omnibus una
LÆLIA. ſed furti cur facis ipſe ream?
Reſtituat Veneri veneres, duplumque rependat
ZOPYRE proſpolio; Lælia nuda tua eſt.

DE LÆLIA.

Si fuit in fatis, ut ſic formoſa virago
Debuerit naſci roribus Hadriacis;
Arguitur falſo pulcherrima Lælia furti,
Vt Veneri cunctas abſtulerit veneres.
Exoritura Venus potius (nam credere dignum eſt)
Sumpſit ab hac pulchri corporis effigiem.

Digitized by Google

Quàm præſtant igitur nativa corallia fictis,
Tam Venere eſt bellâ Lælia bella magis.

AD ZOPYRVM.

LÆLIA *ſuccenſet tibi, ſuccenſetque Dionæ*
Filia. inuſtiſti ſævus utrique notam.
LÆLIA *nec ſpolij nec furti conſcia clamat,*
Imploratque hominum læſa Deûmque fidem.
Cypria nec formam nec dona fatetur adempta:
Id teſtes homines convocat, idque Deos.
Intentata tibi Phrygio lis judice magna eſt,
ZOPYRE *vel nullo jure peracte reus.*
Quo pretio culpam exſolves, quo munere pœnam
Lenibis? facilis ſunt puto turba Dea.
Exores veniam; placabitur unica ſolo
Cypria complexu, Lælia ſuaviolo.

IN CERTAMEN LVDICRVM CORASII ET RHEDINGERI.

VERSIBVS *Alcides ſcribendis antè videbar,*
Quùm caderent clavâ monſtra tot icta meâ.
Nunc mecum certant Vaccherus & ipſe Rhedinger.
Vnus Achillis opes, Héctoris alter habet.
Quin & me ſuperant defectum robore. Palma
Nil facit ad palmas Herculis una duas.

AD MATTHÆVM CORASIVM IC.

CORASI; *meus & tuus Redinger*
Me verbo tenus efficit Monarcham:
Præſtat re fieri integrâ Nomarcham.

Digitized by Google

AD ZOPYRVM.

MEAM *vocasti* ZOPYRE
Jam ter quaterque Læliam,
Meamque Læliam vocans
Subinde laudas Zopyre,
Mei coloris vestibus
(Vt cernis) indutam. Mea
Quei possit esse Lælia,
Quam sponsus evicit suam?

IN DVRITIEM LECTORVM ITALICORVM.

BELLIS *strata viis pulchra est Oenotria; sed nos*
Pulchra eadem bellis cernitur hospitiis.
Pone toro lassos artûs, defessaque membra;
Lassos nempe artûs membraque fessa levas.
Caucāseas silices tomenta rigentia vincunt.
Leconium capiti non mage molle datur.
Plumam experturum vel Româ rebar in ipsâ;
Evigilo, fractum visus habere caput.
Si Venus & Veneris puer hac regnatis in urbe,
Nec nisi uterque tori mollia amare potest:
Dicite, quo dormituri sub nocte grabáto
Consuestis tenerum composuisse latus?

AD NICOL. RHEDINGERVM STRISÆVM.

ECQVID *agis? vin' me parvis includere septis,*
Magne Rhedingerio sanguine centurio?
Magnus & ipse ego sum, si nescis. Sed tamen ipsum
Nec locus angustus nec bene vastus habet.

Quippe

Digitized by Google

Quippe loco qui non ullo eſt, quei poſsit in arcto
Ille vel auguſto, vel ſub utroque capi?

AD ZOPYRVM.

SICNE *ſine hoſpitio verſaris, & exſul & errans*
ZOPYRE, *Neptuni tot cumulate bonis?*
Si verum eſt, quod ais; doleo tua damna. ſed ecce
Non dolet ex animo, qui ſine teſte dolet.
Quem miſer adſciſcam, mecum tua fata querentem?
At falſum eſt, quod ais. non tua damna fleo.
Navigat Hadriacum ſpatiando ZOPYRVS *æquor,*
Ludit & æquoreas remige tutus aquas.
Sic nimirum errans, ſic exſul inhoſpita vexas
Dorſa maris, velis fretus equisque Dei.
Felix, qui nullâ cum tempeſtate vagando
Riſerit exſul humum, ſpreverit erro ſalum!

[redacted]

PLVSIVS *ille petax & avarus munera poſcit*
Quemque: Midam magnas namque agit inter opes.
SCALIGER *hunc culpabis? inops & pauper & exſpes*
Ætólus quum ſit, Doricà verba facit.

AD IANVM GVLIELMVM.

DOCTVM *Scaligerum, meumque Douſam*
Lipſiumque triumviros vocabam
Bonarum GVLIELME *litterarum;*
Cum mi Phœbus ait: Bene eruditos
Cunctis artibus omnibusque linguis,
Douſam Scaligerumque Lipſiumque,
Vt rectè indigites; Deos memento
Bonarum vocitare litterarum.

G. PALMÆ VENAM INCIDENTI.

CRETICA *donarem: ſed tu me,* PALMA, *putares*
Hæreſin in venis velle movere tuis.
Rætica convenient mage. Vinum tale bibendo
Tu tamen eſſe puta, quod damus, hæreticum.

LEONARDO STOEBERLINO.

DVM *meus incidit venam ſub ſidere Tauri*
PALMA, *Lares viſum me vocat ille ſuos.*
Titthia veſca cibos ponit ſuaviſsima conjux:
Pars elixa fuit; pars fuit aſſa foco.
Virgineas inter ridendum forte mamillas
An calidas malim, quæris, an algidulas.
Elegi calidas. præſenſit Palma, meosque
Feſtivo nutu comprobat ipſe jocos.
Riſit caſta ſales Helene; Suſannaque riſit
Virgo, meo propior virgo ſedens lateri.
STOEBERLINE *rogas iterum? mihi calda reſervo.*
Frigidus eſt, cui non titthia calda placent.

DE VILITATE AVRI.

NORICÂ *quod degit in urbe, oportet*
Ferreum genus ſit ahenciimque:
Vilis heic aurum pretij eſt. popellus
Nil amat aurum.
Nullus heic avaritiæ locus; nec
Euclio magnas ad opes anhelat.
Auream o urbem! redeunt tibi Saturnia regna.

Digitized by Google

IN PLATINAM APICIVM.

LAVTITIEM *tractas, pulmentaque grata culinæ:*
Quid prohibet Patinam dicere, non Platinam?

IN VITRVM PHILOTESIVM.

QVI BIBIT HINC, MVSAS AMET, ET
REDAMETVR AB ILLIS:
SI MVSIS CARENT POCVLA,
NVLLVS AMOR.

IVNGE MERO CHARITES MVSASQVE,
FIDESQVE CANORAS.
IVNXERIS IN TERRIS QVIDQVID
HONESTAT AMOR.
GVSTA. DVLCE MERVM EST. SIMVL
ATQVE EXHAVSERIS; OMNES
IMBIBERIS MVSAS, IMBIBERIS CHARITES.

VITRO APODI INSCRIPTVM.

POMERIDÆ fieri Ioachimo hæc juſſimusarma;
Curia queis ſcripti credidit omne genus.
Vtimur ecce manu, ſed dextrâ. pes quia deſit
Huic vitro; dextram, qui bibis, adde manum.

AD IO. HENR. HAINZELIVM.

VIDI *ego per nares qui cerneret obvia rerum:*
Vidit Eraſtus idem, atque aliy. rem mehercule miram.
Non mage mirandum eſt, hodie quòd vidimus ambo,
Ambo quòd, HÆNZELIDE, *ceu ſacra, audivimus ipſi*
Naſum naſutis naſo naſuta loquentem?

AD IOAN. MOLITOREM.

VVLCANO *capitalis hoſtis atro,*

Digitized by Google

Scis, ut non hypocauſta ferre poßim,
Caput quæ vapido calore turbent.
Perſuaſus tamen ipſe, te vocante,
Haud fore intolerabilem calorem,
Acceßi lepidißimos ſodales.
Quid factum eſt? penitus ferè peruſtus
Sum (quis credat?) ab ignibus protervis.
At tu nos hypocauſta ad iſta veſtra
Non times iterum vocare, vafro
Nempe conſilio, vafrisque technis.
Me elixum, MOLITOR, *heri dediſti:*
Frixum aut toſtum hodie dare inſtitiſti.

ACACIO HYLSIO IC.

HYLSIVS *eſt lepidus mihi, captatorque lepórum,*
Qui peregrinanti dat patrium leporem:
Scilicet ut veſcens pulpâ, mollique medullâ,
Septenos videar pulchrior eſſe dies;
Atque ita perlepido lepidißima munera verſu
Non vacuus, pleno ſed ſatur ore, canam.
Cuncta precor Diana tibi leporaria pandat,
HYLEI, *proque uno mille ferat lepores.*
At cave vulpinâ credar tibi verrere caudâ
Pectus, & admiſſos velle inhibere canes.
Quæ joca, quosve ſales alioqui, quosve cachinnos
Det lepus Acacij, detque lepos Schedij?

AD IO. HAINRICHVM HAINZELIVM.

FRANCO *poëtæ laureatis crinibus*
Nunc commoranti in urbis antro Noricæ
Lentumque hianti carmen ad Laurentij,
Studione miſiſtis decem Laurentios,

Digitized by Google

An forte fortunâ? Quid obſecro ferar
Meruiſſe, quòd mihi cremando innoxio
Tot apparaſtis invicem craticulas?
Sim dignus, HÆNZELI, *tot ignibus coqui?*
Amore compenſari amorem fas erat,
Bonique conſulere igneos Cupidines,
Flagrantia ad fratrum ire juſſos limina.
Nunc reddar huic oportet auro obnoxius,
Magisque vobis, qui coruſcanti Indico
Præſtatis auro, & ſi quid auro eſt carius.
Sed juro, vos jurare poſſe liquido,
Mi lauream voluiſſe reddere auream.

AD IOANNEM FRAXINEVM GOTHANVM.

TOTAM *iſtanc hiemem* (*quis autumaſſet?*)
Ceu latens cochlea in trabace teſtâ,
Domi delitui; nihil ſtudendo
Præter egregios catosque libros,
Diæ queis ſapientiam Minervæ
Arbitrantur meſſe doctiores.
Priſcos his vigil addidi poëtas,
Quos pridem inſtitui mihi æmulandos,
Simul relliquiis fori vetuſti,
Linguæ deliciis meris Latinæ.
Et tu FRAXINEE *unus inſciorum es*,
Qui mirantur in ore lucubrantum
Pallorem tetricum helvolæ lucernæ?

AD IOACHIMVM POEMERIVM.

QVAS *mihi perdices mittis, cur perdere, quamde*
Servare mavis, POEMERI?

Quid meruit vates? aut quid meruere miſellæ?
Illumpſe ut hiſce mactites?
Non tamen hæ pereunt. miſiſti nempe necatas:
Vivas remitto carmine.

DE VIENNÆIS SORORIBVS, CLEREVANTII FFF.

NICOLEAM *pulchram cum Loide, teque Marilla*
Stirpe Viennâ, numina trina, ſatas
Etquis conſpiciet velatas tempora myrto,
Nec dicet? Ternas en video Charitas!

AD PETRVM LEPIDVM METENSEM.

QVÆRAM, *quale poëma* PETRE *texas,*
Aut quales modulere cantiones?
Auditu caream pol atque viſu,
Aut ſim mentis inops, egensque ſenſûs.
Te certê lepidiſſimum poëtam
Jucundiſſima metra cantitantem
Vel pater Lepor ipſe procreavit,
Vel quæ tot genuit parens Lepóres,
Illa te genuit patrem Lepórum.

AD NICOLEAM ET LOIDEM VIENNÆAS.

EXOSCVLATVS *ſum, Viennides Deæ,*
Veſtra illa candidiſſima
Ad immerentem miſſitata munera.
Toties ea ipſa ſcilicet
Exoſculatus ſum, quot Aonidum chorus
Habet papillas candidas;
Quot Gratiis ſunt labra candidiſſimis,

Digitized by Google

Rubro corallio æmula.
Veſtram papyrum non minus quàm munera
Sum ſuaviatus ſæpius.
Absentibus quin baſio vobis manûs,
Quæ tam beata munera
Pretioſa fecerunt, & immortalibus
Cauſam dedérunt verſibus.
Vt hice vivent, ſic & illa dona, ſic
Et vos in ipſis verſibus
Donisque. quin ut ipſe, ſic & vos duæ
Vivetis hisce in oſculis,
Quid hisce donis, his metris, his oſculis,
Vobisque meque beatius?

AD IANVM IAC. BOISSARDVM.

Dvæ puellæ candidæ,
Domo Viennæâ ſatæ,
Miſére muneri mihi
Strophiola bina candida.
Strophium ſed unum unâ ſtrophê,
Antiſtrophê ſtrophium alterum
Compenſo: pulvillum ſequens
Sub finem Epódos vindicat.
Quid fecero, BOISSARDE, *ſi*
Non ἀντίλωρον mutuum
Reſpondet operæ mutuæ?

AD LVDOVICVM CARRIONEM.

Prisci CARRIO *reſtitutor ævi,*
Ni te Gellius Atticis Latinus
Prorſum noctibus óbrutum tenebit

Domi, Macrobiusve somniantem
Tibi Scipiaden ob ora vertet
Dormitantia: fac vigil Penates
Nostros cras adeas, dapes merique
Celticum laticem esuritor acer
Sititorque avidissimo palato
Sumpturus. Tibi prandium paratum est.
Quod gustaris ubi, & gulæ lacunas
Saburraveris: Heus Melisse, dices;
Ecce qui fueram vetustioris
Franco interprete restitutor ævi,
Novo sum modo restitutus ævo.

IN A. GELLIVM.

Ex Gellio dum factus est Agellius,
Qui luce noctes candefecit Atticas,
Capitique prisco dum novum adfixum est caput:
Ἀκέφαλος auctor ipse nunc obambulat.
O Aule Gelli, si Latini vindicis
Merere nomen, vindica nomen tuum.

AD AVGERIVM GISLENIVM BVSBEQVIVM.

Quod hilariores Liber ipse pampinos,
Ceresque aristas pleniores exserit;
Hortos Napæa quòd venustat, prátaque
Florum corollis ornat arridentia;
Et quòd comantum stipat arborum Dryas
Crescente fetu brachia, atque collium
Oréas altiora fert cacumina:
Quòd Pan, supremus ille rex agrestium
Faunûmque Satyrorumque, vastioribus

Latè ſuperbit cornibus : quòd vallium
Declive radit puriore Sequana
Iter fluento : quodque Sol radioſius
Diem ſerenat, Luna noctem, & ceteræ
Facès Olympi liquidioribus micant
Per ſudum ocellis : quam putas, o BVSBEQVI,
Cauſam eſſe vultûs lætioris? Dij Deæque
Omnes, amæni CLODOALDI *numina,*
Ex PHÆDROCRENES *lucidiſſimis aquis,*
Tuæ ſub antro vineæ manantibus,
Bibére, lætos inde non oculos ferant?

AD IAQVELYNNAM GHESELLAM.

LIBAVI *novies novem Camenis,*
Libavi ter aquam tribus Deabus,
Quas Graij Charitas vocant, Latini
Gratias. Ab avunculi tui, inquam,
Scatébris IAQVELYNNA *rorulentis*
Libavi ter aquam tribus Deabus,
Libavi novies novem Camenis.
Miranti mihi læta Phædrocrenes
Manantis liquidiſſimis fluenta
Lymphis, Pallas ait, modeſta Pallas.
Næ flos virginei decens pudoris
Ocellos IAQVELYNNA *in huncce fontem*
Immiſit, nitidiſſimos ocellos;
Vultuque intuita hunc ſereniore eſt:
Non hinc lætius hæ fluant ſcatébræ?
Non nitentius hi fluant liquores?

AD LVD. CARRIONEM IC.

ESSE *duos fontes Phrygias prope dico Celænas;*

Huic Cleon, illi nomen herile Gelon.
Riſum hinc Democritus, fletum hinc bibit Heracleitus;
Scilicet exceſſu largus uterque ſuo.
GISLENI *Phædrocrenen bibat unus & alter,*
Temperies animi uim moderata reget.
Triſtior hæc aliquis Giſlenia flumina guſtet,
Inde novos hilari concipit ore ſales.
CARRIO *naturam (quid enim tentare nocebit?)*
Muta, perſonæque indue vulta nothæ:
Hinc biberis, Phædrocrenen te poſſe negabis
Ex Heracleito reddere Democritum?

AD IAN. ANT. BAIFIVM.

BASIOLVM *Francina mihi ſuaviſſima fixit,*
Suavius ambroſio nectare baſiolum;
Hac lege, ut facerem mellitum Epigramma BAIFI,
Dulcius Hyblæo dulce Epigramma favo.
Quàm cuperem! verùm illa meam dulcedine Muſam
Privavit, ſuaves ſurripuitque favos.
Mentior. illa meam ſuavi promulſide linguam
Imbuit, hisque labris mellea verba dedit.
Aſt ubi ſunt ea? quod dixi, revocare neceſſe eſt.
Omne adeó ſuave & dulce apud illam habitat.
Quòd ſi pars aliqua eſt vel in hoc Epigrammate, ab ipſo
Dulcorem adſcivit nectare baſioli.

AD GEORGIVM AVERLIVM.

CVR *tantum* AVERLI *procreares filias,*
Sæpe mecum cogitavi.
Sed te (ſubeſt nam ratio magna) poſtmodum
Haud quieturum arbitrabar,
Quin jam Camenis, quin & ipſo Apolline

Digitized by Google

Ad ſenectutem reductis,
Juvenes Camenas gigneres, novas ſacris
Vatibus Deas futuras.
Jamque medium ultra pérvenis numerum, pater
O beate. Sed ſororum
Ne frater abſit a novem choro, novum
Aureo ore gigne Phœbum.

AD IAN. IAC. BOISSARDVM.

INTER trecentorum querebar auream
Epigrammatum farraginem,
BOISSARDE, abeſſe nominis mei notam:
Cum bina, gremio ſerici
Inſcripta ſacculi, relata ſunt mihi
Abs te recens Epigrammata,
Quæ Martialis multa vincunt millia.
O te datorem callidum!
Vt redeat ad te ſtrena conversâ vice,
Donas Meliſſo xenium.

AD PETRVM PAGANVM.

VOCE ſalutaſti reſupinâ PETRE Meliſſum:
Nolo ſed a tergo; quin volo fronte tenus.
Paulo Petre, VALE, pagano carmine dixti:
Rettulit urbano carmine Paulis, HAVE.

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER TERTIVS.

THALEIA.

SI quæro ſilvas hortosque THALEIA *virentes,*
Nomineres hæc eſt non aliena meo.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

LIBER, herus vini eſt; eſt alma Ceres hera frugum,
Hæc tantum ſpicam poſtulat, ille botryn.
Herba Palem placat, flos Chlorin, laurea Phœbum;
Lactis item ſparſo gutta ſatre Larem.
Penſilis eſt tabulæ contentus munere Nereus;
Hoſpita ſat xenio pectora vota Jovi.
Æmula cæleſtum REGINA *ſerena Deorum,*
Dulce mel e noſtris ſi cape dona favis;
Mel geniale, parum cui gratia miſcet acóris.
Quod tibi libandum quum ſine felle lito,
Haud vereor Momos: quæ multave magnáve non do,
Sed dare quæ potui munera cuncta dedi.

AD ROSINAM.

QVO tua per cultos veſtigia principis hortos
Vere novo ſpatiàns, caſta ROSINA, *feres;*
Lilia ſuccreſcant precor alba, roſæque rubentes:
Stillet ab Auroræ rore perenne ſolum.
Cur precor hoc? mihi quo tua lilia virgo roſaque

Digitized by Google

Lilia prolongent curta, breveisque roſas:
Quique tuo manat, mellita, ſaturrimus ore
Lauros ambroſius ros riget ille meas.
Infinita licet folia aut hinc carpſero frondes,
Queis texam capiti ſerta novella tuo:
Hæc infinitê tamen æternosque per annos
Cum lauris vigeant lilia cumque roſis.

DE COGNOMENTO SVO.

Parvvs eram, Phœbumque puer Phœbique ſorores
Gaudebam, Charitum cappus amore, ſequi.
Tunc ego maternis quum tempore Veris in hortis
Deligerem tenerâ mollia ſerta manu,
Purpureosque ſimul flores mirarer, & herbas
Sive Meliphylli, ſeu Melilotæ tuas;
Alveolos apium tacitê rimabar opertos:
Libandi mellis tanta cupido fuit!
Protinus erumpens adytis grex omnis in unum
Me ruit, & circùm crebra ſuſurrat apis.
Quo fugerem? pungor. limis Dea riſit ocellis,
Et meüs hæc, inquit, ſpicula ſenſit Amor,
Mellea furtivis dum guſtat libra labellis.
I nunc, & flavos quære Meliſſe favos.
Vidit ut hoc Phœbus, folia e Parnaſſide lauru
Conterit, & ſuccis illinit ora datis.
Parva mora eſt, Phœbo tumor ille medente reſedit,
Quem mordax levium fecerat ictus apum.
Chloris at hortorum decus, argutiſſima Chloris,
Quæ Venus ipſa dedit nomina, dixit, habe.
Dixit; & hinc nomen tribuit mihi dulce Meliſſo,
Vt mea florilegas mens imitetur apes.

Digitized by Google

SAPPHICOPHALÆCIVM.

In quo decuſſatim legitur Euphroſyne, columnatim Meliſſus.

E LEGANS, *qualis fuit illa Daphn* E,
M V *tata in viridem puella laur* V M
E *cce me* P *refert tibi, docte* P *hæb* E;
L *audat Orp* H *ea, laudat Att* H *idos me* L.
I *nvides pa* R *tæ* R *adioſe laud* I?
S *olam pol faci* O *parem Deabu* S;
S *ola quit ca* S *tas* S *uperare Diva* S.
V *llo non H* Y *acinthe &* H Y *bla cult* V
S *ic* N *ites; ut purpureus vire* N *ti* S
E *x pulchro nitet ore flos puella* E.

Digitized by Google

AD ROSINAM C. F.

QVANDO ego te demum potiar, cariſsima? quando
Innubes thalamis bella ROSINA *meis?*
Omnia nunc florent: ego marceo. ver mihi nullum,
Cuncta licet nitidi tempora veris agant.
Adſpice, quàm pulchris & amœnis veſtiit hortos
Flora roſis, & quot gramina liliolis!
Inter mille roſas & lilia mille, nec unum
Eheu liliolum, nec mihi nata roſa eſt.
O ſortem miſeram! florem carpunt Corydones:
Mi roſa nulla apto ridet hians calyce.
Culpa tua eſt, o Flora. aliis tu prodiga mater:
Non querar, heu, ſi tam parca noverca mihi es?

AD PETRVM LOTICHIVM SECVNDVM.

ALLOQVERIS Veneri Loton quid PETRE *ſacratam,*
Succis ut imbuat ſuis
Verſûs tuos ſuaviſsimos?
Quin tua ſunt dulci mage dulcia carmina Loto:
Nemo negaverit, niſi
Guſtata cui non Lotos eſt.

DE LAVRO A SE PLANTATA AVRELIÆ.

HANC laurum, virides prope quæ maris innuba rores
Surgit, odoriferis dignior arboribus,
Quam tenero abſciſſam ſacræ de corpore matris
Conſevi puro, purus & ipſe, die:
Hanc ego virgineam laurum cui dedico Divûm?
Hanc laurum Daphnæ conſecro, Phœbe, tuæ.

Digitized by Google

Crescat age, & nomen formosæ inscripta puellæ,
Incisas ævum servet in omne notas.
Nec calor hanc nimius, nimium nec frigus aduret:
Lenis at huic æstus, mite sit (opto) gelu.
Quam dum purpureis Aurelia dulcis in hortis
Bacciferâ lætam fronde virere vides;
Hanc mihi plus longê credas volo semper amari,
Quàm potuit Daphnen Phœbus amare suam.

AD ROSINAM C. F.

LILIA *noster alit lactentia, sed tuus hortus*
Sanguineas nutrit, blanda ROSINA, *rosas.*
Clausa facit sepes, ut quàm minus ipse potiri
Flore tuo, possis tam minus ipsa meo.
Vnanimis menti concordia par sit utrinque,
Protinus e geminis hortulus unus erit.
Rumpere fas sepem; juvenilia lilia fas est
Jungere virgineis, casta ROSINA, *rosis.*
Floribus his nisi mella fluant, tamen inde renasci
Spero Melissæas, pignera mellis, apes.

AD HENRICVM A SABAVDIA NEMORENSEM.

MAGNA *dari magnis mos est. tibi sarris arista*
Pauperis ex humili jugere parva datur:
Non ita parva tamen, quin consita tempore veris
Frugiferum grandi fenore reddat agrum.
Ver geniale tuæ flos est, NEMORÆE, *juventæ:*
Ast ager, ingenij culta Minerva tui.
Excolit hunc sacris operatus ab arte Camenis
Pegasus Auroræ, factus arator, equus.
Jugiter effusis dotale liquoribus arvum

Fontibus

Digitized by Google

Fontibus e Clariis turba novena rigat.
Quanta tibi meßis ſperabitur, aut mihi qualis;
Si tantæ eſt ſegetis cauſa, minuta ſeges?

AD IOANNEM OPORINVM.

POMIFER Auctumnus multas velut ubere fructu
Et varias cornu divite fundit opes;
Sic tua multiplices Muſis dat, OPORINE, libros
Egregiis ſcriptos gnava taberna typis.
Dant aliorum operæ quoque multa volumina. ſed tu
Non ſpectas magni fenora magna lucri.
Vt doctis proſis, doctas vulgesque papyros;
Ditatum ante alios te ſatis eſſe putas..
Aſt hodie multas argenti condere libras,
Quàm multos auro præſtat habere libros.

AD CHRISTOPHORVM COM. PALATINVM RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

QVÆ mihi Daphneâ transmittis ab arbore, Princeps,
Nexa recens manibus florida ſerta tuis;
Non ea grata minus, quàm munere Cæſaris olim
Laurea quæ nobis cinxit odora caput.
Pro quibus officiis, quantum perſolvere vix eſt,
Debeo. quid verô quid tibi quæſo precer?
Laurus ut æternos gerit immortalis honores,
Et ſemper viridi frundet amicta comâ;
Sic vigeas in flore tuo; ſic laude perennet
Clara, Palatinæ ſtirps generoſa domûs.

AD THEODORVM CYSSAM.

De adventu Petri Rami.

CYSSA, quid acris hiems tam ſerum traxit in annum
Frigora? cur Zphyri tardius aura redit?

Digitized by Google

Anne comis ſilvas, culmis ſata, palmite vites,
Græmine prata dehinc orba futura putem?
Fallor. In has donec RAMVM *ver duceret oras,*
Gallia floridius quo nihil omnis habet;
Neve interſtitio ceſſarent tempora: veris
Interea geßit bruma nivoſa vices.

AD LAVRVM

NORDOVICEM.

En tibi nunc tantum chartacea munera mitto,
In queis ſunt operæ carmina clauſa meæ.
Sic tamen accipies reor, o ſuaviſſime DOVSA,
Tanquam ſint palmis munera digna tuis.
Non hinc laurus abeſt, a Cæſare præſtita laurus:
Illo me dignum Cæſar honore tulit.
Per te victricem tulerint mea carmina palmam;
Crede mihi, plus quàm tu mihi Cæſar eris.

AD PETRVM RAMVM.

Ex Gallico Stephani Iodelli.

GALLI vetuſti quaslibet bonas artes
Scriptas habebant patrio
Sermone: ſed nigrâ reconditarum Dis
Sub nocte gazarum Deüs
Veros tenebat artium ſub Orcæis
Vſûs ſepultos vallibus.
Vt poßet igitur intimum penetrari,
Illæque rurſus érutæ
Reducerentur Gallicas in auras; hunc
RAMVM, *aureüm hunc Ramum, fuit*
Nobis neceſſe habere, denuo ſæcli
Per eas inaurantem decus.

Digitized by Google

AD MAXIMUM CAPPADOCIAM.

VERTITVR ſi fortuna: Orato ſapientiam libro,
Conſurgat Stoicus, & ſuas ſibi vindicet artes.
Et mentem, & verba mouit, quam mente ſeruidum,
Ingeniis docuit, nouit, quam dicere modum.
Adde quod infelix hac exercetur arte miſeros:
Ferrata vallatis ſtat ſpes in pectora muris.
Tempore hand ſimpar certa ſtupra ipſe ſagitta,
Frangitur & duro mollia cornua opere.

ARRA Martiano mulcis olo ventre coepi,
Imperio quamuis inter agebar alas:
Ipſe ſum, ſed nec, quem deſponſa olim,
Nec ſum non paſſer verna delitiæ meæ.
Reſti habet. Aſſiſtat Veles? Domi ſtetit amplus,
Reddere ſuſtinuit nec vadentis, ſpes.
Interea mea vota idem; ſim dicet amat: ſi
Orator paſſer ne ſuperſit amor.

AD FRIDERICVM PII. CAL. RHENI, DVCEM BAVARIÆ, ELECTORVM.

CONTIGVIS ars vtrifque ſtatuam in hortis,
Cum ſit hac laurus, duo FRIDERICE regum.
Eſt mea, nunc vides, ut (tam dum vertitur annus)
Perfrigat in laudes fronda ſuperba tuas?
Quippe Palatinæ frigoribus ſpiſſi, ſed
Dubia ſtabulo mentes gratia refert.
Rara ego: adhuc tenera eſt, quam faciebat arbor,
Frondem ex ſolis deſpicere auſa ſuis:

Hoc maiore tibi ſtridebit laude ſuſurrans,
Quo magis aut Boreas aut ſtrepet ipſe Notus.

AD FR. AVERLIVM.

QVOS *mihi caſeolos mittis* FRANCISCE *Bryenes,*
An redolent ripæ paſcua Matroniæ?
Rere Meliſſæas his oblectare Camenas;
Vt ſimul hinc ſuccos Attica libet apis.
Conditi ſapidæ niſi ſint ab odoribus herbæ,
Quales Helveticis Glarea condit agris;
Mellilegas volucres aut Muſas mellis amantes
Hinc aliquos ſperes ſugere poſſe favos?
At ſcio; tu lepus es, tu pulpamenta requiris.
Quàm tua præ cunctis Gallia lacte fluit,
Tam mea melle fluit quoque Francia. Lactea dona
Munera, quo gratis mellea dona feras.

ECQVID *Ariſtææ turbæ,* FRANCISCE, *negotI*
Cum grege lanigero; qui meat, illa volat?
Alter an alterius flores aut præripit herbas,
Queis lac conficitur, conficiturque favus?
Vtraque pars carpit ſibi convenientia pratis;
Vlla nec inter oves rixa, nec inter apes.
Vſibus humanis communia commoda præbent:
Quàm bene communes præbet amicus opes!
Tu mihi das preſsi ſolidata coagula lactis;
Nos tibi ſub ceris mella liquata damus.
Gratia, quòd fruimur donis, debetur utrinque
Lacteolis ovibus, melleolis apibus.

AD N. CLEMENTEM TRELÆVM.

RVSTICA *Muſa mea eſt: agreſtia donat amicus*

Digitized by Google

Caſea, ruricolæ rite dicanda Pali.
Vt mecum rures, partem tibi dono viciſſim,
Quâ bene campeſtrem devenerere Deam.
Eia age ruſticulum quiddam confingito, CLEMENS:
Ni facies, dicam; Ruſtica Muſa tua eſt.

AD CHRISTOPH. COM. PAL. RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

CÆRVLEI *degens ad ſtagna beata Melanni,*
Optime dux, atavis edite Cæſaribus;
Nexa Palatinis manibus, geſtanda poëtæ
Vltro donaſti laurea ſerta comis.
Aurea nunc geſto prope Nicri muſicus amnem
Serta, Palatinæ pollice nexa Deæ.
Quàm bene dividitis, frater dum carmina lauro
Munerat, atque auro cantica noſtra ſoror?

AD IO. IAC. BOISSARDVM.

NATALIS, BOISSARDE, *quater mihi qui na Decẽbris*
Hortis bruma decus jam nemorique negat.
Nocte priore tamen circùm vernare racemos
Pampineis vidi convena palmitibus.
Poſtera nox ſtantem plenas me dulciter uvas
Colligere inviridi finxit amœna jugo.
Somnia ſunt, inquis. ſed, ſomnia ſi qua vel unquam
Pondus habent, certê hæc (auguro) pondus habent.
Decipiar vigil? at volupe eſt meminiſſe figura:
Delectant animum ludicra viſa meum.
Vite ſacrâ nihil eſt prius. hanc & vivus amavi,
Impoſitam tumulo mortuus hanc & amem.

AD EBERHARTVM CHRISTOPHORI EHEMII F.

AVREA, *vere novo, verê tibi ſæcula florent,*
Dum tibi, care puer, flos tener ore viget.
Artibus imbuitor, moresque docetor honeſtos:
A patre propterea diſcere miſſus abis.
In generis laudes, in honores creſce paternos.
Vsque Palatino ſic adamere duci;
Cumque ſenilis hiems & ahenea venerit ætas,
Sæcla tibi vernent aurea flore novo.

AD QVEMDAM E SCHOLA FABRICIANA.

QVÆ *tibi credidimus veterum myſteria vatum,*
Pythagoræorum more tacenda velim.
Teutonas hæc latuere, latent quoque Gallida terram;
Et vatum genitrix neſcia Roma ſui eſt.
Si te FABRICIVS *priſcæ renovator ariſtæ,*
Quem colo, quem veneror, quemque libenter amo,
Talia non docuit, tamen addocuiſſe putato,
Fabricij ni nos inſtar habere neges.
Æmulus ergo mei ſpicas tibi demete longas;
Meſſe breves ſtipulas vulgus inane legat.
Haud ego vere ſecus facio. quaquâ ſit eündum,
Spinas linquo aliis, ſed mihi carpo roſas.

AD IVSTVM REVBERVM.

CONTVLIT *Auſtriacus quondam tria Lilia Cæſar,*
Quæ generare mihi Lilia mille ſolent;
Vel mediâ in brumâ. ſed quam mihi conferet unam
Veſtriacus Neſtor ſeu Numa, IVSTE, *Roſam.*

Digitized by Google

Illa Roſas gratas pariet mihi mille, ſub ipſum
Tempus Hyperborei ſolſtitiale Capri.
Lilia amo: ſed mi tanto Roſa carior iſtis,
Quanto unâ pluris Lilia mille Rosâ.

AD ROSINAM.

TE præsente, mihi viſa eſt ver bruma novellum:
Ver viſum absente eſt ceu glacialis hiems.
Huc ubi cum Glaphyrâ rediiſti ſoſpes; aprico
Chloris purpureâm flore coronat humum.
Jure igitur tibi primigena hæc mellitus amator
Lilia, primigenas dedicat hasce roſas.
Grata habeas quæcumque ſacro tibi: namque ROSINA
Flos florum, & verni ſola es honoris honos.

AD FRANC. AVERLIVM.

AMPHITRYONIADES *ex Ægles ſuavibus hortis*
Aurea devicto mala Dracone tulit.
Vinea, cui poſitus cuſtos Leo, clauſa ROSINÆ
(Vnde uvas carpam) mi capienda venit.
Ardua res aliquid, FRANCISCE, *reflagitat ultra*
Herculeas vires Simſoniasve manûs.
Ille Leo mulcendus erit, plauſuque domandus:
Tum Roſa, tum cedet vinea clauſa mihi.
Tunc mecum florebis ibi: florebit in alto
Præter naturam purpurea uva jugo.
Illa novo imperio pomi vertetur in aurei
Formam, & in illuſtri creſcet aprica manu.
O ſæclum aureolum! FACIE *regnato* PVDICVS:
Mutabunt rerum fata ſuprema vices.

IN MELISSÆVM PETRI BEVTERICHI.

Florilegis apibus Petre propria tecta paraſti:
Mella tibi ſtipant, cerea dona ferunt.
Dulcibus imbuitur ſuccis Muſæa caterva,
Suavia dum tincto carmina rore canit.
Lampada ſuccendit de cerâ Veſta perennem:
Lucet in æternos fax radioſa dies.
Quid vis ulterius? grates memor ecce quotannis
Bombilat in laudes turba ſuſurra tuas.

IN FONTEM HORTENSEM PHILIPPI STEPHANI SPRENGERI.

NYMPHA SALIT, CHLORIS RIDET, LÆTATVR IACCHVS.
QVID LABYRINTHEAS IS CATO MÆSTE VIAS?

AD SIGISMVNDVM EHEMIVM.

Liliolvm primum, primo ſub vere notatum
His oculis, digito carpere primus amas.
Sed mihi das illud, tanquam ſpe floris, Ehemi:
Vt mea lætetur flore juventa ſuo.
Aſt ego nulla animo ſentiſcere gaudia poſſum,
Ni quoque det primam verna Rosina roſam.
Langueo. dimidio vix corpore conſtat homillus
Dimidiove animo, cui vigor omnis abeſt.
Si perfectus odor de duplice flore remánet;
Liliolo hinc recreer, recreer inde roſâ.

Digitized by Google

AD ROSINAM.

ECCE *duas ſilvas Maiis frundere calendis*
Veſtibulum noſtræ conſpicis ante domûs.
Stipitibus rectis in honorem, caſta ROSILLA,
Vna tibi poſita eſt, altera ſilva mihi.
In nemore ſteterant, Dryadum decus. inde reciſas
Sacravit Veneri feſta platéa comas.
Ante avibus váriis tribuére cubilia rami:
Nunc præbent ſolis propria Turturibus;
Quos circum volitant fauſtæque piæque volúcres,
Guttureque innocuo fata futura canunt.
Nempe velut myrtus florebit bella ROSINA;
Et florens lauri more Meliſſus erit:
Naſcentesque dehinc quàm plurima bacca beabit
Laurea filiolos, myrtea filiolas.

AD FR. AVERLIVM.

CORTICVLISNE *rear citreis*, FRANCISCE, *medendi*
Vis ut præſenti tam potis inſit ope?
Mâla veneno ſo medicari Medica viro,
Si medicis nolim credere, credo tibi.
Exteriora aliis ſatis eſt cognoſcere rerum:
Ipſam in naturam tu penitrare ſoles.

AD IOAN. ZOBELLVM.

TERTIA *nunc ævi labentis Olympias acta eſt,*
O ZOBELLE *equitum Franciadosque decus;*
Laurus ut Aonio mea fonte rigata perennes
Hasce tibi baccas, munera prima, tulit.
Hos itidem ramis hærentes candide fetûs,
Et folia & frundes, altera dona, cape:

Dignus enim es fructum capere ex Heliconide lauru,
Quam tua consolidet Sensemijque manus.
Perpetuo floret; pariter florebis & ipse:
Nec vestro quidquam sit volo flore prius.
Laureolæ quisquis Schediæ decus addit, & illi
Fas erit adjiciat laurea nostra decus.

AD ANDREAM VOITVM RINECCVM.

INTER *aprica tui viridaria ruris, amœnum*
Hoc quoque, circa ædes stagna videre, fuit:
Stagna ambita horto, quæ nantur oloribus albis;
Dignis quos doctâ Posthius arte canat,
Quosque Rudingerus celebret. par carmen utrique
Cónvenit; ambobus par in honore decor.
Hi duo, VOITE, *tuos collaudent carmine cygnos:*
Ast ego te, cygnos qui bonus hospes alis;
Et reverenter habes, purissima corda, poëtas:
Nam verè niveo pectore & ore vir es;
Atque adeó reliquis candore excellis avito,
Quàm superant puri vellera munda cycni.

AD EVMDEM.

AEDIFICAS *Musis sub amœni margine Mœni*
Incustoditam, VOITE *Rinecce, domum;*
Arboribusque novi quincuncis conseris hortum,
Qui tutrice manu præsidioque caret.
Num soror hunc illamque colet tua? vix reor. horti
Alterius domina est, alteriusque domûs.
Elige custodem Francâ de gente Napæam,
Quæ deceat thalamum Castalidasque tuas:
Nam solus curare nequis, licet impiger, hortum;

Digitized by Google

Et melius ſervat mutua cura domum.
Sic tibi, ſic Muſis, ſic culte VOITE *Napæe*
Gratior ipſa domus, gratior hortus erit.

AD CONRADVM DINNERVM.

VT volupe eſt notas haurire ſonáreque voces,
DINNERE o veteris cultor amicitiæ!
Vt volupe eſt Helenamque tuam & te cernere ſalvum!
Vt decorant Spartam ſplendida regna tuam!
Nonne magis felix geminis memoreris Atridis,
Pergama cui reſtant nulla domanda foris?
Degis in electis cum prole domoque Viretis:
Hoſpes in externis finibus ipſe vagor.
Quæro, quod inventu facile eſt, niſi Marte vetarer:
Pax tibi perpetuo vere perennat opes.
Ver tibi, ver aliis quum ſit; quàm diſpare ſorte eſt,
Algida quem mediis æſtibus urit hiems!

AD THOMAM POPPELIVM BELCHRYSIVM.

QVID petis urbano tinctum ſale carmen agreſtem,
THOMA jucundi plene lepóre joci?
Delicias urbs quæque ſuas transfudit in agros:
Illecebris quæque eſt villa refercta novis.
Has illasque licet poſcas imitamine noſtri.
Ruſtica nunc ſolùm, vere tepente, juvant.
Nil hilari ſupereſt, ut opinor, in urbibus usquam.
Tantum lætitiæ rus geniale replet.
Ride POPPELI *mecum. namque (adſpice) totas*
Centum urbes unus ridet amœnus ager.

Digitized by Google

AD IOAN. ROSBACHVM IC.
De Rheni amœnitate.

QVALE *per Æmoniæ multâ nemus arbore denſum*
Peneí liquido volvitur unda pede;
Tale, decor Nymphis, Rhenus Baſileïa tempe
Limpidus illími prænatat uber aquâ.
Tótius ámtractûs uno ROSBACHE *voluptas*
Carmine deſcribi, quàm patet ampla, queat?
Quâ Nicer & Mænum flumen, quâ dia Moſella
Intrat; ibi Dryadum reberis eſſe domos.
Quæcumque adſpicies, jucunda & amæna videbis
Omnia. Cum Bacho Flora Ceresque vigent.
Si qui Teutoniæ eſt paradiſus, quid niſi Rheni
Horti, plus etiam quàm paradiſus, erunt?

AD PAXIVM ET THVRIVM.

QVID *rerum geris o* PAXI *? quid candide* THVRI*?*
Satne domi veſtræ ſanus uterque valet?
Heic ego ſub lauru ſatur aut ſub vite quieſcens
Et Phœbo & Bromio carmina læta cano.
Vt Daphnéus odor, ſic alma fragrantia Bacchi
Flore ſuo cerebri regna animata petit:
Vnde ſalutari vegetatur ſpiritus aurâ,
Spiritus Earinis qui viget usque meis.
Addite quòd tenero coma reſloreſcit amictu.
Sit precor & veſtris verna juventa pilis.
Induat hic Phœbum, lævem induat ille Lyæum;
Sobriaque éxtentâ vita ſalute fluat.
O mecum florete animi ſine felle. vigeſcat
PAXIVS *in Daphne,* THVRIVS *in Semele.*

Digitized by Google

AD FR. HIPPOLYTVM HILDENSÆMVM.

ILLE *Gromis, Gromis ille, ſacri cui numina montis*
Semper tam juveni quàm placuere ſeni;
Bacciferam laurum poſuit prope clauſtra feneſtræ,
Sedula quam Clariis Muſa rigavit aquis.
Hanc quoties oculo vigili FRANCISCE *tuetur,*
Immortale decus cogitat Aonidum.
Viderat hanc Phœbus ramis & flore virentem,
Brachia pol Daphnes credidit eſſe ſuæ.
O dignum errorem! ſed enim dedit, huic ut in ævum
Perpetuæ maneat virginitatis honos;
Illi perpetuum nomen. ſic florida laurus
In Gromide, & lauru floret in hacce Gromis.

AD MATTHIAM ANOMOEVM.

LENTVS *apricaris medio dormitor in æſtu,*
Et premis herboſam ſemiſepultus humum;
Curarumque ſimul præacerba ſopore remulcens,
Auſteræ ſepelis Sortis amaritiem.
Ipſe vigil MORI *tardê frundentis in umbrâ*
Ruminor ætatis tempora verna meæ:
Non quòd perdiderim ſtertendo pigriter horas,
Aut, cuius pudeat, reſtet ob ora nefas;
Sed quia cognorim Sortem plerumque novercam.
O ANOMOE, *parens quando futura mihi eſt?*
Vt ſero ſapimus! Vigilans & rebus agendis
Plurimus haud raro fallitur Endymion.

AD FR. HIPPOLYTVM.

LAVRVS *ut æternos gerit immortalis honores,*

Nullius & telo fulminis icta cadit;
Sic tibi quæ velat jam laurea ſerta capillos,
Nullius offenſu floreat usque mali.
Macte vigore tuo FRANCISCE, *& plaude. Poëtis*
Cæſaribusque ſacris una corona datur.

IN GYNTRESPYLAM, IOACHIMI POEMERII PRÆDIVM.

SECESSVS *tuus ille nihil non præbet amœnum,*
Seu valles ſpectem, ſeu juga, ſive nemus.
Non deſunt horti, riguis non gramina pratis;
Non apis, & pleni piſce natante lacûs:
Non ſcatebræ fontis; Gottum dixere coloni:
Vnde bibens jugi digna liquore cano.
Solibus æſtivis texunt umbracula vites;
Fecundo læta eſt jugere flava Ceres.
Turriculis, IOACHIME, *ſua eſt quoque gratia; quarum*
Altera proſpectu culmina rubra notat.
At tu plus caperis ſaltu venatibus apto,
Rupit adhærentes quâ fera multa plagâs.
Quis neget heic celerem ſuadente ſopore Dianam
Venatu laſſum ponere ſæpe latus?

IN SPICILEGIA IANI MELLERI PALMERII.

SPICAS *legentem viderat Pales*
MELLERVM, *& ipſa viderat frugum Dea,*
Ab Apollinis veſtigiis:
Nam paſtor Admetæus exſulem
Meſſorem agebat; cum Ceres ſic excipit:
Legere o maniplos parcite
Dehinc, coloni; quippe mergites

Digitized by Google

Palmeriani tota replent horrea.
Satis hocce non adorea est?

AD LAVRENTIVM DYRMHOEFERVM.

FLORIDA *purpureum cum ver mihi pingeret ora,*
Quantivis pretij carmen & auctor erat:
Gratia nec juvenem cupidum sperata fefellit,
Inter Musæis agmina juncta choris.
Vix mihi septeno claudenti limina lustro
Canities nigras inquinat alba comas;
Vilesco nostris. externi carmen adorant
Nobile, & auctori palmea serta ferunt.
Num quoque tu veterem scrutis mandabis amicum,
LAVRENTI *cedrinis scripte voluminibus?*
Ah minimè. cur Cheimerina spernantur, ab ipsis
Quando voluptatem ceperis Earinis?

AD ANDREAM MERGILETVM ET IOANNEM POPPIVM.

CVI *dono virides duas corollas*
Daphnes e foliis Apollinaris,
Nexas virgineâ manu corollas?
MERGILETE *tibi, tibîque* POPPI.
Vos Lauram canitis Salimque Francum,
Et Lauræ teneras Salisque Nymphas.
Vtriusque fluunt aquæ perennes:
Laurus sic utriusque sit perennis.

AD GEORGIVM PAVLVM NYZELIVM, IOACHIMI F.

CARE *puer, studio Musarum tincte recenti,*

Digitized by Google

NYZELIÆ *ſtirpis grande futuræ decus:*
Hæc tibi mnemoſynon dico pauicula carmina, PAVLE,
Vt tuus in Muſas plurimus exſtet amor.
In patris & patrui virtutes creſce, tuâque
Fac claram ſuperes indole progeniem.
Difficile eſt virtutis iter; ſed poſtmodò tritum
Omnigenis ditat pectora gnava bonis.
Quid melius ſperare queas, ſi tanta bonorum
Copia ab ingenio pendet habenda tuo?

IN LACRIMAS PALMITVM.

VERE *novo dum Taure cales a lampade Phœbi,*
Et ſua turgeſcens arva relaxat humus,
Jamque renaſcentes gemmas agit uvida vitis:
Fundere cur lacrimas ſuſtinet ipſa meras?
Non illi falx eſt damno, non vincla dolori:
Experta eſt facilem rite putata manum.
Præſcia nempe, boni fore qui malè dona liquoris
Vſurpent, multis ebria turba cadis;
Hinc fletu indulget, hominumque informia plorat
Corpora in atroces divarianda feras.
Rident turpe Pholi genus, & Potabimus aiunt,
Quo fluat ex udis plurima gutta oculis.
Beſtia, venter iners, neſcis heu quot tibi quondam
Aut quantis ſtabunt hæ lacrimæ lacrimis?

AD CHRISTOPHORVM HOMAGIVM ET CONRADVM LEIVM.

AONIIS HOMAGI *ſertis digniſſime, tuque*
LEI *Pieriis annumerate choris,*
Arrigitote caput. Lauri frundentis honorem
In vos Cæſareus confero jure comes.

Vos decus

gitized by Google

Vos decus Ausoniæ memores defendere linguæ,
Vatibus antiquis diligite esse pares.
Macti site novis titulis. tua gloria LEI,
Et tua laus HOMAGI *celsa per astra volat.*
Momenti speciem magni (nisi fallor) habebit,
Laurea me vestris serta plicasse comis.
Hoc olim fuerit. præsentia non ita tangunt
Mentes: maior honos post nigra fata venit.

AD GEORGIVM PAVLVM NYZELIVM.

Hæc quoque lux anno rediens, tibi sacra GEORGI,
Apportat fausti nominis auspicium.
Nunc ver est, pueros quo primum cura docendos
Transferre in ludos officiosa solet.
Discere jam primum non incipis ipse, sed orsus
Jamdudum Latiis instruis ora sonis.
Perge Deo Musisque puer dilecte; nec unquam
Hæc studia, aut teneras desere veris opes.
Vt generis decus antiquum est; ita fecit Apollo,
Auctitet ut patrium laus operosa decus.
Quàm radiat viridis rutilante Smaragdus in auro,
Virtutem priscam tam novus ornat honos.

AD ANNAM PALLANTIAM.

Cvm facias versûs Musis & Apolline dignos,
Certamen doctis prodigiale viris;
An tibi non cingam lauru Daphneïde frontem,
O Pallantiacâ nata puella domo?
Jura Palatini Comitis ne sperne, neque ipsum
Civis Romani despice judicium.
Nobilis ante clues antiqui stemmatis ortu,

Deque tuâ partum Pallade nomen habes!
Jam nunc quid prohibet, ne tute Poëtria fias,
Nominis aucta novo lemmate, nobilior?

AD FRANCISCVM MODIVM.

EDERE *cura tibi est monumenta perennia famæ,*
Dum tenero vernum floret in ore decus.
Macte tuo fervore, MODI. *vigor utilis annis*
Spem facit, in cassum non fore tanta bona.
Laurus ut exculto crescit genialis in horto,
Et semper viridi frundet amicta comâ;
Sic tibi succrescent famæ potioris honores,
Gloria cum Genij fiet adulta tui.
Quid non præstabis, quia tanta est messis in herbâ,
Si maturuerit fertilis uber agri?

AD ANNAM PALLANTIAM.

ADSPICE *naturæ decus, almi veris honores,*
Lilia Junonis lacte creata Deæ.
Candidulis foliis discrimina sena nitorem
Quantum addunt, quantam floribus almitiem!
Malleolorum intra portenditur aureus ordo:
Pistillum eminuli forma trinode refert.
At magis adspectu pulchrum est, quod stipite ab uno
Surgunt alterno Lilia plura gradu.
Quem non delectet color albus, purus, amœnus?
Ecce tua est talis candida virginitas!
Tales ecce tui nivei PALLANTIA *mores!*
Pulchrius his, illâ purius ecquid erit?

Digitized by Google

AD HARTMANNVM HARTMANNIANVM EPIGRAMMA.

LETA Palatini fœtus quæ lauree in horto,
Et dedita variis cingit hederis comas,
FEBEIAEI Pæanem semula Pythia cantat,
Pythia Phœbo carmina digna canit.
Mittere hic HELICONIDES ad me sua carmina, Dum sedet, mirrhis lauria fœta comæ.
Accipe: sic Comites (simul ardua tendimus ad Te) Te canere Aonidum tempora patrem!

AD IOACHIMVM POMERIVM.

HORTVLVS ecclæ donus in propugnol,
Trebiorum adfectatus amœnitate,
Conveffire alas pars fructui,
Pretio fcripfum, herbulisque totum
Cum in medio patentibus ad aeras
Exfurgat. Aheo velum vindicat:
Quorum nulli POMERIVS vocatum,
Trebiolum modo et hunc regem,
Et filii modo Trebiolo nuncupant
Scripsere fanctiones imperes: trebiolum,
Cum rudera fulgent hunc regentem.
Quamvis infimo ille crefcit folo,
Tamen fumma tua dicitur violaci.

IN PLANTARIA.

VITIS nouella, cur nouella crefcitis,
Parvo explicatum lurida
Cum vepres, confortes in manum
Defpicatus frumenti?

Vigete, quotquot estis, ac succrescite
In spem feracem posterûm.
Vos educavi primus. ipsas nunc decet
Fetûs referre plurimos.
Quòd si negatis ferre, quorsum (quæso) vos
Felice percolui manu?

AD IOANNEM ADAMVM WOLFERSTAINIVM, BARONEM.

DOCTRINA & virtute nihil præstantius unquam
Esse, fuisse, fore
Credideris generose puer. hoc inclita firmes
Pectora judicio:
Dumque tibi flos ætatis, roseoque viresces
Vernat in ore decus,
Artibus imbuitor claris. Illustrius hinc si
Stemma genusque cluet,
An dubites, ultro tibi sollertissima virtus
Quin sit itura comes?

AD HIERONYMVM CAVELLATVM PARISIENSEM.

DVCERIS instinctu naturæ pangere versûs,
Et canere imparibus verba ligata modis.
Ne maiora tuis HIERONYME viribus aude,
Neu graviora onera labra tenella tubâ.
Nondum inopes ætas tibi firmat adultior annos,
Speratæ laudi nec facit aura fidem.
Creber in auctorum sis adsiduusque legendis
Carminibus, Latiæ quos genuere Deæ;
Donec in Aonidum sensim perveneris arcem,
Puriter edoctus verba Latina loqui.

Digitized by Google

Scribere multa, oneri est: sed scribere paucula, honori.
Præstat mille malis unum Epigramma bonum.

LAVRVS.

SEMPER *Laure vires. o si vigeat mea semper*
Laurea, ab hac carpet florida serta nepos.

HEDERA LAVRO IMPLICATA.

CVR *Hedera o lauri foliis velut uxor adhæres?*
Vt Daphnæ & Baccho junctior adsit Amor.

TILIA.

HALITVM *odorati videor sentire Timóli,*
Cum Philyræ florem naris aprica trahit.

CVPRESSVS.

VERTICE *sum viridi, sed pareo tristis & atra;*
Mirum, si Pluto gaudet amore mei?

MORVS.

ARBOREAS *inter proceres sapientior adsto*
Morus. præterito frigore germen hio.

ALITER.

ARBORIBVS *reliquis Morus prudentior exstat,*
Nec nisi sublato frigore germen hiat.

SPINA.

SPINVLA *ni digitos didicissem ladere punctim,*
Eradicato dudum ego caule forem.

ROSA.

SVCCI *plena boni es, Rosa; at ex te fugit Arachne*
Nil nisi virus, Apis mel liquidosque favos.

Digitized by Google

LILIVM ALBVM.

QVALIS *candor ineſt tibi flos Junonie, talis*
Candor in ingenuo pectore regna tenet.

VITIS FLORENS.

NON *ego me matrem generoſi jacto liquoris:*
Flore meo dixi ſuavius eſſe nihil.

CROCVS.

CVR *ſtudio addicti, cur & palletis amantes,*
Ni vobis tinxi lutea gluma genas?

MELISSOPHYLLON.

FLORE *meo numquam frueretur mellis amatrix,*
Ni paviſſem olim melle MELISSA *Jovem.*

NARDVS.

SI *quis tam redolente minus capiatur odore,*
Dignus ſit mundæ naris habere nihil.

APICVLA ROSÆ INSIDENS.

LIBAT *apis florem, & mel conficit. ipſe roſarum*
Æmulus & mellis, vindico nomen apis.

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER QVARTVS.

MELPOMENE.

MELPOMENE *liqdi modulamine gaudeo cătûs:*
Incito corda ſonis, mollio corda ſonis.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

TE *Venerem, te Junonem, te Palladа quisquis*
Dixerit; haud eos re dixerit ille puto.
Quin idem Charin & Musam te dixerit. immo
Musa es Musarum tu, Charitumque Charis,
Ignoſcas REGINA, *minus quàm par ſit & æquum*
Dicenti. laudis copia quanta tuæ eſt!
Divitiis Juno, formâ Venus, indole Pallas,
Dote Charis, cedit nomine Muſa tibi.
Junones, Veneres, Charitas Muſasque Minervasque
Omnes una ſimul ſuperare potis.
Cui culpet, ſi te Divis ac omnibus unam
Natam PANTHEIAN, *virgo Britanna, loquar?*

AD ROSINAM.

EXORIENS *qualis radiati Solis imago*
Candidulo velo circumamicta micat;
Veſpere te talem facie mihi ſæpe coruſcâ
Veſtibus in niveis dia ROSINA *refers.*
Byſſina tam decorant tibi corpus, & aurea malas
Purpura; quàm flores alba liguſtra rubros.

Digitized by Google

Sic induta coronato ſpatiaris in horto,
Et mea labra canens in tua labra trahis;
Immò rapis mihi me doctâ fide. tumque moriri
Sentio; ſed roſeâ lux mihi luce redit:
Voce tuâ & vocem reddis, Dea. ſic mihi vivo
Mors, & defuncto mutua vita mihi es.

IN ROSINÆ VNIONEM.

QVID *cretâ albidius? lac. lacte? olor. ecquid olore?*
Nix. nive quid? niveæ lucida gemma RHODES.

ALITER.

LACTE *quid albidius? nix. quid nive? olor. quid olore?*
Lux. quid luce? meæ candida gemma ROSÆ.

AD CASP. PEVCERVM.

NON *procul a Mæno dum me juga regia ſervant,*
Dives ubi pinguem ramus ὀpacat humum;
Quæ totam nobis hiemem cantarat aëdon,
Conticuit verno muta repente die.
Ille dies ſupremus erat, quo nulla Melanthon
In terris genero poſtmodo verba dedit.
Nuncia deinde mihi quum fama veniret ab Albi,
Luscinia extremum clauſit & ipſa diem.
Nonne putas miram PEVCERE *fuiſſe, futurum*
Quæ ſimilis cecinit nominis omen avis?
Fata ſibi præſagit olor: philomela Meliſſi
Præſenſit ſoceri funera mæſta tui.

AD ORLANDVM LASSVM.

LASSE, *poëtarum* BVCHANANVM *tempore noſtro*
Qui ſcripſit eſſe principem;

Digitized by Google

Illius ingeny divinas norat is artes,
Nervosque vimque carminis.
Ast ego censuræ judex nihil ambigo regem
Te musicorum dicere:
Scilicet harmonico sese modulamine victos
Cuncti fatentur musici.
Forsan ut heic aliquis crassâ pinguique Minervâ
Reclamet auritus Midas,
Testibus ille tribus convincitur, Hesperiæque
Et Gallia & Germaniæ.

DE EODEM.

BRVTA *Orpheus, saxa Amphion, delphinas Arion*
Traxit; at ORLANDVS *post se terramque fretumque,*
Post se traxit item motem totius Olympi.
Quanto igitur maior, quantoque potentior unus
ORLANDVS *tribus his, Amphione, Arione & Orpheo!*

MITTIT ROSINÆ Cantionem quinque vocum harmoniâ a le concinnatam.

TE *quia præcipuè vocum symphónia concors*
Delectat melicis quincuplicata sonis;
Sume libens, animo quem pango libente, canorem,
O ROSA *Nympharum floscule Franciadum:*
Neu tam me, neve artis opus, quàm teque tuique
Ingenij Genium, qui probat illud, ama.
Nam quòd dulce tuus quòd amabile canto Melissus,
Id dulcoris amor prolicit omne tui;
Eque tui fontis scatebris mea vena remanat.
Fons tuus Aoniis semper abundat aquis.

BIBLIOTECA DE FILOSOFIA MADRID

Digitized by Google

Limpha precor mihi, Phœbe, fluat quoque postmodò ju-
Limpha meæ Nymphæ ducta canaliculis; [gis;
Vt quoties versûs & cantica fundo, ROSINÆ
Sint grati versûs, cantica grata meæ.

AD THEODORVM CYSSAM.

CANTATVM *mihi voce Gallicanâ*
Nostræ primitias melos Camenæ
Judex accipe carminum meorum
CYSSA *candide; cuius audiendo*
Tu censor numeros modosque verbis
Aptos; fallor, an alterum putabis
Jam nunc Orphea Thraciis ab oris
Revertisse, simulque vel rogabis,
Vel posthac resonas lyræ canoræ
Chordas sæpius increpem monebis?

AD CHRISTOPH. COM. PAL. RHENI.

CASTALIDES *castæ, Charites sunt numina casta;*
Duxque puellaris casta Minerva chori.
Castus Apollineos grex est imitatus olores,
Seu quis adest cantor, sive poëta bonus.
Hos inter primâ numeras dum fronte Melissum,
CHRISTOPHORE, *eximio nos in honore locas.*
Quam sibi propterea, cœtu præsente tuorum,
Hoc caput impositam non sine laude gerit;
Nullius aut digitis, aut debuit ista profecto
Virgineâ texi pulchra corona manu.
Quòd si virgineâ; quæ texeret Heroina
Dignior hercle tuâ nulla sorore fuit.

Digitized by Google

Tuos libellos carminum,
Cultos libellos & novos, ineptias
Vocare? tantum, tantum abest,
Ineptiarum nomen illis competat,
Vt prorsus iisdem (tam placent)
Quidquam vel esse argutius vel tersius
Negem, vel elegantius.
Vni neganti detrahis fidem? fidem
Cunctis habe adfirmantibus.

AD IACOBVM Mr MEILANDVM.

SI meüs æthereas LASSVS *migrasset in oras,*
Cœtibus aligeri pars socianda chori;
Illum crediderim sibi te (symphónia par est)
Heredem melicis instituisse modis.
Hac sed humo quia vivit adhuc, vivatque precamur,
Atque suis fruitur non sine laude bonis:
Quid rear, unde tibi tales, MEILANDE, *vel illi*
Contigerint artes dónaque Pieridum:
Aoniis quum pectus aquis perfusus abunde
Ille madet totus, totus & ipse mades?
Ambo vel ex uno Musarum fonte bibistis,
Dividui vel pars cessit utrique sua.

I [redacted].

QVEM genitrix peperit, Galatéæ albentibus ulnis
Candidior, niveis Leucotheæque genis:
Lac Charitum, lac Musarum qui flore sub ævi
Suxit, virgineo labra madens latice:
Ingenij succos cui naturæque medullas
Instillasse omnes Pallada nemo negat:

Digitized by Google

Cui dotes Pandora ſuas ſuperaddidit ; & cui
Regnat in aureolo pectore priſca fides :
Mulſea quo manant dictante fluenta papyris ,
Lactea cui puro carmine vena ſalit :
Denique Germani cuius rapiuntur amore ,
Gallia quemque colit , quem colit Italia .
Si quis erit ſanè , Momo vel judice , talis ;
SCALIGER, *ah damner , tu niſi talis eris !*

Anagramma.

[redacted]R.

[redacted]GERIS.

QVOS *video niveos in translucente colores*
Pectore ? quisve tuo candor in ore nitet ?
Lac geris , o IOSEPHE *ſacer , divinius illo ,*
Pavit Amalthéæ quo pia cura Jovem .
Lac geris , ipſo illo mage dulce , quod aſtra ſerenans
Lucinæ riguis fluxit ab uberibus .
Lac geris , Auſoniûm nævis medicabile vatum ,
Quodque cicatrices átraque menda levat .
Lac geris , agricolæ humectans vetera arva Latini ,
Aruerant hirto quæ vepre ſenta diu .
Lac geris , infectis maculas pote térgere , & album
Aethidas in noctes inſinuare diem .
Da mihi lac , dedero tibi mella : rigabis abunde
Cor mihi lacte tuo , cor tibi melle meo .

AD HERMANNVM COMITEM NVENARIVM.

NINGVIT, *& hibernum cumulato molis acervo*
Opplevere ſolum vellera denſa nivis .
Invidiâ terris obſtructa latet via , quamvis

Digitized by Google

Sis nive candidior, candidiorque cycnis.
Attamen ire paras: & habes bene. namque Camenas
Cura tibi puero ceu coluisse fuit,
Monstravitque aliis ad fontis amœna sororum
Flumina securam tunc tua Musa viam:
Sic tibi nunc HERMANNE *seni, quod terra negavit,*
Grata Nicri tutum Nympha ministrat iter.

AD CHRISTOPHORVM COM. PALATINVM RHENI.

PRINCEPS *optime, cor tui poëtæ;*
Si me vertere posse credidisti
Corda in Teutona corda Gallicana
Auribus, manibus, labris, ocellis:
Auribus, manibus, labris, ocellis
Fac me credere posse, versionem
Hanc meam tibi velle tam probari,
Quàm me vertere posse credidisti
Corda in Teutona corda Gallicana;
Princeps optime, cor tui poëtæ.

AD HERMANNVM FOLKERSEMIVM.

SYMBOLA *quæ rhythmis cecini modulisque sonoris,*
Grata Duci spero, grata futura tibi.
Certè equidem fecisse satis (nisi fallor) utrique
Et reor, & studui non placuisse minus.
Si quid inest, HERMANNE, *tuæ quod displicet auri*
Vel Ducis, incúdi reddere promptus ero;
Aut ut adornetur paullo concinnius, aut ut
Hoc magis affabrè lima polita terat.
Principis ut tota est mea, qualiscumque Camena est,
Serviet obsequio sic ea tota tuo.

Digitized by Google

QVÆ tibi cauſa fuit Lycidum contemptor aquarum,
Vt peteres undas fontis Acidaly?
An quod aves, VOLFI, pubeſcere flore juventa;
An quia ſecretas quæris in amne faces?
Vtraque nempe Lycus valuit præſtare. ſed heus tu
Cur ſine me, poteram qui tuus eſſe comes?
Fontis Acidalij laviſti in flumine ſolus,
Solus ut hinc Charitum ſurriperes ſpolia.

AD MICHAELEM BERNHARTVM MELRICHSTADIVM.

CREDIDERANT & uterque parens veteresque ſodales
Me dudum properæ ſuccubuiſſe neci;
Sive propinatis, biberam quæ forte, venenis,
Seu per Aquitanas Marte furente plagas.
Sunt quoque qui dederint fato, BERNHARTE, ſupreme
Triſteis defunctis Manibus inferias.
Vivus adhuc ſpiro. Rhenus Mænusque canentem
Audit in adſuetis carmina ſacra jugis:
Quorum aliquot modulos, ſepoſtis aure profanis,
Dat tibi ſancta Jovis filia Melpomene.
Fallor, an ut quondam mea lúdicra, ſic tibi jam nunc
Seria, quæ canto, ſunt placitura magis?

AD CAMILLAM MORELLAM PARISIENSEM.

LITTERA, Penelope lento quam miſit Vlyſſi,
Vtenhovi doctâ facta Pelasga manu;
Tam ſimilis Latiæ eſt, ut eam videatur ab Argis
In Latios Naſo transpoſuiſſe modos.

Fallor,

Digitized by Google

Fallor, an hac dices, MORELLA, ſubinde relectâ?
O propè quantùm eſt Argolin ore loqui?

AD C. VTENHOVIVM C. F.

NECTARE cæleſti ſatur es, divine poëta,
Atque immortali veſceris ambroſiâ;
Scilicet in tantum ſatur, ut fundentis abunde
Plurimus ad Muſas mânet ab ore latex:
Ceu liquor Herculeis, Junonis ob ubera, labris
Stillaſſe inque polum dicitur, inque ſolum.
Cur igitur poſcis terreſtria mella Meliſſum,
Mortalis cupidus liba comeſſe favi?
Quo tellus humilis magis alto diſtat Olympo,
Hoc melius melle eſt nectar & ambroſia.

AD IOHANNAM PALLANTIAM.

SIVE Palatinâ de ſtirpe, IOHANNA, creata es,
Seu tibi Pallantis nomen origo dedit;
Seu mage te ſacro Pallantias edidit ortu:
Indolis eſt verè dia Minerva tua.
Hanc ut amo venerorque libens & adoro Minervam,
Non niſi quæ Muſis digna colenda venit;
Sic de te mihi fas ſit dicere: Tu mihi Pallas
Altera, vel, plus quàm tu mihi Pallas eris.

IN POEMATA P. RONSARDI.

TANTA tibi eſt Francæ, RONSARDE, peritia linguæ,
Tam tibi fecundo gratia fonte fluit;
Floribus & gemmis nitidis tot ubique coruſcas;
Tam bene, tam ſcitè quod canis, omne canis:
Vnus ut omnigenos exhauſeris arte poëtas,
Olim quos Latium, Græcia quosve tulit.

Mirane res ergo est, PETRE; si tua Musa feratur
Vincere Mæoniden, vincere Virgilium?

AD C. VTENHOVIVM C. F.

SI quàm grata mihi est, aliis tua Musa peræquè
Grata venit, quorum nomina laude sonas;
Noris, amicorum pars CAROLE magna meorum,
Fetibus haud quidquam gratius esse tuis.
Jus vitæque necisque mihi concedis in omnes:
Ne tibi sit tantum velle jubere nefas!
Per mihi quodcumque est carum rogor insuper, atque
Vir desiderij nominor ipse tui.
Candidus es nimium; nimius tamen iste probatur
Candor, in æquali qui mihi corde sedet.
Ast ego per quidquid tibi carum est oro, tuorum
Vt bona sim vitæ, non mala causa necis.

IN OPVSCVLA GALLICA PETRI ENOCI.

NON hæc Castaliæ madore lymphæ
Externis regionibus petito
Musæ carmina vatis imbuére:
Sed Nymphæ, sua cura, Gallicanæ
Fontis indigenæ liquore dulci
Conspersere. Quid ergo, tot lepóres
Et tantus decor unde, tamque pulchris
Ornatissima floscülis venustas,
Et dotes Charitum nitentiores
Sint in versibus his, rogabis? Vna
Cunctis Francia Gratiis abundat.

Digitized by Google

AD SEB. SCHEFFERVM.

Si pariter gaudere potes, pariterque dolere;
Et ſorbere ſimul, flare ſimulque potes.
Miſcueris lacrimas cum riſu: dulcia amaris,
Dúraque confundes mollibus, alba nigris:
Funera defunctis ſua ſint, ſua gaudia vivis:
Expetit hoc noſtrâ Muſicus æde chorus:
Linque domi luctûs, hilarem mihi ſumito frontem.
Ni facias; ah te tædia mille manent.
Namque tibi de re ſuavi tam carmen acerbum,
Tam de re triſti carmina læta canam;
Vt, ſimul audieris, aures SCHEFFERE *vel ambas*
Perdere; vel ſurdis auribus eſſe voles.

AD CLAVDIVM GOVDIMELEM.

Mvsicvs in quâ rex cecinit vatesque Jehovæ
Lactis abundabat, melle fluebat humus.
Fonteis inde ſacros cum dulci Beſa Maroto
Gallica per venas duxit in arva novas.
Quos ubi guſtaſti, tua gutture Muſa canoro
Eſt adeó ſuaves, GOVDIMEL, *orſa modos:*
Vatibus ut quanto ſacer ille poëta profanis
Exſtiterit citharæ maior ab arte ſuæ;
Tantum Melpomene tua vincat Arionas omnes,
Tempore qui noſtro carmina ſacra canunt.

AD HVGONEM DONELLVM IVRISC.

Ille ego qui liquidæ vigui modulamine vocis,
Gutture cantores æquiparante cycnos;
Vix ſtipulæ refero ſtrepitum, querulasve cicadas,

Digitized by Google

Nedum rauciſonis par ferar anſeribus :
Vtpote correptus tuſsi rigidoque catarrho ,
Dum lego de Rami crimina Quirna nece .
Corde quis ex imo mihi tuſsim expectoret ægram ?
Ex capite egelidum rheuma quis excerebret ?
SCALIGERI *quod habes mihi redde poëma* DONELLE.
Ille , ſonos cycni qui mihi reddat , erit .
SCALIGER *ille pater vatum eſt. namque omnis in unâ*
SCALIGERI *linguâ lingua cycnorum habitat .*

AD LVDOVICVM SENÆVM COMITEM.

QVALIA *frigentes inter discrimina brumas*
Quántaque , purpurei veris & inter opes ;
Non aliter veterum differt chorus atque recentum ,
Harmoniis Muſas qui cecinere ſuis .
En mihi deme novos cantûs , nihil antiquaï
Suppiter ætatis cantica priſca morer .
Quàm ſunt Orlandi longê meliora vetuſtis ,
Tam LVDOVICE *magis ſunt ea digna cani .*

AD GEORGIVM SENÆVM COMITEM.

QVOD *fueris melicos dignatus viſcere cœtûs ,*
Mitibus a Muſis non aliene Comes ;
Non animum potui non admirarier altum ,
Quòd velles humilem ſponte ſubire caſam .
Nimirum tua ſumma facit discretio , laudi
Vt ducas , vitio quæ leve vulgus habet .
Hac fretus , capio tenues offerre libellos ,
Vt , quanti faciam teque tuosque , probem .
Poſtgenitis ter centenos teſtabor in annos ,

Digitized by Google

Et ſi quæ poſt hos ſæcla futura fluent ;
Obvius in Muſas fuerit tibi ſemper amicas
Pectore quantus amor, munere quantus honor.

AD IAC. MEILANDVM.

SOLLICITIS adeó verbis MEILANDE *quid urges ?*
An me, quo nequeam, poſſe venire putas ?
Me voget ad thalami feſtum fraterve ſororve,
Multa quibus debet ſanguine junctus amor,
Gaudia nec ſine me jurent fore plena ; profecto
Nulla feret frater gaudia, nulla ſoror.
Ipſa quidem tua grata venit præſentia ſemper,
Vt nihil hac quidquam gratius eſſe queat,
Percupioque ſatis feciſſe tibîque tuisque :
Hæc ſed acerba tibi ſi foret orta dies,
Et quàm voce vales bene, tam malè fauce valeres ;
Abnueres hauſtûs, abnueresque cibos.
Quidquid erit, breve erit ſperes, ut & ipſe. Quod hora
Matutina negat, veſpera nempe dabit.

AD FRID. III. COM. PAL. RHENI, DVCEM BAVARIÆ, ELECTOREM.

QVANTA ſit Hebrææ maieſtas illa toquellæ,
Quántave Davidicæ vis gravitasque lyræ ;
Edere Cecropij potis eſt vis nulla cothurni,
Núllaque Pindaricis barbitos uſa modis.
Et quisquam gracili plebeij ruris avenâ
Suadeat altiſonas increpuiſſe fides ?
Hoc mihi relligio facere eſt, ut cui bene notum,
Condier exili non ſacra poſſe pede.
Nervos tendam omnes, cunctas expromere vires
Impiger, & totas pandere mentis opes.

Digitized by Google

Ardua si numeris adhibentur verba profanis,
Nec levitas socci, dux FRIDERICE, *placet:*
Numquis ob invidiam prohibeßit idoneüs auctor,
Quo minus in sacro carmine summa sequar?

AD CL. CLEMENTEM.

REGIA *Davidicæ recines quæ carmina Musæ,*
Harmonicam, CLEMENS, *voce sequente lyram;*
Pindaricis tantum fidibus differre memento,
Quàm distant rebus verba profana sacris.
Si tamen in pretio Thebanus habetur, ob altas
Ingeny dotes, grandisonamque chelyn:
Quanto maiori Solymæus dignus honore
Et rex & vates inclitus ille venit!
Non nisi terrestres animas Argiva reperta;
Ætheriæ gnatum mentis Hebræa sonant.
Illa (vides) fragilis calamus perscripsit homilli;
Hæc Adamantæus sed stylus ipse DEI.

AD IACOBVM KIMEDONCIVM.

FINIO *Iessæa divina poëmata Musæ,*
Teutona sublimi facta, IACOBE, *lyrâ.*
Musa mihi hæc eadem nomen sine fine propáget
Optas. haud vani nominis augur eris.
Audivere chelyn Byzantia mœnia nostram,
Et Narbonææ litora Massiliæ:
Nobile Londinum, mixtæque Cracovia linguæ,
Attentâ Psalmos aure bibére meos.
Dat mihi victricem vivo Germania palmam,
Transcribens alto nomina nostra polo.
Nonne ego sum felix, operis ope Numinis addens
Perfectum finem, qui sine fine manet?

Digitized by Google

EITELFRIDERICO, CAROLO, ET CHRISTOPHORO, COMITIBVS ZOLLERANIS.

MAGNANIMOS Comites, priſco qui ſtemmate nati
Zolleriâ clarum nomen ab arce gerunt;
Te decet in primis EITELFRIDERICE *canamus,*
Dein Carolum fratrem, dein quoque Chriſtophorum.
Veſtra per Europam cum ſit notiſſima fama,
Fama per æternos continuanda dies;
Non vobis addat cumulatum Phœbus honorem
Et decus? Ex Muſis gloria digna venit.

AD IOSEPHVM SCALIGERVM.

NON Helicon, non Parnaſſus, non ipſe Cithæron
Numine complevit cantica noſtra ſuo.
Non aqua Permeſſis Cyrrhææve, non Aganippe
Proluit his Muſis ora tenella meis.
Tres montes nimis excelſi, fontesque profundi,
Tam pede contingi quàm metuere manu:
Hæc ſua nam dominos norant poſſeſſa tenere
Scaligerum natum, Scaligerumque patrem.
Vtendam mihi da ſcalam IOSEPHE *parentis,*
Vel ſaltem ſitulam porrige quæſo tuam:
Vnum mane petam montem, unum veſpere fontem.
Sat mihi conſpectus, ſat mihi guſtus erit.
Veſtris muneribus treis gratus in ante ſacrabo
Aureolas ſcalas, aureolas ſitulas.

AD THOMAM REDIGERVM.

CORVVS olorque ſimul certent modulamine vocis;
Victus erit corvus, victor honorus olor.

Digitized by Google

Marſya cum Phœbo nunquam contendere ſumat:
Tentet Apollineas Panos arundo fides?
Simus & in tantum ſtolidi, ut quæ judice Tmolo
Sunt rata, judicio ſtent variata Midæ?
Heic mihi nullus adeſt Mida, Marſya, Panve Coraxve
Nulla tibi, REDIGER, tædia nemo feret.
Phœbos eſſe reor, cycnos reor eſſe poëtas,
Nomen amicitiæ quod tribuére meæ.
Ceſſero luminibus Phœbæis, vocique cycnorum:
Candor at hic neutris cedere velle poteſt.

AD ACHILLEM.

TIMOTHEVS norat Mileſius ille canoro
Fortis Alexandri corda ciere ſono.
Haud mihi vim tantam, quâ permovearis ad iram,
Poſco, vel ardeſcas ad grave Martis opus.
Sponte tuâ ſummas ſcandis virtutis in arces;
Conceptûsque alacreis mens generoſa fovet.
Mitis es interea, nec te manſuetior alter:
Vt mihi miteſcas, hoc ego poſco magis.
At nihil heroâ tibi mente recedet, ACHILLE,
Carmine dum fies lenior ipſe meo.
Si trahit Amphion lapides teſtudine molli,
Et ſilvas Orpheus Threïciasque feras;
Sis leo, ſis tigris; ſis cautes, marmor & oſſa:
Mulcendo victum te mea Muſa dabit.

AD FRIDERICVM ALBERTVM HESPERGIVM.

COGNITOR HESPERGI rerum cauſæque forenſis,
Heic ubi jus enſis, jus toga Franca gerit:
Tanta tibi in doctos reverentia pectore ſedit,

Digitized by Google

Illos ut tanquam numina dia colas.
Omnibus indicijs patefit delata Camenis
Gloria, delatus vatibus altus honor.
Vatibus & Musis coram doctisque rogatus
Ipse ego, quantinam tu faciendus eris;
Quæ responsa dabo, præter, divinius in te-
Quiddam, & te Phœbo numinis esse loco?
Si tanti Phœbo es; mortales supplice par est
Immortale tuum nomen honore colant.

AD IO. HAINRICHVM HAINZELIVM.

NON ego sum vates, neque compar vatibus, olim
Ausoniâ dignos qui cecinere modos.
Vnde sonant igitur tam dulcia carmina? quæres
Frater, amans & liquidi mellis, amansque mei.
Floribus Hyblæis pastarum bombus ad aures
Iste tuas primo vere susurrat apum.
Hæc mihi si demas examina; carmina demes,
Cereaque in vigiles munera nata favos.
Vivite semper apes, ac melle & murmure grato
Hænzelijs & nunc postque placete meis:
Tuque favens HENRICE *mihi complaudito. Fucus*
Non gerit in nostris subdola regna favis.

INTER Hamadryadum cœtûs, gracilesque Napæas
Cultrices vigilum natus & altus apum,
Mellificam vidi naturæ indagine turbam
Colligere e vernis floribus ore favos.
Hanc imitatus ego studiosius, optima gustu
Gramina dum cupidis libo gulosa labris;
Infecere meum tam largo rore palatum,
Vt genialis adhuc profluat inde latex.

Digitized by Google

Gignere ſi nequeunt dulces abſinthia ſuccos,
Nec lætis aloë creſcit amara fibris;
Quei precor, HÆNZELI, mea mellea vena referret
Triſtem ranciduli fellis amaritiem?

AD LEONARDVM LECHNERVM.

IAM *venit ad ſummum divinæ plenior artis*
Cognitio, nomen cui ſua Muſa dedit.
Hanc quia tu vocum lepidis concentibus ornas,
Vérbaque dant aptos ſenſibus apta modos;
Ipſe etiam tanges apicem LECHNERE *ſupremum,*
Harmonicos inter connumerande choros.
Diſcipula eſt modo Pythagoræ mea muta Camena,
Harpocratemque annos egit agetque novem:
Poſt iter Auſonium mea Teuto, Celta, Latinus,
Italus & Graius carmina lecta canet.
Interea cantus & tu quoque cantibus auge:
Ars dives nunquam pauperat artificem.

SÆPIVS *eſt mecum contentio magna quibusdam,*
Queis nova præ veterum, ceu nihil, harmonia eſt.
Anteferunt priſcas, LECHNERE, *recentibus odas,*
Phonaſci rudibus quas cecinere modis.
Fare; quotus quisque eſt, fuerit cui ſyllaba curæ
Longa brevisque, pari conſocianda notæ?
Vt nihil adfectum movet! ut nihil abſona mulcet!
Vt malè reſpondet textus ad ipſa mele!
His puer imbutus, peccavi invitus & ipſe;
Cui nil, Clementem præter, in ore fuit.
Sentio nunc aliter. niſi verba melódia ſervet
Apta ſonis, nulla eſt ſi bona; nulla bona eſt.

Digitized by Google

PVBLICA si nostros Aphorismos viderit aura,
Queis præcepta novæ mystica trado techna;
Vtilius concors animi censura patebit,
Judicij melius stabit imago mei.
Testatum LECHNERE *palam tum fecero, quid vel*
Laudem, vel culpem: quæ bona, quæ mala sint.
Absurdum veto, concinnum probo. quæro decorum;
Quo sine concentûs gratia cuncta perit.
Hæc ubi deest; quamvis reboët, mihi inesse videtur
Nullus in ore sonus, nullus in aure tonus.

AD FRANCISCVM PORTVM CRETENSEM.

MELLIFLVVM quòd me dicis FRANCISCE *poëtam;*
Próvenit a linguâ melle fluente litâ.
Mellifluum quòd me scribis FRANCISCE *poëtam;*
Prosluit a calamis melle liquente litis.
Sed tibi lingua, tibi calami tam mellis abundant,
Quàm mihi lingua, mihi melle vacant calami.
Optarem fieri vel Athos, vel Hymettus & Hybla;
Quidquid & apricas floribus ornat apes:
Tum quodcumque favi stiparet mellea turba,
In laudes flueret, dulcis amice, tuas.
Si non æquarem vestros dulcedine rores,
Saltem aliis gustus suavior ille foret.

AD NICOLAVM CISNERVM.

TANTA tui bonitas vini est CISNERE, *bibenti*
Vt malus haud ulli versus ab ore fluat:
Sed qui tale bibunt, fieri juvat hosce disertos.
Ipsum namque merum proditur esse loquax.
Piscem me fingas mutum. tua pocula gustem,

Digitized by Google

Audiar ex muto piſce ſonorus olor.
Divinus liquor hic ſi terrâ cnaſcitur, unde
Succum indeptus habet nectaris ætherei?
Imbue mi venam liquor optime, ut optima fundam
Carmina, Ciſneri gratior hoſpitio.
O gratum linguæ meritum! mihi guttura reddit
Plena canore liquor, plena liquore canor.

AD IANVM MATTHÆVM VAQVERIVM.

QVAM *lætor ſalvos recipi* MATTHÆE *labores,*
Deliciæ o Charitum Pieridumque lepos:
Tam doleo, nimium longis tua corpora morbis
Tentari, miſeris languida facta modis.
Ah quânam tandem meruiſti improvide culpâ,
Vt minus his curæ ſis aliisque Deis?
Si ſacra Divarum violaſſes; ſatque luiſſes
Et ſuper admiſſi criminis ipſe nefas.
Sed mihi, ſed Muſis tua te Venerique propinquis
Reſtituet pietas integriorque fides.
Parne foret, ſanctæ fidei & pietatis alumnum
Turpibus a morbis impia tanta pati?

AD IOSEPHVM ZARLINVM.

QVAS *Deus humanis rerum ſator impluit artes*
Mentibus, ætherio non niſi fonte fluunt.
Has inter ZARLINE *venit fecundior ulla,*
Præter quæ lætum Muſica nomen habet?
Quum rivus tuus hæc exuberet, omnibus omnes
Te cumulatim ornant DIque Deæque bonis.
Vulgari non iſte tibi ruit impetus undâ,
Eſt aliquid fluviis grandius Heſperiis.

Digitized by Google

Vix Hadriæ mare par. Exhauſti, quidquid ubique eſt
Fontanæ: ſcatebris jam ſua lympha ſilet.
Parvula quid muſſet vena, ut caput artibus ingens
Harmoniæ immenſo perſonat Oceano?

VALENTINO GREVIO BACFARCO.

SI potuit fidicen rarus geniale quid umquam
Regibus & magnis pſallere Cæſaribus,
Nec GREVIVS *potuit. citharâ ſtupuere canentis*
Auſones inſolitos ipſaque Muſa modos.
Dextrâ Demodocum, lævâ referebat Iopam.
Huic vetus eſt chordis pluribus aucta chelys.
Nunc Antennoreos Manes ne ſuſcitet, illum
Crediderim reſonis vix cohibere manûs.
Quàm rere hunc vivos traxiſſe, in morte repoſtis
Quo pulſante fides vis animata redit?

In templo Laurentiano Patavij.

AMPHÍON, ORPHEVS ET ARÍON
PSALLERE DOCTI
CREDENTVR MERITO TE GENVISSE GREVI;
AVT ILLOS POTIVS DOCILI TESTVDINE QVONDAM
EFFINXIT GENII DIA MINERVA TVI.
QVID REAR? IN TE VNO PLVSQVAM GENIALIS ARÍON,
ORPHEVS, AMPHÍON NEMPE VIDENDVS ERAT.

OB. CIↃ IↃ LXXVI. Idib. Auguſti.

AD MARTINVM SCHILLINGVM SILESIVM.

GALLIA *me fari docuit, docet ora ſilere*
Itala: digna bonis utraque terra ſuis.
Hinc modo qui fueram cantu vocalis Arion,
Carmine ſum tacito redditus Harpocrates:
Nam ſatis haud oris mihi, nã ſatis haud mihi linguæ eſt,
Auſonas Iſmario velle ciere ſono.
Abſona quæ cecini, ſi conſona (ceu fit) habentur,
Et mala quæ modulor reberis eſſe bona:
Reberis infantem nimium SCHILLINGE *diſertum;*
Lævaque judicij dexterioris erunt.
Ecquid obeſt famæ, Latiis ut mutus Arion
Nuncuper, & Celtis garrulus Harpocrates?

AD MATTHÆVM VAQVERIVM.

SINT *Amphictyones tanti, ſint mœnia tanti*
Neſcio quæ pulchris proxima Thermopylis,
Vt tibi, poſthabitis Patavinæ ſedibus urbis
Atque viris tantis, verba priora cadant?
Vt verum fatear, totum ſubacerba per annum
Tempora præ veſtrâ ſunt mihi viſa morâ.
Ardeo nam Senas miſerè. Philus ambit eosdem,
Suſpirans verno ſidere Parthenopen.
Ah iter acceleres, mi CONSTANTINE, *tuumque*
Sæpius acciri ne patiare caput.
Deliro, an ſapio? te quæro, te tamen ecce
In corde inque oculis Theſea geſto meis.

Digitized by Google

AD HIERONYMVM MERCVRIALEM.

MERCVRIA de gente venis Hieronyme noſtram
Sponte tuâ (ſic, ſic aſtra tulere) domum.
Inclamor. præſtò ſum. Viſa ibi cuncta repentè
Numine plena ſacro, plena decóre novo.
Vt tetigi dextram; ſimul aurea virga, perita
Exanimes vitæ ſiſtere, tacta mihi eſt.
Quæ meruit virtus, humiles ut adire Penates
Indigetis tanti ſumpſerit altus amor?
Maius id, alloquio quòd me compellat amico
Roribus Hyblæi lingua rigata favi.
Muſeum o felix! tibi adhuc (ut ſemper) inhæret
Mercurialis honos, Mercuriale decus.

VIDI ego Mercurij talaria, vidi ego virgam
Aureolam, atque ipſum vidi ego Mercurium.
Obſtupui inſolitum, quid in hosce veniret Olympo
Interpres ſuperum voce ſonante Lares.
Fallor, an hunc Phœbus vel Iuppiter ipſe tacenti
Ætherium juſſit deproperare decus?
Non ego ſum tanti, quem vox HIERONYME *laudet*
Dia, vel attingat numinis umbra tui:
Me tamen ambroſiâ ſuffundis luce, tuisque
Plusquàm divinis obruis ecce ſonis.
Parce tuæ luci, comparce o prodige laudem:
Nil facit obſcuro ſplendida fama viro.

AD REINHOLDVM HEIDENSTENIVM.

ROMA parum eſt, REINHOLDE. petis juvenili-
Inclita Cumanæ mœnia Parthenopes. [*bus annis*

Digitized by Google

Si verum est, quo sacrorum sita corpora vatum,
Et Genium & vivum numen inesse loco;
Tu, ne Virgilij manes incaute lacessas,
Neu Sannazarij busta quieta, cave.
Móveris? irruerint in te cum turbine multus
Numinis & Genij, quem fovet umbra, furor:
At potius moveas, ut magno digna Marone,
Vt Sannazario carmina digna canas.
Nam si defuerit vati furor incitus æstro,
Et Genio & vivo numine metra carent.

AD IANVM LERNVTIVM.

MELLITOS *oculos Hyellæ*
Abs te compositos, Hyellæ
LERNVTI *Charitumque ocelle,*
Vidi in Italiâ atque legi.
Quamquam parvulus est libellus,
Scutatis tamen hunc duobus
Emi; scilicet ut videre
Semper; semper habere possem
Mellitos oculos Hyellæ.

AD HIERONYMVM BAVMGARTNIRVM, TRIVMVIRVM NOR.

HAS *cantiones Lassias Sebaldino*
Das muneri collegio,
Patrone BAVMGARTNERE; *quantus in dulces*
Amor Camenas sit tuus,
Et qui futurus sit dehinc, ut ostendas
Apertiore pectore.
Næ, nemo cantaturus hos erit cantûs,
Quin nomen æterno tuum

Illustret

Digitized by Google

Illuſtret ævo ; teque non minus libris
In hisce dicat vivere ,
Quàm Muſicorum facile principem Orlandum
Suis in ipſum libris .
O collocatam mutuam optimê dotem
Beneficio reciproco !

AD SVAVISSIMVM MVSICÆ PATRICIÆ SODALITIVM IN VRBE NORIB.

QVO primum peramica die conſortia veſtra
Miſcuit harmonicis Muſa canora ſonis,
Orta polo fuerat proſperrima flamma ſereno ,
Quæ reor Orphéæ fulſerat antè lyræ .
Non igitur mirum eſt , etiamnum ſidere dextro
Si viget ac durat ſuave ſodalitium .
Euge cohors jucunda , ſacris redimita corollis ,
In longos morem perpetuate dies ;
Sitis ut exemplo poſt fata nepotibus ipſis ,
Quàm fuerit melli dulcis amicitia .
Res ut honeſta magis nulla eſt , ita non niſi cives
Veſtri perſimiles , patriciosque decet .

AD HIERON. SCHYRSTABIVM, SENAT. NOR.

NATALIS tuus eſt HIERONYME. *quære melódos,*
Et ſymphoniaci pectora læta gregis .
Vivamus , cantemus ió . tibi Muſica melli :
Tu ſcis organicos arte ciere modos .
Nos Genium , felix hæc lux tibi ſæpe recurrat ,
Poſcimus , harmonico turba dicata choro .
Fidus es , & caris merito jucundus amicis :
SCHYRSTABII *taceant organa muta fidem ?*

AD ANTONIVM GEVDERVM, SENAT. NOR.

PAR honor & virtus noſtris & fama poëtis
Si foret, antiquo tempore qualis erat:
In pretio nunc Muſa foret, vatique darentur
Præmia, qui reges conderet atque duces.
Aſt ubi ſunt tales? ſi quid me Principe dignum,
Seu fide ſeu numeris, ſcribere poſſe putas,
Quid mihi præmioli, quæ merces juſta laborum
Reſtat, ut ad libram norma ſit æqua parem?
Te potius GEVDERE *canam, tibi Muſica cordi*
Noſtra; tibi melli eſt, quod mea libat apis.
Muneribus parcos minimê pudet eſſe monarchas,
Carminibus parcum me minus eſſe pudet.

AD LEÖNARDVM LECHNERVM.

COLLIGIS exornasque tui ſuaviſſima Laſſi
Cantica, ſinceris emaculata notis.
Vidimus excuſi ſpecimen geniale laboris:
O reliquis itidem da rogo luce frui!
Hinc Muſæ LECHNER *tibi debere fatentur*
Plus, quàm vel Laſſo ſolvit Apollo ſuus:
Aut certê Laſſus tantum tibi debet, ut inter
Se Muſasque adſit mutua debitio.

OLOR

IN PETVLANTIAM NOSTRI SÆCVLI.

QVID graculi, quid noctuæ,
Quid milvy, quid voltures

Digitized by Google

Inconditis clamoribus
Obſtrepitis Philomelæ?
Cantandi Philomela perita
Vos graculos & noctuas,
Vos milvios & voltures
Suaviſſimis concentibus
Hactenus ut ſuperavit,
Sic & poſt mihi vos ſuperabit.
Hoc Cygnus oſcen auguror,
Ales Meliſſi candidus,
Idemque Phœbi proprius.
Si nigra pectora Phœbus
Odit, an hæc amet ipſe Meliſſus?

PAVLO DVLNERIO, CIVI NORIMB.

SERTVM, vel arcto colligata vinculo
Jam debuere ſerica
Mitti CORONÆ fœderato Muſicæ,
Paulo meo Dulnerio;
Vt poſtulat lux hæc. ſed ipſa carmina
Serti atque vinculi loco
Ducit, CORONÆ fœderatus Muſicæ,
Paulus meus Dulnerius.
Apollo faxit, aureum lucis jubar
Curſu reducens annuo,
Vt hæc quotannis carmina ligent ſæpius
Paulum meum Dulnerium:
Ligent, & usquequaque ſervent memoriam
Pauli mei Dulnerij.
Hoc ſempiternum eſt. Quid perennius tibi
Mi Paule Dulneri precer?

AD SIGEFRIDVM RYBISCVM, CÆS. CONSILIARIVM.

QVISNAM adeô potuit ſucco melliginis udæ
Imbuere ora tibi, culte RYBISCE, liquor;
Vt tenero illectum geniale ſapore palatum
Intempeſtivis roribus inficeres?
Quòd ſi guſtandi fuit ille Monavius auctor,
Pectora cui nimium promptus ineſcat amor;
Næ facile impoſuit falli per amica volenti
Dicta. meris tincta eſt hinc tibi lingua favis.
O bene deceptum malè decipiente magiſtro!
Quæ non mella, quaſi mella Rybiſcus amat.

AD GEORGIVM VOLCAMERVM, PATR. NORIBERG.

QVOD tua vox & apud matrem patruumque canẽdi
Scita, mihi multis eſt celebrata modis:
VOLCAMER, hac in re tibi nulla injuria facta eſt.
Vt ſenſi, pretium verba tulere ſuum.
Ac certê (ne quid veſtris tamen auribus addam)
Argutê modulans vox tua dulce ſonat:
Dulce ſonat, mentemque rapit dulcedine mirâ.
Ecquis enim ranco gutture pellicitur?
Conſule Lechnerum concentûs rite peritum:
Ni fateatur idem, ſponte ego lite cadam.
Aut igitur canta malè Muſicus; aut bene cantans
Ne laudes vocis, neu tua temne bona.

DE PHILOMELA IOHANNIS MOLITORIS NORIB.

CERTANTI ſociis noctesque diesque canendo

Improba dum reficit guttura nulla quies;
Ilicet (heu miseram!) tua Daulias exspiravit
IANE, *gravi mœstum tacte dolore jecur.*
Quid miseram dixi? fatumne beatius ullum est,
Inter cantandum quàm potuisse morî?

AD GEORGIVM VOLCAMERVM, SEN. NOR.

NOBILIVM *quoties Senarum mente recordor,*
Annum ubi mi lætê contigit exigere:
Hei cur non alibi linguæ tam dulce loquuntur,
Et tam festivis moribus esse solent?
Inquio. Gallorum tamen huic Aurelia compar,
Parque Bohemorum creditur esse Praga.
Vindelicîm superat cunctas Augusta. Benignus
Hunc urbi Genium donat habere polus.
Sensimus hoc ipsi. Comis facundia primas
Quattuor hisce tenet, VOLCAMER, *usque locis.*
Qui secus arbitratur; eat discatque, loquendi
Qui sit honos, quæ sit gratia, quive lepos.

AD LEONARDVM LECHNERVM.

QVO *penitrat duplex ars & natura? quid ultra*
Consuetas vires illa vel illa sapit?
Nil est, quod veteres cecinere. per ardua tendit
Ætas hæcce, novas quærere docta vias.
Has indefesso sequeris conamine, sollers
Harmonicos agili promere mente sonos;
Teque ipsum superas, LEONARDE; *recentibus odis.*
Quæ tibi Latous præmia digna dabit?
Naturâ veteres quia vincis, & arte recentes;
Laurea prisca tua est, & nova palma tua est.

Digitized by Google

AD SEBALDVM MYNSTERERVM.

SPONTE *quòd ignotum verbis adfaris amicis,*
Mynſteriæ gentis dulce SEBALDE *decus;*
Et vultûs offers placidos, ultroque patentem
Arceſſis viſum, quàm patet ampla, domum:
Pectoris agnoſco ſinceri candida ſigna.
Doctus enim Muſas, numina docta, colis.
Hinc etiam ante alias noſtram auſus es eligere oden,
Quæ, Uæ væ Babylon, voce gemente canit,
Aonides te mutuo ament, niveique rependant
Munera candoris munere candidulo.
Faxo equidem, ne te & cariſſima pignora natos
Vnquam pæniteat ſuavis amicitiæ.
Nempe immortales fiunt, animamque perennant,
Quos & amant Muſæ, quos & amant Charites.

AD LEONARDVM LECHNERVM MVSICVM.

ECCE *Leonardum revehit lux ſexta Novembris,*
Teque jubet memorem nominis eſſe tui.
Nos ſumus ante quidem memores, idcôque ligatum
Teutonico ritu te dat amica manus:
Sic tamen, ut ſolvi poſſis; modò péndere cordi
Sit tibi, quod pendi Muſica turba cupit.
Juris es ipſe tui: nil cogeris. accipit ultro,
Quod das ſponte tuâ, juris & illa ſui.
Quid Lechnere moram trahis? actum eſt namque ſodalis
Arbitrium noſtro ſubjacet arbitrio.

AD ANDREAM GABRIELEM MVSICVM.

QVI *Gabrielis habes cæleſtia nomina, cuique*

Digitized by Google

Angelicos tribuit Musa canora modos ;
Hæc rogo concinnes suavissima carmina quinis
Aut senis resonæ vocibus harmoniæ .
Dum floret Rosa , dumque Rosam canis ; ipsa venustas
Conferet in modulos Cypria Diva Rosas :
Quin etiam Roseis cinget tibi tempora sertis ,
Aonidum claro Musice digne choro .
Respuis hæc tanquam marcentia ? Laurea Phœbus ,
Myrtea det capiti serta Amor ipse tuo .
Qui canit æternum melos , huic æternaque Myrtus
Et nunquam marcens Laurea munus eat .

AD SEBALDVM MYNSTERERVM.

IAM prope triginta totos tibi vindicat annos
Ordinis harmonici dulce sodalitium ,
Conjunctos Musis ex quo tu visere cœtus
Mynsteriæ stirpis fama SEBALDE soles .
Tu senior primusque audis : tibi Musica cordi ,
Quisquis & Aonias ornat amatque Deas .
Dij faciant , longum præsis ; videasque perenni
Florere eximium semper honore gregem .
O nunquam laudata satis res , quæ bene cœpit ,
Progressumque notâ de meliore facit !

IN PRÆFATIONEM VLRICHI SITZINGERI IC. DE LAVDIBVS MVSICÆ.

QVÆ legis in laudem divinæ cóndita quondam
Artis , cui nomen Musa canora dedit ;
Hæc SITZINGERI referas accepta Minervæ ,
Aula Palatini quo fuit usa ducis .
Optimus ut censor fuit ille , ita non nisi de illo

Optima judicio dexteriore refer;
Exemplumque cape, o ſuboles, laudabile morum,
Quâque ipſum deceat mente ſonare DEVM.
Muſica res ſancta eſt. obscenum & turpe faceſſat:
Non habet in ſacris lingua profana locum.

AD IOACHIMVM POEMERIVM.

NIL *hodie fabor tibi, nil ex pectore promam,*
Vnde animo noris quid IOACHIME *velim.*
Tu tamen, ut catus es, vix hoc Epigrammate lecto,
Natali, dices, obligor ecce meo.
O teſtem vēri locuplétem! Qualis Apollo es,
Senſa animi ex muto qui vafer ore legis?

AD SEBALDVM WELSERVM.

CARE SEBALDE *novem Muſis, almæque Dionæ,*
Nobisque cunctis; non tibi
Gratuler, enixam feliciter eſſe maritam,
Favore Lucinæ bonæ?
Sed cur filiolæ, Sophiam quam rite vocaſti,
Notam addidiſti Barbaram?
Omen abeſto malum. ſapiens ſit, barbariemque
Hæc ſpernat a ſeſe procul!
Induat humanos mores; adfabilis erga
Ipſos parentes audiat.
Scilicet eveniet. veſtro de ſanguine quisquam
Immitis haud unquam exſtitit.

AD IOHANNEM SCHEVFELIVM.

PRIMA *tuos hodie ſuaviſſima Muſa Penates*
Intrat, ut harmonico præcinat ore melos.
Excipe feſtivo reſonantia nublia plauſu,

Digitized by Google

Addat & alternam vox genialis opem.
SGHEVFELIO *dignum Pæana canemus. An inter*
Hosce choros aliquis non geminaret iò?

AD SEBALDVM WELSERVM.

Cum ei nata esset secunda filia Maria Magdalena.

IAM *rursus auctus filiâ es,*
SEBALDE *Welserûm decus.*
Hanc ipse, ut æquum est, & tibi
Patri, tuæque conjugi
Felicitatem gratulor.
Tuum est, SEBALDE, *in posterum*
Præstare, ne quum tertio
Pepererit uxor, filium
Desideres natæ loco,
Heredem aviti nominis.
O quale tum nato melos
Musæque & ipsæ Gratiæ
Primis ab incunabulis
Pegnesium ad amnem concinent?

AD ORLANDVM LASSVM.

QVANTVS *apud Macedum reges Milesius ille*
Timotheus melicæ claruit arte lyræ;
Tantus apud Bavarûm magnos illustria corda
LASSE *duces clares dulcibus harmoniis.*
Inde celebratas tua Fama volavit in aulas,
Regibus exhilarans Cæsaribusque animum.
Non tamen hi solum placitâ mulcedine gaudent:
Transiit ad cives consonus iste canor.
Concentu vario mentes auresque fruuntur,

Quas rapit ad Muſas melle refectus amor.
Vis quanta artificis, proceres apud ordinem & imum
Auctor ubi in pretio eſt, eſt in honore melos!

IACOBO EDINTONI, REGVM FRANC. MVSICO.

REGES *Francigenûm ſacros*, EDINTON,
HENRICVM *placidiſſimo ſecundum*
Mulſti carmine, CAROLVM*que nonum*;
Apud quos pretioſus exſtitiſti
Artifex fide ſuaviter canendi.
HENRICVM *quoque tertium peræquè*,
Cum teſtudineas fides pererrans
Elicis modulos fritinientes,
Demulces hodie. Quis audit unquam
Aut ſpectat modulaminis peritum,
Et non tot Genios Apollinesve
Tuis in digitis ineſſe retur,
Quot moves digitos chelyn ſonantes?

AD IANVM ANTONIVM BAIFIVM.

ATTHIDE *qui linguâ teneris imbutus ab annis*,
Triviſti Graios nocte diêque libros
Præſcripto Fabij: fieri potuitne, BAIFI,
Primum ter denas ut mihi poſt hiemes
Auſonios cantare modos, linguâque Latinâ
Inciperes doctis notior eſſe viris?
Nimirum philomela tibi eſt imitata poëtæ,
Non niſi quæ ſtudio præmodulata canit.
Judicio potius voluiſti tendere certo
Ad ſacra Muſarum culmina Pieridum.

Digitized by Google

Et dubitem, tanto tua culta magè eſſe BAIFI
Carmina, quo cæpſti ſerius ipſe loqui?

AD ANDREAM ROVTÆVM.

DVLCE *loquella mihi tua: ſuave adfectus amoris:*
Jucundum menſæ nectar & ambroſia.
His tribus ut chordis ſociaſti voce canoris,
Aptior ad numeros iret ut harmonia;
Non ego apud Lepidum ſum viſus, non ego apud te
ROVTÆE, *ætherios ſed prope adeſſe choros.*
Ille & adhuc plenas hæret mihi cantus ad aures,
Quo bene conditus ſermo, amor, eſca, merum.
In faſtis ſignabo meis hanc indice lucem;
Quâ pepigi primæ fœdus amicitiæ.
Nam cur, jucundum mihi ſuave & dulce penes te
Quod fuit, ignorat candida Poſteritas?

AD IANVM ANTONIVM BAIFIVM.

TAM *ſuaves, tam jucundus cum mane,* BAIFI,
Haurirem patulis auribus harmonias;
Deſcendiſſe polo ſymphónia credita nobis,
Qualis ab aligeri perſonat ore grege.
Pectoris indicium læti, lætique diei
Ædibus in veſtris Muſica talis erit.
Mi quoque ſopitos excivit pectore cantûs,
Juſſit & argutâ carmen hiare chely.
Incluſæ caveis ſic alta ſilentia rumpunt,
Audito melicæ verbere vocis, aves.
Fallor, an ætheriæ melos hoc ſonuere catervæ,
Aut id ab æthereis hi didicere choris?

OLOR.

SI candore nivem ſupero, ſi dulcia canto;
Cur mihi præferri vult niger iſte Corax?

PHILOMELA.

MILLE mele Philomela cano, cano mille ſonores.
Quid ceciniſſe juvat millia mille? necor.

COLVMBA.

SVM triſti ſine felle. meas imitabitur uxor
Dotes, quæ dulci gaudet amore viri.

HIRVNDO.

NVNCIA ſum veris. videar cur nulla, rogatis,
Sub bruman? haud didici frigora dura pati.

CICONIA.

CONIVGII exemplum ſtatuor, curæque parentum
Storge hinc Teutonicis Arthide voce vocor.

PICA.

PICA loquax culpor. ſed noſtra loquacior hercle eſt,
Quæ me tam docuit conſcia multa loqui.

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER QVINCTVS.

TERPSICHORE.

TERPSICHORE *fatuas averſor amœna choréas:*
Reddite germanæ mi decus harmoniæ.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

NON mihi ſunt arces, non pagi, prædia, ſilvæ;
Nec mihi centeno jugera ſudat equus:
Commoda Semideûm ſunt hæc poſſeſſa virorum,
Francia queis partas ùtraque ſervat opes.
Parnaſſi mihi templa ſacer patefecit Apollo,
Perfruor & Charitum Pieridumque choris.
Dant latices Nymphæ, Dryas Hyblam, ſerta Napææ:
Qua licet heic apibus pervolitare meis;
Vnde mel Auſoniis libant, mel amabile Gallis:
Alveolis tegimen nu modò lene dato.
Gratia ſi tua ſe præbeat ut ELISA *Patronam,*
En tibi gratus apum ſex erit usque Cliens.

AD ROSINAM.

CORDIS *amor, mentisque lepos, animique voluptas*
Verſibus, o virgo, dum vocitare meis:
Cor, mens, atque animus conſenſu triplice juncta
Discordant unis, ſint licet æqua, modis.
Offerat auditus mihi te, ſeu viſus ocellis;

Digitized by Google

Sive ego te dicam, ſive ROSINA *canam:*
Vnumquodque horum reliquis concedere primas
Præ deſiderio denegat ecce tui.
Verba animus fundit, mens audit, cor videt intus:
Lingua, aures, oculi, vix ſua munia agunt.
Omnia te exſpectant, cuncta urgent, ſingula quærunt:
Vsque adeó caram te meïs ardor habet!
Mirumne eſt, ſi te auditâ vel præſtite visâ
Cor micat, exſultat mens, animusque ſalit?

DE ELISABETHA REGINA ANGLIÆ.

DESINITE *in terris alibi diſquirere, vates,*
Palladaque & Charitas Pieriámque chorum.
Vnius en regnat REGINÆ *in corde Britannæ*
Pallas, item Charites Pierusque chorus.

AD ROSINAM.

NOMINOR *ignotus tibi, lux mea. te bene novi,*
Teque probê; noſti me bene, meque probê.
Quàm verê dicis! quàm verê ſcribis! & ipſe
Propterea ignotam te mihi ſæpe voco.
Quàm verê dico! quàm verê ſcribo, ROSINA!
Omnibus ignota es, ſed tibi nota ſatis.
Omnibus ignotus ſum, ſat mihi notus, & illi,
De me notitiæ eſt cui manifeſta fides.
Ignotorum ignota parens regumque ducumque
Si qua feretur, erit notior ipſa Deo.
Notior ignotis, hoc orbe, & me ſimul & te
Nemo eſt, nemo fuit, némoque forſan erit.
Cetera ſunt mundo huic incognita, cognita neſcit.
O ſcitum ignaræ notitiæ arbitrium!

Digitized by Google

AD IOAN. LOBBETIVM.

RHETORA *me vocitas, ſed ubi facundia noſtra eſt?*
Legatum; ſed (dic) aurea torquis ubi eſt?
Vatem nominitas; ſed ubi prognoſtica noſtra,
Quæ tibi LOBBETI *facta futura canant?*
Hinc Regem; ſed ubi regina, aut nobile regnum?
Inde Deüm in terris; aſt ubi noſtra Dea eſt?
Rhetor, legatus, vates, rex, & Deüs eſſe
Quei poterit, quem res deficit arcta domi;
Cuique foris nihil eſt? o ſi mage divite cenſu
Vinitor, o mage ſi nuncuper agricola!
Sorte meâ bene contentum me dicere poſſis.
Nil facit ad vacuos nomen inane Lares.

AD CLAVDIVM MAILLARDVM.

CARMINA *quod raro pangis* MAILLARDE, *Minervæ*
Torpor iners odio ſegnitiesque tua eſt.
Si tibi Caſtaliæ fodiendæ longius undæ,
Aut huc ducendæ longa per antra forent;
Haud lueres culpam, verum Libethrius humor
Nobis ante fores nocte diêque fluit.
Adſpice tot pulchras & mane & veſpere Nymphas,
Quærentes nitidam fontis eüntis aquam.
Has ubi vel tantum ſpectes, nec pocula guſtes;
Nonne vel invito carmina proliciant?
Aut bibe virgineas limphas, aut dilige Nymphas.
Virgineos dictat potus amorque modos.

ÆNIGMA.

TERRA *mihi eſt genitrix, pater ignis, patruus aër,*
Fons avus. hinc & aquæs geſtito, geſtor aquis.

Digitized by Google

Non mihi terra nocet, non unda, nec ignis & aër;
Vim facias; atomis par ero Democriti.

CVIDAM AMICO.

DVM glacie treber ruit exundantibus undis
Rhenus in expertes ignis aquæque casas;
Incendit gelido Spirana suburbia fluctu,
Horreaque ardescens unda vapora cremat.
Quum flammæ nihil insit aquis, succendere flammâ
(Profer) aquæ Rheni quei potuere domum?

AD IVSTVM REVBERVM IVRISC.

IVSTI nomen habes, teneris edoctus ab annis
Jus, æquique fidem, justitiamque sacram:
Nomine cur igitur spolias REVBERE *sodalem;*
Ausus pro Paulo substituisse Petrum?
Tune quoque incipies pervertere fasque piumque,
Vt confundentes plurima jura coqui?
Nomina si mutare nefas; injuria [illegible]ercle
Et merito injustus, IVSTE, *vocandus eris.*

AD IAC. PASCHARIVM.

SEV stylo vel acu decente pingat
Vividus animantium figuras;
Sive carmina doctiora fingat
BOISSARDVS *cedrinis inuncta succis;*
Seu quæcumque sagace mente gignat
Prisci lemmata comparanda sæclis:
Pictores simul & simul poëtas
In sui rapit incitos amorem.
Sic magnes trahit obvium metallum;

Sic

Sic fax Palladios bibit liquores.
Naturam intuitus, putabis artem
Non artem: ſed ubi intueris artem,
Naturam ſuperarier putabis.

PASCHARI, *mihi tolle in univerſum*
Phœbum Pieridesve Gratiasve:
BOISSARDVS *ſubito novos regignet*
Phœbum Pieridesque Gratiasque.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

QVA *ſimul æſtus, ſimul & præpoſtera brumâ*
Frigus & æſtus eſſent, quis neget eſſe lota?
Teſtes hi loculi, bene queis inſtructus, utroque
Aurivorum lecti tempore dives iter.
Frigore præ nimio, potuerunt nulla recluſi
Æſtibus in medijs æra tenere ſinûs:
At mediâ in brumâ, ferventè calore moneta eſt
Omnis ut ardenti colliquefacta foco.
Sic mihi cuncta vias exâta pecunia nervus,
Ceu vigor exſudâ febre virilis abit.
Flaccida nunc tantùm, Princeps, marſupia reſtant:
O gelidos æſtûs & calidas hiemes!

AD N. C. TRELÆVM.

AVDIRE *ſiſtra tinnientis Iſidis*
Per ſomnium repulſa viſus es prius
Aurora noctem quàm fugarat humidam;
Ratus futurum maſculis & feminis
Sacrum. Fefellit, NICOLAE, te ſonus
Clangentis æris: balneüm Cutiſcabus
Calfecit, aptans æneas cucurbitas.
Non ſacrificabis, ſed ſcarificabis cutem.

SEBASTIANO SCHEFFERO.

SEMPER es impatiens, animos compesce feroces:
Emigret e cerebro Cerberus ille tuo,
Qui fremit ingratis muscarum more susurris,
Quæve ciet fucus véspaque murmuribus.
Irreduces volitant voces & inania sæpe
Verba, quibus minimum prodes, obesque nimis.
Doctus apum monitis irâ moderatius uti
Disce, nec expromptam despice temperiem.
Illas sæva quidem rapit indignatio; verùm
Plus, quàm θυμὸν, amat nulla turba θύμον.
Non aliter suavi dulcedine mellis acerba
Suadeo tinguatur fellis amarities.

CONRADO ALBINO.

Epigramma cupisti
Albine videre saltem
A vate Melisso
Vnicum:
En habes
A vate Melisso
Quod ipse videre saltem
Epigramma cupisti,
Sed non unicum.

AD GERARTVM FALKENBVRGIVM.

IN Musico me dixerat convivio
Philonius κοινωνικὸν.
Auceps acutus ille verborum venit
Postridie ad me Cotilus,

Interrogando ſæpe me exſurdans ferê,
GERARTE, *me ferê enecans;*
An ſim νεόνυμφος. muſſitabam primitus:
At deinde, Rem quid hanc tibi
Curatio eſt? inquam. Locutus eſt heri
(Ait ille) de te quispiam;
Hoc ſcire cupio, mi Meliſſe; amabo, dic.
Etiam, inquio: ſum Canonicus.
Sub quâ diœcéſi? ille contra. Romulâ,
Inquam. Bene eſt: quânam rogo
In urbe? Româ. In æde quânam? Apollinis.
In monte fortaſſis aliquo?
Ita; in Palatino. Minervæne eſt ibi
Templum quoque? eſt ſanê. Aſt in hoc
Quid? num Canonici? non quidem, ſed Canonicæ.
Quales? Latinæ. ludis. haud
Ludo. poëtas invenis illic meros;
At heic poëtrias meras.
Inter acolúthos diaconosque presbyter
Haud ſum, ſacerdos attamen.
His me relinquit: pax! vale poëticê.
Et tu (inquio) Bœoticê.

AD FRID. C. P. RHENI.

ANNVA *quum vati numerat ſtippendia quæſtor,*
Multa levi turget charta referta cupro.
Aurea ſi noſtræ perhibentur carmina Muſæ,
Cur minus ex auro fulva moneta datur;
Aut gravis æquivalens argenti portio ſaltem,
Quæ referat vultûs candida ſigna tui?
Crede mihi Princeps, ni poſt mutatio fiet,
Pro cupreis numis cuprea metra canam.

Digitized by Google

AD P. D.

PROMPTIVS *e ſilicis venis expreſſero lymphas,*
Aut liquidum e durâ mulſero lacte petrâ;
Debita quàm molli prece diſcutiantur ab aulâ
Æra, catenatis PETRE *ligata ſeris.*
Vulneribus jaceo confoſſus mille. Tot ictûs
Axenus heu monitor, quot mihi dicta dedit.
Vix ubi jam primum concreverit una cicatrix,
Réfricat ecce recens ulcera priſca dolor.
Quod niſi maturê mihi pacta pecunia cedet
(Nam ſumptum proprij fecimus æris ope)
Mutua Judæos adeam ſumpturus oportet,
Axenus aut dictis me dabit iſte neci.

IN SPLENDOREM AVLICVM.

SPLENDIDA *magnificis paupertas regnat in aulis:*
Iſta domi noſtræ ſubditur; aula vale.

IN PAVPERTINAS OPES.

RES *ubi defuerit, nil ſplendida nomina proſunt:*
Res ampla eſt? quodvis tum bene nomen habet.
Rex aliquando fui, ſed menſas inter opimas;
Stipabat lævum Regia virgo latus.
Deinde poëtarum regem me PORTE *vocaſti,*
Neſcio quo Muſæ ductus amore meæ.
Tertia cantorum tu regna jocoſe propinas,
Pars SCHEFFERE *novi prima ſatellitij.*
Non mea maieſtas & munificentia ſeſe
Largam divitiis præbeat uſa ſuis?
Pauperie eximiâ quivis donatus abibit,
Fortunæ ſocius ſi volet eſſe meæ.

Digitized by Google

Confluat huc jejuna cohors : ſatur exiet aulâ
Quilibet, eſurie nempe ſitique ſatur.
Cetera quæ deerunt locuples penuria rerum
Nec prius auditas ſuppeditabit opes.
Ditior hinc aliquis factus Cræſoque Midâque,
Ne ſpernas Iri regna minora, cave.

AD IOAN. GLAVBVRGIVM IC.

NEMO poteſt alicui multum donare parumve,
Quæ vel non ſua ſunt, vel quibus ipſe caret.
At quo te dono GLAVBVRGI *muneror, hoc tam*
Ipſe equidem careo, quàm nequit eſſe meüm.
Publica prætulimus privatis. jam quod amico
Dem, licet exiguum, munus oportet emam.
Haud Mida ſum. ſed tot gaζâ quum paupere ditem,
Paupere de gaζâ tu quoque dives eris.

DE HIRSONE.

REGNA petiturus cum Gallica tempore veris
Vxorem gravidam linqueret Hirſo domi;
Oſcula & amplexûs inter lacrumasque cadentes
Preſſando dextram conjugis usque manum,
O mihi jam linquenda vale vale optima, dixit;
Votaque in absentem concipe juſta virum.
Dij faciant, iterum poßim te cernere ſoſpes,
Qualem ſub patrio te Lare linquo domi.
Voti compos abit. rediens poſt tempora brumæ
Vxorem gravidam repperit Hirſo domi.

[illegible]

Iulij Cæſaris F.

OB perpetratum neſcio
Quod ſcelus aut facinus,

Digitized by Google

Excuriatum dixeram ſenatorem.
Mataus ille Tonſor (ut
Rebus ubique novis
Studet) renarrans dicta non probè excepta
Lippo Philippo cuipiam;
Excoriatus, ait,
Senator eſt in oppido Paludenſi,
Atrox ob admiſſum nefas.
SCALIGER, *hoccine eris*
Latina glúbere, an Latina tondére?

AD [redacted]TVM
O[redacted]M.

SI QVA *mihi, a caro quæ littera fertur amico,*
Grata venit, certè nunc tua grata venit:
Ipſaque quàm longa eſt, tam multi plena lepóris,
Candore & niveo tota referta nitet.
Dulce favus Labris: tua ſuavis epiſtola melle eſt
Dulcior, aut ſi quid dulcius eſſe poteſt.
Nectar & ambroſiam præbe veſcenda Meliſſo,
Reſpuerim, VOLFI, *nectar & ambroſiam;*
Quamvis hic potus, quamvis cibus ille Deorum eſt:
Vsque meros adeó fundis ab ore ſales.
Es reor ipſe lepos, aut filius ipſe lepórum,
Aut fons, qui ſaliens usque lepóre fluit.

AD EVPHROSYNAM.

EVPHROSYNE *Charitum ſoror, Aonidumque ſodalis;*
EVPHROSYNE *multis una petenda procis;*
Ecquid in annales teneri perſcripta Meliſſi
Corda tuos memori cognita mente tenes?
Parvula vix oram poteras contingere menſæ,

Digitized by Google

Docta citis versûs mille referre sonis ;
Instar fonticuli jam tum mellita fluebat
E scatebris linguæ pura loquella tuæ .
Qualia nunc fuerint , tibi quum sit adultior ætas ,
Quántave sermonis flumina nectarei ?
Qui bibet hæc , dicet libator : Certê ego nectar
Non mortale bibo , sed mera mulsa Deæ .

AD IOAN. HENRICVM HAINZELIVM.

SATVRNALITIO *festo Janive Calendis*
Missa putes , Februâ quæ tibi luce damus ,
Huc tua si citius venisset epistola tarda ,
Tardius haud Lycios nostra petisset agros .
Fenore sed multo mora compensatur ; & aucta
Temporis usura est ubere sera lucro .
Rem facis HÆNZELI. *vafer ulciscéris amicum ?*
Lucri jacturam fenore redde parem .

Laternam, quam CLAVDIÒ MAILLARDO utendam dederat, domum revocat.

ECQVID *te precor o Lucerna factum ,*
Tam diu quòd abesse permoraris ,
MAILLARDO *comes addita ad Penatum*
Nocturnas latebras ? placet , Lucerna ,
Te , tardissima , Pœnicam vocari
Aut claudam ? nisi forte distineris
Duro carcere clausa Claudiano .
Hoc verum est ? sed in Atticam profectam
Esse te potius , novas Brodæi

Allatum puto lucubrationes,
Græcorumque Epigrammatum libellos.
O Laterna redi, redi precamur
Tandem ex Hellade. quin mihi videris
Veniſſe in Latium: diu proinde
Laterna in Latio latére noli.

DE IO. H. HAINZELIO.

NON *niſi divitibus nunc munera dantur; & auri*
Flos aurum, gemmam quærere gemma ſolet.
Aureüs HÆNZELIVS *meüs eſt, & gemmeus. aſt hui*
Ærea cur tantum, vitrea curve dedi?
Illius ut tactis gemmisque pudenter & auro
Splendidius referant æsque vitrumque decus.

DE NICOLAI RVDINGERI DEAMBVLATIONE.

SCILICET *in totâ ſunt nulli Francide montes;*
Nulla RVDINGERI *culmina trita pede:*
Huc venit, ut frondes inter juga celſa pererret,
Radices vitrei queis lavit unda Nicri.
Idque facit podager, medico debetur ERASTO
Gratia, cui podagræ cura benigna malæ eſt.
Confirma poplites robuſtius; atque dolores
Turgentis chiragræ, victor aprice, doma:
Callet enim ſollers, Epidaurius alter, ERASTVS
Arte polire manûs, arte polire pedes.

AD NATHANEM CHYTRÆVM.

EDITA *Pieridum ſacris ex carmina fanis*
Tune profana vocas?
Ne vanus dicare cave, tua quando profanas

Digitized by Google

Teque ſacrasque Deas.
Patraſti læſæ pol crimina maieſtatis,
Terque quaterque reïis.
Damnas proinde eſto Chytræ aut pendere mulctam,
Aut revocare nefas:
Nam capitis vatem parcunt anquirere & ipſe
Phœbus, & ipſe chorus.
Vnius ob vocis, crudele, piacula totum
Plectere velle caput.

AD PAMPHILAM.

NVBERE *nolle mihi, niſi ſaltem, Pamphila juras:*
Pamphila quòd ſaltas, ducere nolo ego te.

NON *niſi ſaltanti ſi nubere Pamphila juras;*
Pamphila jura etiam nubere nolle mihi.

SI, *niſi quam choreis lucrabor Pamphila ductis,*
Nulla puella mea eſt; nulla puella mea eſt.

AD [redacted].

SI *multum potaſſe merum, facit eſſe poëtam,*
Mílleque in unâ horâ fundere verſiculos;
Potor aquæ nec idem potis eſt præſtare, ſed alget
Totus, & algentes incinit ore modos:
Sobria Pieridum cur numina ſæpe vocantur,
Quæ de Caſtalio non niſi fonte bibunt?
Dux & earumdem cur ſobrius audit Apollo,
Poplite qui nullos fert titubante pedes?
VOLEI *quid cenſes? humentes ſiccus Iäccho*
Grex odit, ſiccos ut nihil udus amat.
Quei mihi concilias contraria? ſic nec Apollo
Vates, nec vates ulla Camena foret.

Digitized by Google

AD CLAVDIVM ANCANTHERVM AVSTRASIVM.

PHOEBVS *ut absque novem numero comitante sororum*
Tendere me calidam vidit in Ausoniam;
Acrius exseruit radios ardore coruscos,
Instinctos rabidi saeviter igne Canis.
Quin Notus ignitas succendit alacrius auras,
Térraque fervores halat in ora mea.
In Niobes saxum nisi versus in Alpibus essem,
Tota mihi exsangui membra cremata forent.
Dissluxisse tamen videor mihi corpore toto,
Vt solet admoto cera soluta foco.
ANCANTHERE, *boni quid fructûs quaeris in illo*
Qui modò diriguit, qui modò delicuit?

SVNT *duo, quae propter cedentem Alemannide terrâ*
Me vatum sociae deseruere Deae:
Nam teneris justo fuit, ANCANTHERE, *pavor*
Saevior Alpis hiems Euganeusque calor.
Illa gelu nimio venam rigefecit inertem;
Post mihi siccatam torruit iste nimis.
Quos igitur versûs me poscere velle videris?
An prorsus gelidos, an penitus calidos?
Haud medium est. immo omnino nihil. Ecquis in usum
A glacie ambrosiam, nectar ab igne petat?

QVID *tibi vis cantem? gravis algor in Alpe Tyrollâ*
Me duriorem reddidit
Crystallo: calor Hadriacus carbone perusto
Arentiorem. proin (vides)
Frigidior glacie sum, caldior igne. sed illam

Digitized by Google

Neque hic, neque illa hunc temperat.
Extorquere mihi quæ mellea carmina, CLAVDI,
Quos lacteos versûs pares?
An fieri poßit, cryſtallus ut humida mella
Sudet, nigerve carbo lac?

SIC *mihi membra gelu ſtrinxit, ſic uſßit ab æſtu*
Iuppiter Alpinas, Erigonesque canis;
Vt plus quàm glacies, ut plus quàm flamma videri
Poßim; queis Balthis congelat, Ætna flagrat.
Præter naturam ſi non hoc eſſe negabis,
ANCANTHERE *mei cognitor ingenij;*
Præter naturæ ſeriem eſſe fatetor, ut aurum
Balthis, gemmatos egerat Ætna globos.

AD ZOPYRVM.

VT *ſemel videas meam* ROSINAM,
Tot delubra recentium Deorum
Dearumque petis; tot angiportûs,
Et tot quadrivij teris receſßûs,
Et tot compita curva pervagaris.
Fruſtra quærere, nuspiam quod exſtat,
Hem cuiæ eſt operæ? Sed inveniri
Poſſe ſi tamen ullibi ROSINAM
Autumas; age quære, quære quantum
Potes ZOPYRE. *næ (Jovis cerebrum*
Teſtem laudo) reperta ſi ſit usquam
Illa noſtra ROSINA, *fax amoris;*
Illam non alibi, niſi in ſacello
Depictam invenies meæ Minervæ.

Digitized by Google

AD LÆLIAM.

VENERAT *Hadriacam Cypro Venus exſul in urbem,*
Aurea frenato murice vecta Venus.
Illic tot Divas inter Nymphasque marinas,
Queis æquê pulchras nulla habet unda Deas,
Vt fruſtra reperire aliquam pertenderat, in quam
Sic transformaret ſe ſpeciemque ſuam;
Euganeos petiit colles; ſeque in tua miris,
LÆLIA, *transmutans induit ora modis.*
Ante ferebaris Venus ob præconia formæ;
Duplice nunc gemina es munere facta Venus.
O fortunatis Patavina palatia tectis,
Quæ gravis inceſſus cælitis ornat hæra!

AD ZOPYRVM.

DEBVERAS *heſterna libens inviſere noctu*
Feſta, Palatino concelebrata Lari.
Plus aderant centum præſtanti corpore Nymphæ:
Texerat his caſtos inſtita longa pedes;
LÆLIA *quas inter procéro vertice ſupra*
Veſtibus in Tyriis bella videnda fuit:
Lumina cui roſeis dubitaſſes plusne micarent
Vultibus, an rutilo mille colore faces.
Illius adſpectu læſos hebetabar ocellos,
Tanquam acies radiis Solis ibi icta foret.
Tolle mihi e mundo cum Lunâ ZOPYRE *Solem;*
Luna erit hæc noctu Lælia, Solque diu.

AD LÆLIAM.

MANE *ego te vidi, te vidi ego veſpere; vidi*
Noctibus, & medio LÆLIA *bella die.*

Digitized by Google

Nativus color est tibi; qualis ab æthere puro
In matutinam purpura lucet aquam.
Non alia atque alia es. fucum pigmentaque nescis;
Et Porphyriacis æsypa mista lutis:
Et tamen Hesperius, uncto quæ polline tinguunt
Labra genasque, tui stat prior oris honos.
Sic ipsâ tu re, quod sæpe ego dicere suevi,
Natura est potior qualibet arte, probas.

Nobilis Hadriaci prope litora LÆLIA *roris*
Edita, formosis omnibus una decus;
Quum mihi cantaris rarâ bellissima formâ
Euganeas inter Nympha videnda nurûs:
Numne ego laudatos mores excludo pudici
Pectoris, aut dotes ingeniosa tuas?
DI prohibete nefas. Ipsis formosior Horis
LÆLIA *es, & castâ castior Andromache.*
Qui pulchram dicit, bellissima dicit inesse
Quæque. nihil pulchrum est absque pudicitiâ.

AD MATTHÆVM CORASIVM CONSTANT.

Dum properamus iter, ferimurque per aëra cursu
Præpete, Picenis Æmiliisque viis;
Fundere tam celeres numeros jubet ipse Rhedinger,
Quàm rapidâ antecapit calce verédus humum.
Intercluſa ferè est animæ via. nec meus est pes
Nec manus; alterius qui modò gestor ope.
Carmina proveniunt tranquillo nostra tenore
Ducta, nec adsultu præcipitantis eunt.
Vos facitote (potestis enim) pro tempore raptos,
O alacri juvenis prædite corde, modos.

Alipedes ut me fugiuntque fugantque vicißim,
Sic numeris fugior, ſic numerisque fugor.

AD HERCVLEM CIOFANVM SVLMONENSEM.

VIDENDAS *heri, perparce, dediſti*
Naſonis imagines
Tantum; mihi nam dare habendam
Saltem unam, novitas ſcilicet impediit.
Legendas tibi ſolas hodie ſi
Noſtrorum ego carminum
(Nam ſunt nova) præſtem ideas, nec
Vtendas; avido nonne ſatisfaciam:
Vt olim ſatur nidore culinæ
Perſolverat hoſpiti
Clangore nomiſmatis? I nunc,
Et me par dubita reddere poſſe pari.

PARERGON.

De ſe & Petro Angelio.

DEBITOR *tuus Angelius eſt:*
Vna ait novem ſororum.
Creditor tuus Angelius eſt:
Inquit una Gratiarum.
Neutra verum ais, inquio ego. nam
Creditorve debitorve
Si foret mihi, tum facere ſa-
tis deceret alterútrum
Sive utrumque. Sat accipio, tu
Dicis ANGELI: *ſatisdo;*
Aio contra ego. creditor ita es,
Ipſe debitor. Satisdas

Digitized by Google

Hinc viciſsim, ego ſat capio. ſic
Mutuas vices uterque
Præſtat. utra Dearum igitur ab-
ſurda protulit? petendum
Sanè erit veniam. Euge precor ig-
noſcitote, tu Camena,
Tuque Gratia. verum útraque ait.
Quid rei eſt? nihilne credis
PETRE? *credita eo tibi minus*
Debet abnegata Paulus.
Si meâque tuâque ibi parum
Intereſt; nihilne debes
PETRE? *debita eo facilius*
Perſoluta crede Paulo.

AD IANVAM SVAM, CVI MATTHIAS ANOMOEVS SCHEDVLAM ADFIXERAT.

Qvi meus eſt χρήσει καὶ κτήσει, *Janua, nobis*
Attulit & numos, attulit & numeros.
Certior ipſa prius facta es de munere tanto,
Quo ſine in Italiâ vivere nemo poteſt.
Quàm fuerat bene charta laquax! Ἀνόμοιος ἑταίρῳ
Γράμματα, καὶ πιστῆς χρήματα χερσὶ φέρει.
Janua dic grates Anomæo. dehinc quoque dic ut
Adferat & numos, adferat & numeros.
Audis o Anomæe? Tibi perſolvere grates
Janua ait, querulis non ſine cardinibus.
Ecce ſuſurrat adhuc. Meriti huius quàm bene manſit
Charta memor, maneat tam bene cardo memor.

Digitized by Google

AD SODALEM.

Nec viliores nec potentiores sunt
Vllo lacessendi modo.
Monere toties audiisti id ipsum me,
Arbitrioque libero
Sententiæ recens, amice, subscripsti.
Fefellit incautum avium
Excessus. Inritare velle crabrones,
Aut excitare scorpium, aut
Somno leonem vellicare sopitum,
Impune nemo unquam tulit.

AD IANUM DOUSAM NOR[illegible] DOVSIN.

Mvsarvm pater atque Gratiarum,
Mi dulcissime Jane Dovsa; *si me*
Musas visere Gratiasque vestras
Lugdunum lacis advenam Batavûm,
Et mi prandia lautiora ponis,
Et Rhenana salubriora fundis,
Vt mos est tuus iste Lipsij que:
Vnum abs te peto Lipsioque; Justo
Lipsio, nitidissimo virorum
Atticos adamantium lepores.
Vnum inquam peto, ne foci magistra
Aut magister Apiciæ culinæ
Sardoum Artocreas *gulæ ministret:*
Sardoum malè risero cachinnum.
Immo Dovsa, *minister aut ministra*
Sardoum Artocreas *mihi propinet:*
Sardoum benè risero cachinnum.

Digitized by Google

AD VICTOREM GISELINVM.

LVDICRA *quæ ſcripſi Schediaſmata Apolline nullo,*
Sic in deliciis Delicianus habet;
Delicias ut eos verſûs floremque lepóremque
Et Phœbi & Charitum Pieridumque vocet.
Seria cum graviter, GISELINE, *Meliſmata pangam;*
O quanti hæc faciet Deliciana chelys!

AD IO. HENRICVM HAINZELIVM.

SEXTILES *redeunt mihi calendæ,*
Auguſti ſibi nomen adrogantes,
Auguſtiſſima lux tibi tuisque
HENZELI, *o mihi fratre plus amate,*
Et dehinc quoque fratre plus amande.
Cur non vel ſemel hæ prius calendæ
Auguſtâ rediere in urbe nobis,
Auguſtiſſime dignitatum haruſpex?
Quid auguſtius eſſet his calendis?
Ehcu, quod toties reapſe nullæ
Auguſtæ veniunt mihi calendæ!
Nam quascumque ego neſcius futuri
Præſtolor Latij fori calendas;
Græcas eſſe mihi reor calendas.
Quid inviſius his putes calendis?

AD CAROLVM VTENHOVIVM C. F.

SOSPES *reverſus Italis ab oris,*
Pallantiamque Othoniamque doctam
Saluto amanter. Ni illa & hæc recepſit
Miſſam ſalutem (quidni ea recepſint?)

Digitized by Google

Tibi ſalutem CAROLE *hanc habeto*
Tantiſper, aliam dum migrem ſalutem.
Sed ante quàm rurſum tibi ſalutem
Pallantiæve mittam Othoniæve;
Tuâ & tuorum & utriusque Nymphæ
Impertiaris me velim ſalute:
Nam mutuam ni miſsites ſalutem,
Reciprocare quei ſinam ſalutem?

AD IOACH. POEMERIVM SENNOR.

TAM lautis epulis bonisque libis,
Tam bolis ſapidis gulæque gratis,
Vt his cedat Apiciæ culinæ
Nidor, cedat opima cena regum,
Crebrum non ſine triplici Falerno
Convivam excipis: & tamen modeſtè hæc
Dapes fercula ruſticas vocare
Audes. Qualem eram, amabo te, mi
POEMERI, *urbica cum dabis Meliſſo?*

AD IOACHIMVM NYZELIVM SENATOREM NORICVM.

PAVLE, dies genialis adeſt, tibi nominis auctor,
Debita fac redimas nominis orſa tui.
Sic ego Nyzeliæ gentis IOACHIME *propago,*
Dicebam nato verba jocoſa tuo.
Ille manu prenſante genu complexus utrumque:
Tu quoque te redimes; lux tibi fulget; ait.
Carmine me exſolvens, illi ſua vincla remitto;
Ad Muſas illi dum celeretur iter.
Carmine tunc ſeſe redimet, promiſſaque ſolvet

Digitized by Google

Præditus ingenuâ dexteritate puer.
Hactenus obstricti, reor, ære manebimus ambo;
Creditor ipse illi, debitor ille mihi.

AD IOAN. MOLITOREM NORIBERG.

DOROTHEAM *lux ista tuam monet esse ligandam:*
Teutonico ritu capta marita tua est.
Quo pretio solves MOLITOR *socialia vincla?*
Pignore quo redimes teque tuamque domum?
Ni rerum sat ages, vah, quanta pericula restant!
Amittes, cari quidquid in æde tibi est:
Et merito. nam jamdudum, prout invidus audis,
Et Philomela mihi Dorcadiumque placet.
Dorcadium & Philomela decens, nisi solveris ære,
Cedent promeritis debitâ digna meis.
O quæ lætitia adficiet mihi vere ROSINAM,
Si Philomela canit, Dorcadiumque salit!

AD [illegible] DOUSAM,

QUOSCUMQUE *lêgit classicos*
Rufinus auctores, in his
Inesse tot commentus est
Tropos, figuras, schemata;
Quot astra fulgent æthere, &
Aves volant in aëre,
Piscesque nant in fluminum
Fundis, maris ve gurgite.
Ne DOUSA *mirum hoc æstima;*
Constabat ille totus ex
Tropis, figuris, schematis.
Mox cœpit ut gravissimis

Digitized by Google

Tumoribus distet diu;
Ignarus ægritudinis
Novæ Machaon unus &
Alter, simulque tertius
Nihil remediorum invenit.
Quid fit? miser leto perit.
Exenteratur. causa tum
Mortis patescit. cernier
In ventre toto nil nisi
Tropi, figuræ, schemata;
Quæ ruperant vivo ilia.

AD GEORG. PALMAM.

FAVTORVM Coryphæe candidorum
PALMA, & suavidici pater lepóris;
Hesternum leporem comesse mecum
Si voles hodiernus, euge cenæ
Adesto. tamen hac adesto lege,
Vt si vis leporem comesse mecum,
Tot tecum mihi deferas lepóres,
Saltus quot lepores alit propinquus.
Nam pol absque tuo lepóre multo,
Sustinet lepore hocce nemo vesci.

AD CAROLVM IMHOFIVM, PATR. NORIB.

SI *quæris quibus oblecter salibusve jocisve*
CAROLE, *cui nomen Curia fecit; habe.*
Illis præcipuè capior, quos mente serenâ
Suavidicæ Charites Pieridesque serunt.
Stultitias alij tricasque, & inania nugas
Verba, quibus rerum pondera multa, vocant.

Digitized by Google

Luſibus his crines tamen incaneſcere noſtros
Cernis, & adſuetis fallere luſtra modis.
Sæpius & blando miſcentur ſeria luſu,
Materiâ numeris conveniente ſuis.
Quorſus utrumque? operas ut in ævum proroget auctor,
Inque operis ævum conferat omne decus.

IN LEPIDINÆ PVLCHRITVDINEM.

O LEPIDINA, *tuæ quanta eſt præſtantia formæ!*
O LEPIDINA, *tui quantus hic oris honos!*
Næ, tua qui propius pulcherrima viderit ora,
Vertitur in lapidem, ni ſiet ante lapis.

AD VITVM POLITEN.
Die Viti nugæ.

VITE *apprima vide, ne vite aut reſte ligeris,*
Dum Viti inviti lux malè fida venit.
Elige, utrum malis. teſtem pro reſte requires,
Aut pro vite fidem, nec ſine lite, petes?
Victima pro vitâ nihil eſt, vitulam niſi vites,
Quâ longos Soles nudus arare ſoles.
Luce igitur Viti vitulum dato VITE, *vel heic te*
Deſtituet teſtis, deſtituetque fides.

AD HENRICVM LISTRIVM GELDRVM.

DESPONDESNE *animum* LISTRI, *dubiusque vereris*
Longinqua ignoti tecta ſubire Laris?
Quo Deus atque oſcen monitor vocat, i pede fauſto:
I, pete præclari limina Dudithij.
Dudithio fueris certê gratiſſimus hoſpes,

Digitized by Google

Teque colet nitidus tradita cura puer.
Vtibiles ſtudiis dabit inſtructiſſima, rebus
De variis ſcriptos, Bibliotheca libros.
Adde, quòd ornatam venies regionibus urbem,
Ante alias Viadrus quam lavere amnis amat.
Suppeditet Viadrus pulchro tibi lumine Nympham;
Quàm ſocors es, eo ni citò tendis iter!

AD HIEREMIAM REVSNERVM.

REVSNERE, quid manum meam,
Quid poſcis unum atque alterum
A me exaratum verbulum,
Tuâ in papyro candidâ?
Papyrus iſta candida
Peribit, & manus hæc mea, &
Iſtæc peribunt ludicra.
Fidem colamus integram,
Et mutua illa fœdera,
Quæ vinclum amicitiæ ligat.
Hæc ipſa, germanum tuum
Si Nicolaum conſules
REVSNERE, præſtat maximê
Infixa habere in pectore,
Inſcripta ferre in dexterâ.

AD TITVM LAVR. FRECHTVM.

QVAM prædicare ſueſtis adeo Naida,
Verê puellam CANDIDAM;
Quam Potamus ille, quamque Fortis deperit,
Spectare avebam, mi TITE,
Nocturnus ad paratæ cenæ fercula,
Ad quæ vocaras nos heri.

Digitized by Google

Sed imber, a tonante demissus Jove,
Hærere me jussit domi.
Nam pol verebar, ne puella CANDIDA
Nais, metu vepallida
Sese abdidisset forsan in specu, ut solent
Nymphæ fragore territæ;
Suosque vultûs mi negaret, aut eos
Si non negaret, tristior
Tamen videretur. sed accipe hæc joco.
Siccum mane, cum sudum erit.
Madidus venire nolui istuc: sed domum
Madidus redire malui.

AD WOLVFGANGVM IACOBVM STROMERVM.

PARS *hodie,* STROMERE, *tui prænominis offert*
Sese; pars dudum pone relicta fuit.
Tu prius Augustæ celebraveris ultima jura:
Nunc patrio cupiunt in Lare prima coli.
Vindicat Auctumno primas, æstate secundas
Lux sibi, diversis utraque nota notis.
Hanc tu sive aliam vis exspectare sodales,
Significa. manibus lora parata tuis.
Fallimur, an dices? Quisquis citò debita solvit,
Obstrictus fidei desinit esse citò.

AD CONSTANTINVM ZOPYRVM.

PER *litteras jocare, quâ lubitum tibi est;*
Jocare quantum amabis, & ride tuum
Palam sodalem clamve. Quod si illum dehinc,
Quem nostra mens, quem vestra mens intelligit,

Digitized by Google

Redeunte in aurum priſcum anili ſæculo,
Fortuna Regem, aut ipſamet virtus creet,
Numenve potius, omne cui Fatum ſubeſt;
Foretne mirum? mira plurima accidunt
Subinde. Rex hodie novus Poloniâ,
Novusque dux potitus eſt Brabantiâ:
Idem eſſet, ubi quis occuparet Perſiam
Novus tetrarcha. Fiat hoc, & juſtior
Darius aliquis hocce regnet tempore,
Habeatque fidos usque conſiliarios:
Conſtantem an illi te invidebis Zopyrum?

DIALOGVS
IN GRATIAM NICOLAI COMITIS OSTROROGII.

Octo vocum harmonia concinnatus a Leonardo Lechnero.

PALÆCOME.

VNDE novum precor ignotæ veniſtis in orbem?
Quove tenetis iter? quæ vobis nomina Divæ?

ÆGLE.

Tres ſumus Heſperides, nemoris decus aurea mâla
Donum magnifico portantes Oſtrorogano.

PALÆCOME.

Oſtroroganus adeſt. eccum.

ÆGLE. *Salv' inclite ſalve*
O Comes.

OSTROROGIVS.

Et vos o Nymphæ ſalvete venuſtæ.

Digitized by Google

ÆGLE.

Hesperus hæc mittit tibi munera, frater Atlantis,
Ex nemor' aurifero, nullis pereuntia sæclis.

OSTROROGIVS.

Amplector capioque libens.

ARETHVSA. *Tibi maxime Rector*
Adjicit aureolum sceptrum, gestamina dextræ;
Et sertum florens ex æternis Amarantis.

OSTROROGIVS.

Regificum certê minus.

HESPERETHVSA. *Cape tegmẽ & hocce,*
Velleris aurati spolium.

OSTROROGIVS. *Quàm dotis abund' est!*

EVRYALE PEDISEQVA.

Accip' & hanc capsam, quâ munera tanta recondas.

PALÆCOMECVM CHORO
MVSARVM.

Plausibus exsultans tibi gratulor Ostrorogane.
Pierides gaudent mecum, gentemque Polonam
Collaudant, quæ te cæli produxit in auras,
Perpetuam meritum mansur' in sæcula famam.

AD IOACHIMVM POEMERIVM.

CVM *vacuus fueris, te dimittente senatu,*
Quem tibi cumque diem, mi IOACHIME, *leges;*
Et tua se tulerint vestigia proxima nostris
Ædibus: introitum ne mihi quæso nega.
Est, tibi quod monstrem: non germina fertilis horti,
Non fruticum positos in statione situs:
Sed loca jucundis peramanter habenda Camenis,
Vtrinque adspectu non inamœna suo.
Sol oriens cameram ferit, occiduus hypocaustum:

Digitized by Google

Roſcida per medios traviat aura Lares.
Quid dixi imprudens? nequeo monſtrare, quod aio.
Nondum in conſtructo eſt. ergo maneto domî.
Si tamen in vanum vis paſcere lumina, adeſto:
Sæpe etiam inculto eſt gratia rara loco.

DAVIDI HELICONIO LIVONO.

HELICONII *quis audit,*
Legit aut videt poëma
Nitidum, elegans, venuſtum;
Neque ad eius incitatur
Vel fronte primâ amandum
Geniale nomen, aptum
Heliconidum caterva,
Heliconidumque alumnis?
Niſi te novena turba
Proprio in ſinu educaſſet,
Facilesque Gratiæ plus
Oculis ſuis amaſſent;
Niſi Phœbus Hippocrenes
Liquidiſſimo liquore
Tua proluiſſet ora:
Tibi cur perenne nomen
Heliconio dediſſent?

AD CHRISTOPHORVM HOMAGIVM DELICIANVM.

ME *ſalvere jubent, auſpicio ſecundo*
Anni huiusce novi, vota, HOMAGI, *duarum*
Nympharum. una colit pulchra fluenta Mæni,
Ripas ſubriguas altera Nympha Rheſi:

Digitized by Google

Nuptæ legitimo jure meis amicis,
Dinnero niveo candiduloque Leio.
Tam mi grata salus hæc inopina vênit,
Quàm transmissa mihi si foret a duabus
Reginis. Ita me Juno amet atque Cypris,
Regnorum illa potens, hæc tenerorum amorum;
Vt nil hercle salute hac pretiosiusque
Duco & carius! Ast útraque Nympha quamquam
Haud regina cluet; tu tamen hanc & illam
Festivis, HOMAGI, *versibus ipse mecum*
Reginam esse putes, o, faciasque magni
Dinnerique Helenen, Esterienque Leij.

AD GABRIELEM SCHEVRELIVM.

QVEM *tibi felici partu gravis edidit uxor,*
Sit felix dextro numine filiolus:
Nec patris ingenio crescat nec moribus impar,
Scheureliæ durans spesque decusque domûs.
Macte novo GABRIEL *herede! quod abstulit annis*
Præteritis, iterum jam memor hora dedit.

AD ANDREAM DVDITHIVM.

PROMISSVM *tibi carmen ante sesquiannum*
Aut duos (nisi fallor) annos
Nunc exsolvere tempus est. habe ergo nostras
Nugas carmine triplicato.
Partim seria, DVDITHI, *jocosa partim*
Et ludícra vides. sed hæc tu
Loco fœnoris æstima, nucis putamen
Nucleumve oleæ licebit
Vix æquent. tamen ut fidem meam penes te
Captam hoc nomine liberarem,

Digitized by Google

Hoc ſatisfieri tibi haud nequire pacto
Meum induxi animum ſolutus.
Næ præſtat dare verba, quàm manere chartas
Ætatem tibi debitrices.

AD IOANNEM PRÆTORIANVM.

INCVRVICERVICVM *genus*
Varicarum ancillularum
Tanquam rhedas trahentium,
Vultibusque fixa pronis
Torvè intuentium ſola,
Quomodo erigi queantur,
Ne prava ſic protuberent
Dorſa, ceu gibbi camelûm:
PRÆTORIANE *aſtutiâ*
Curioſiore quæris.
Huc adferendos cenſeo
Milleformes ceſticillos,
Rheni uſitatos litore:
Queis ſuperpoſtis, ut eſt mos,
Capiti, grave adſueſcant onus
Ferre non tergo, ſed ipſo
Jam baiulatum vertice.
Ceteróquin hac in urbe
Incurvicervicum genus
Durat usque Varicarum.

AD IANVM GVLIELMIVM,

NON *eſſe mulam in urbe grandiorem,*
Quâ Lyppo inequitet, fama publica heic eſt.
Hoc GVLIELMI *credo; credo & iſtud;*

Lyppone ſeſſore hoc deambulante
Non eſſe mulum in urbe grandiorem,
Neque eſſe aſellum in urbe grandiorem.

AD IANVM ANTONIVM BAIFIVM.

MAGNVM *aliquid, ſupraq, Deûm mihi numina dixti,*
Inter Apollinei lúdicra colloquij.
Illane me regem faceret, cui mancipor uni,
Vni cui totum meque meosque dico?
Poſſet, ſi vellet: nollet, ſi poſſet, opinor.
Verùm, ſi neſcis, rex clueo ante domi.
Nemo mihi Cæſar, nemo rex, nemo dynaſtes:
Ipſe unus mihi rex impero, regno, rego;
Non aliis itidem. Si & me regem illa creabit;
An non, ANTONI, jure cluebo Birex?

AD IANVM SVBVRBIVM.

QVEM *toties huc usque onero, jucunde* SVBVRBI,
Vltro mittendis & citro Epiſtolis;
Ne fuge, quidquid id eſt, mihi quantum impendis, opellæ.
SCALIGERO *dederis, quod mihi cumque dabis.*
Noſter amor vivit concluſus in hisce papyris:
Spirat in alterno carmine noſter amor.
Has ſi rettuleris vel ad illum, IANE, *vel ad me;*
Vt reor, iſta tibi parva moleſtiola eſt.
At grave ſi partim fuerit, partimque moleſtum;
Tam tibi cedit honos, quàm tibi cedit onus.

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER SEXTVS.

ERATO.

INGENVOS ERATO *fibris inſpiro calores:*
I procul, illicito quisquis amore flagras.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

INSVLA *te dominam* BRITANNA *libenter adorat,*
Hibernique colunt DIque Deæque ſali:
Cælibe quid REGINA *toro ſine compare vivis,*
Tamque diu vigiæ tempora more trahis?
Lux & vita mea, conjux, mea ſumma voluptas;
Cur, tibi qui placeat, nemo maritus ait?
Myſtica res fatum. Tibi num reperire negatum eſt
Regibus in tantis Cæſaribusque parem?
Vtque parem invenias; virtus tua præterit omnes,
Vt Sol cuncta ſuis ſidera luminibus.
Aut igitur nubas, ſi tibi caſta neceſſe eſt;
Aut fias Cæſar ſponſa pudica tui.
Sic, ut te ſolâ digna es tu ſola, jugalem
Solus erit Genius dignus inire torum.

DE ROSINA.

ROSINA *bella & elegans & aurea eſt,*
Amatque me. non illam amem, & versûs ei
Scribam ipſe bellos, elegantes, aureos?

Digitized by Google

AD ROSINAM.

M El Rosina *merum, merumque mulſus* M;
A *m* A *ns torreor impotente ſi* A *mm* A:
R *oribus* R *oſcis mihi ir* R *iga co* R,
G *uſtu & ſal* G *ama* G *ratiora ver* Ge.
A *h quàm ſuaviter* A *rticâ ſaliv* A
R *oratum rec* R *eatu* R *hocce guttu* R *i*
I *n ipſo v* I *deor favo l* I *quent* I
T *o* T *us nare; tuisque lingua ſen* T *i* T
A *mne undante labris ſcatére mell* A.

Digitized by Google

DE REGINA ET ROSINA.

REGINAM *Veneres ut amant, Eratoque* ROSINAM;
En ego sic Eratô contra amo, ac Veneres.
Oderit hoc Regina Rosinave; quantus hic in me est,
Ipsam ad Reginam totus abibit amor.

DE SVO IN ROSINAM AMORE.

AMARE *honestê, amare castê & integrê,*
Nemini nec ulla lex, nec
Mos ullus interdixit unquam. Quis vetet,
Quo minus meam ROSINAM
Ex corde & animo sic amem, sic ardeam,
Plus ut amplusque nemo
Quisquam potis sit? Dij prohibeant, prohibeat
Ex luto mortale fictum
Genus: supra quàm progredi vires sinant,
Progredi pergam; atque semper
Amabo honestê, amabo castê & integrê
Aureum pectus ROSINÆ.
Quæ vita melior? quæve mors optatior?
Hic amor post fata durat.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

AVT *amat aut odit mulier, nec tertia res est;*
Quàm malè tum odium, tam bene cedit amor.
Sic prope dicendum de Musis esse putarim,
Crimina seu laudes occimuisse velint.
Gloria laudatis, culpatis dedecus hæret:
Vtraque clarescit tibia post genitis.
Qui sapit, hostilem vitabit habere poëtam:

Id docet Hippōnax, id docet Archilochus.
Tu cāras & habes Rosina colisque Camenas;
Ipsæ te redamant, te meritoque colunt.
Vt bene cessit amor nuper vatique tibique:
O Genium! o dictæ principis ingenium!

AD ROSINAM.

SI quid dulce meis inest Camenis,
Si quid suave latet sub hisce chartis,
Jucundumve aliquid; medulla mellis
O ROSINA, *tuum est: tuumque mulsum*
Est, quodcumque Erato mihi propinat:
Tuum est, quidquid Amor mihi ministrat.
Tu das ingenium, facis Minervam.
Absque te siet, ah tuo MELISSO
Nullum est ingenium, Minerva nulla est.

AD THEODORVM CYSSAM.

ANTE tuos vultûs quæ stant tres, CYSSA, *puella*
Virgineas cinctæ flore nitente comas,
Sancta quibus suasit thalamis innubere castis
Et Venus, & sancti frater Amoris Hymen:
Non homines natæ, sed dia propago Dearum est.
Des illis Charitum nomen, erunt Charites.

AD IOANNEM CRATONEM CRAFTHEMIVM.

QVANTVM amem, CRATO, *dilectamque Cyssam,*
Affectu nequit exprimi latente:
Sed verbis tamen exprimi potestur.
Me plus hisce oculis meis, & ipsis

Si quid carius eſt magisque amandum,
Meum diligere atque amare Cyſſam.

AD PETRVM ENOCVM ET ACHILLEM GAVLIVM.

VT geminas aures binosque aptavit ocellos,
Adſimilesque manûs, conſimilesque pedes;
Sic cor & ipſam animam veſtrum Natura duorum
Junxit. utrinque fides par in amore pari.
Alter ab alterius dependet nutibus æquis;
Senſibus & mentes convenienter eünt.
Neútrius alterutrum disſuadet velle voluntas:
Tántaque vos inter, talis amicitia eſt,
Vt dubium ſit, utri primæ cedant ve ſecundæ:
Téne prius GAVLI, *te vel* ENOCE *locem.*
Fallor, an ornandam quum Spartam ſitis adepti,
Vnus erit Pollux, Caſtor & alter erit?

AD IOAN. POSTHIVM.

GRATIA *blanditias mihi ſuppeditare rogata eſt,*
Illecebraſque Erato, deliciaſque Venus;
Qualibus Heſperij & Galli Belgæque fruuntur,
Exhilaraturis gaudia feſta tori:
Gratia blanditiis caruit, caruitque jocoſis
Illecebris Erato, deliciisque Venus:
Abſtulerat prorſum tribus una puella Deabus
Francica ſeu dotes ſeu geniale decus.
Quei lepidê tua feſta canam, ſuaviſſime POSTHI;
Si caream Genio, ſi ſale, ſique jocis?
Aut igitur Blandina mihi ſua dona miniſtret,
Aut ablata Deis munera reſtituat;
Aut potius ſponſo tibi blandimenta reſervet,

Digitized by Google

Cumque pudore jocos, cum Genioque ſales:
Tutemet ut recinas nullis recinenda poëtis.
Cantor Blandinæ blandior ecquis erit?
Carmine quippe tuo POSTHI *(quis neſcit?) & ipſa*
Gratia, & ipſa Erato ſpirat, & ipſa Venus.

AD IOHANNAM PALLANTIAM.

MANE diem portans, rutilis invecta quadrigis,
Laomedontéi Memnonis illa parens,
Admonitrix operum Nabathæo prodit ab ortu;
Purpureum pandens Sole ſequente decus.
Surgis ab occaſu Pallantias altera, virgo,
Præpete Pegaſco vecta Meliſſophilè;
Uſpere fers requiem, colluſtras lampade noctem;
Luna tibi roſeum ſtipat, & aſtra, latus.
Imbuit illa ſuis herbas Aurora pruinis:
Roribus aureſcens tu mea corda rigas.
Vatibus illa ſacris adflat Maruta calorem:
Inſpirare etiam te mihi cerno faces.
Par decor ambabus; ſed in hoc diſcretio mira eſt,
Tu quòd amas juvenem, quodque amat illa ſenem.

EX GRÆCO IOSEPHI SCALIGERI.

Anima & Charon.

A. CHARON, *Charon. C. quis pervicax ſic clamitat?*
A. Amans fidelis, indigens uls trajici.
C. Proh ſortem acerbam! quis manum tibi intulit?
Cædis quis auctor? A. ſævus, o Charon, amor.
C. Aliorſum abito, amaſios non transveho.
A. Tranabo quæſitam (velis, nolis) viam,
Tranabo certè. nam tot inſunt in meo

Adhuc sagittæ corde, guttæ populis,
Vt hinc scapham remumque, & hinc faciam lacum.

DE AMORE.

NIL amor est aliud, si nescis, quàm sine vitâ
Vivere, nil aliud quàm sine morte mori.

EX ITALICO PETRARCHÆ.

FACTVS amans ego sum veluti scopus ille sagittis,
Nix Soli, flammæ cera, vaporque Noto.
Implorantis opem mea vox irraucuit, eheu!
At tibi, LAVRA, mei quantula cura super?
Letifer ex oculis in me tibi transmeat ictus,
Cui remedi confert hora locusve nihil.
De te procedunt solâ (queis mutor, ut hic sim)
Sol, ignis, ventus: reris at ista jocum.
Tela, graves curæ: facies tua, Sol meiis alter:
Est desiderium flamma coruſca tui.
His me pungit Amor, consumit, dissipat armis,
Contra quæ misero nil mihi restat opis.
Verba tua & cantûs, & suavior halitus oris,
Sunt Auster, coram quo mea vita fugit.

EX GALLICO RONSARDI.

INDIGNATVS Amor telis petiisse ROSINAM,
Queis duræ nusquam saucia corda forent;
Liquerat appensam nemoris sub frunde pharétram,
Fetus in hac esset dum generatus apum.
Ictibus egressum jam libertatis amatrix
Fecerat e thecæ mellea turba sinu,
Ornabantque fugam; quum plena examina fundens
E pharetrâ, Nymphæ vertit in ora puer.

Digitized by Google

Protinus exſiluit riſu, bene ſe ratus ulctum,
Lædere quam nunquam noverat arcus iners.
Ætheris at natæ non ſolùm, pungere lentæ,
Non figunt roſeis ſpicula juſſa labris;
Baſia ſed libant, & ab apricante ROSINÆ
Ore legunt flores, eliciuntque favos.

AD IOHANNAM PALLANTIAM.
Acroſtichis.

PALLADIS e cerebro ſata virgo, Tonantis ut illa;
Aonidum caſtis virgo ſacrata choris:
Laurigeri ſpectans oculos atque ora Meliſſi,
Liliolum teneat cur ſua dextra, rogas?
Alba roſa in Franco Junonia pectore mentem,
Nix quâ candidior nulla, latere notat.
Tecta quidem eſt aliis, tibi mens adaperta videtur:
Ingenij clauſo vis ſita corde patet.
Ac velut externis oculis externa; cor iſtud
Sic oculo cordis cernier intus amat.

AD N. C. T.

AVT vera eſt aut ficta tui Clementia amores,
Incita flexanimis, blande poëta, modis.
Illa (refers) obiit. quis credat? obiſſe negatur,
Cuius apud Genium mens rediviva manet.
Ergo tuis vitam moriendo verſibus addit,
Morti ſubtrahitur nec tamen ipſa minus.
Fallor? an inquires CLEMENS *placidiſſime Clemens,*
Quei rear hanc Divam corde vigere tuo?
Haud fuit, haud alia eſt, nec erit Clementia; quàm quæ
Gratia manſuetis ſpirat amica ſonis.
Mitis ut eſt lenisque tuæ clementia mentis,
Idea ſic ficta eſt, ſic ea vera Dea eſt.

Digitized by Google

LVSVS IN CRYSTALLVM.

PECTORE geſtandam mihi dum niveam cryſtallum
Dias mea lux, ſculptam cordis ad effigiem:
Indicium candoris, ais, memorabile noſtri
Hæc ſit, pro caſto pignus amore datum.
Lætus opinabar glaciem, mea vita, futuram
Æſtibus hancce meis lene refrigerium:
Illa ſed heu jecori tantos ignita calores
Sufficit, ut triplo flamma ſit aucta magis.
Credere ſi nolis, chalybi collidito, Vivas
En hinc ſcintillas exſiluiſſe vides!

FRIGORE *cryſtallos gigni glaciêque, vetuſti*
Auctores memorant, Armenioque freto.
Quæ mihi donata eſt, vincens alborc liguſtrum
Atque recens lapſas candida gemma nives,
Hanc nec hiems genuit, nec Caſpia litora talem,
Fervida ſed prunis torruit Ætna ſuis.
Illius usque adó ſum coctus & uſtus ab igne,
Vt cor adhuc rapidas ſentiat igne faces.
Si non mentiris Dionyſi, ſi neque Plini:
Vis lapidis neutri cognita vera fuit.

TE *mihi cryſtallum donaſſe* ROSINA *putaſti:*
Falleris, eſt gemmis res pretioſa magis.
Nam neque cryſtallus, nam nec cryſtallina cordis
Forma, ſed eſt ipſum cor, mea vita, tuum.
Cur niveum? Venus igne ſuo decoxit, ut album
Lacteolis quod alis ſanguen in uberibus.
Cur adamantéo ſilice eſt compactius? arctê
Et ſolidê junctus ſit ſocialis amor.

Digitized by Google

Cuius utrique meris roribus ora madent:
Tam potis est Charitas, Venerem, Venerisque puellum
Sinceris, MASVRI, vincere deliciis;
Quàm tibi non nequeunt tenerum oblectare palatum
Manna, favus, mulsum, nectar, & ambrosia.

FR. AVERLIO MINÆO.

VNITAS, orsus numeri inchoati,
Vnitas medio sine dispare,
Vnitas semper sine fine durans,
Vno perpetuo similis sui,
Æqua progressûs faciens per orbis
Orbitas, spatiosius it, redit
Quàm quis extentam sibi imaginetur:
Ast in se tamen usque recurrere
Visa, terminos sibi quærit ævi,
Sic Amicitiæ irresolubile
Mutuæ filum, digitis quod Horæ
Tres nerunt, Eratûsque sacræ manûs
Quod deaurarunt Diuturnitatis
Obryzo; super astra, super quod his
Altius, tendit, metuens secari
Strictâ forsice lanificæ Deæ.
Staminis tramæque oriens, AVERLI,
ATE PRINCIPIVM, TIBI DESINET.

AD PETRVM TVRNERVM, ANGLVM.

SI QVA tibi nubet, TVRNERE, sit una voluntas,
Vnaque mens, optus, nec minus unus amor.
Ast ego cor solum peto. nil concordius usquam
Vnanimi corde est, quod duo corda ligat.

Digitized by Google

Sicut ames igitur dominari visque cupisque ;
Sic amet & cupiat uxor , idemque velit .

AD N. C. T.

Ah , ah , quàm graviter mea pectora perculsisti ,
Tristem obitum miseræ commemorans animæ !
Verè obitum , Clemens : hanc nam quis vivere dicat ,
Cui parit assiduam luctus amaritiem ?
Certè equidem rigido stantes horrore capillos
Sentio in obstipo concutier capite .
Palpitat heu jecur , & tremit anxifero singultu
Halitus , ob socij prægrave cordolium .
O utinam pennis vel turturis ipse , vel illæ
Prædita remigiis esset hirundineis ;
Eriperes animam stricto de carcere leti ,
Aut tua vita illinc se citò proriperet .
Si moreris luctu (quod abominor) aut tua vita ;
Prorsus & e vivis , imprecor , ipse migrem .
Nam mea sic tecum est mens juncta , ut amoris ob æstum
Nec sine te vivam , nec sine te moriar .

AD ROSINAM.

Esse quid hoc dicam ? solâ mihi noctis in umbrâ
Nec dormire grave est , & vigilare leve est .
An jaceam dulci , mea vita , sopore solutus ,
Insomnesve trahant lumina lassa vices ,
Nescio . te clausis oculis , te cernit apertis
Mens mea , seu vigilem , sive quiete fruar .
Tum simul amplector , simul osculor . ipsa vicissim
Me complexa , meo basia ab ore rapis .
Nunc quoque delicias facere o formosa videris ,
Nunc mihi nescio quas dicere blanditias .

Digitized by Google

Mane ubi languidulis ſopor udus abivit ocellis,
Gaudia deceptus vana fuiſſe queror.
O amor, o curæ, o inania ſomnia noctis,
Pectora quàm variis luditis ægra modis!

AD ANDREAM VOITVM RINECCVM.

QVAS ego fatali ſuccenſus amore ROSINÆ
Vulgò vi teneras, VOITE, ſine igne faces;
Sum rudis illarum planè. mea vita vel unum
Viſa mihi nunquam figere ſuaviolum.
Poſthius expertus Blandinæ conjugis ignes;
Caſta Rudingeri flamma Creüſa fuit.
Felices ambo. felix ego (ſicut amicam
Hic habet, ille habuit) mox & habebo meam.
Id ſuperi faxint. tum ceu compacta ſodales
Vnanimi gerimus pectora trina fide;
Junctæ ibunt unâ Blandina, Roſina, Creüſa
Per triplices mundi, non ſine laude, ſitûs.
Fallor, an ut veteres miratur Roma, novorum
Mirator vatum ſic novus orbis erit?

AD FRANC. AVERLIVM.

SI, quoties nimium telis inſtructus & arcu
Sæva Dionéus vulnera fecit Amor,
Illa eadem fidê mox curarentur ab ipſo;
Vulnera (credè mihi) vulnera nulla forent.
Nulla forent etiam, ſi tacto corde cicatrix
Alternæ fidam mutua ferret opem.
O poſſis, ARCV SANOR Franciſce FIDELI
Dicere; & o poſſim dicere ſanus idem:
Quàm jucunda forent hæc ſpicula, quamque ſalúber
Arcus! at (heu miſeros!) vulnus inane patet.

Digitized by Google

Quisque ſuos patimur, nullis auctoribus, ictûs;
Sauciat & proprium propria plâga jecur.

AD TVRTVREM MAREM.

STANS ſuper impletam lymphâ lucente patellam,
Cernis adumbratam corporis effigiem.
Nec mora; dans crebros iterati verberis ictûs,
Rivalem roſtro, Turtur anhele, petis.
Falleris, an te Zelotypum veſania cœpit
Ardentem caſto comparis igne tuæ?
Abſit, ut aut undâ fallare, aut æmula fellis
Te coquat ira. at cur non potes hocce pati?
Non umbræ ſpeciem modò, ſed multo minus ipſam
Vmbram Zelotypi mens pia ferre nequit.

DONAT ROSINAM AMETHYSTO.

AMETHYSTINI colores
Perhibentur eſſe amantum:
Amethyſtinis amicti,
Perhibemur ambo amantes.
Adamato me ROSINA,
Adamabo te viciſſim:
Et ut hic amor ſit æquus,
Et in æquitate firmus,
Sibi mutuusque parque;
Amethyſtinum lapillum
Tereti annulo eminentem
Tibi dono geſtitandum.
Violaceüm colorem
Violare nulla poſſit
Macula; aureüsque cyclus
Chalybis perennitatem

Digitized by Google

Adamantinique vincli
Solido tenore præstet.
Quid enim tibi placere
Magis æstimem, ROSINA,
Nisi conjugalis index
Amethystus est amoris?

AD FRANCISCVM GALENIVM.

MVTVVS *ignotos inter persæpe velvno*
Intuitu saltem conciliatur amor.
Sic duce naturâ bonitas tua, care GALENI,
Sponte suâ rapitur pectus amare meum.
Nil simulans, nil dissimulans, profiteris apertè
Quàm tibi sim cordi, quàm tibi carus ego.
Semper & exoptas (toleret modò res ve locus ve)
Adspectuque meo colloquioque frui.
Ah! taceamne animum talem, tam pectus amicum?
Hoc, faxo, norint postera sæcla caput.
Quum me, ceu natum, tanto amplectaris amore;
Dispeream, nisi te jam vice patris amem.

AD IVSTVM REVSBERVM IC.

APRILES *ubi luxerint calendæ,*
Invectæ Veneri sacris columbis;
Quem nosti bene, quem probè experiris,
Arcanos Eratûs suæ sodalis
Tandem vult aperire cogitatûs.
Audies tibi vera confitentem:
Tu rem consiliumque subministra
Consultissime præses æquitatis,
Et justissime IVSTE, *justiorum*
Astræa ataue Themistyos sacerdos,

Digitized by Google

Hæc confeßio clam palamve in aurem
Nunciabitur, arbitris remotis:
At quæ non eget abſolutione
Ceu quoddam ob ſcelus impiê patratum;
Sed tantum indiget inchoatione
Ob quoddam facinus piê patrandum.

AD IO. POSTHIUM.

SOBRIVS *ebriolo, quem ſomnus habebat, Amori*
Arcumque & pharetram télaque ſurpueram.
Quâ ſuper innixus fundâ puer ille cubabat,
Arreptam GEMMA *munit Acidaliâ.*
Hanc tereti jactu rotat in mea pectora torquens:
Per medium penitras jacte Pyrope jecur.
Eximere hanc GEMMAM *chirurgus corde laboras,*
Sed nova mi læſo vulnera corde facis.
Ferre cicatricem malim, quàm vulnera, POSTHI:
Commoda neſcio quæ grata Pyropus habet.
Si puer in tantum ferit ebrius atque ſoporus:
Proh, quantum feriet ſobrius atque vigil!

AD IO. HENRICVM HAINZELIVM.

AH *quid, amicitiæ vacuum referaris in album,*
Tanto cum ſtudio tot precibuſque rogas?
Scripta forent inibi tua nomina; fallor, an iſtinc
Raderet inſcriptas veſtra litura notas?
Vtile nempe procum vulgus nunc ambit. honeſto
Arrogat extremum prima repulſa locum.
Notitiam pete ſummatum. nihil infimus ordo,
Qualis hic eſt noſter, commoditatis habet.
Erras HÆNZELI, *ſi quid niſi inane potiri*
Et dignum

Et dignum cerâ Cérite munus aves.
An juvat hic error, ubi amici plenior heres
Occupet in vacuis súmmaque & ima locis?
Haud niger es. nomen potes huic dare candidus albo:
Damnat carbones candida creta nigros.

AD FORTVNATVM GRELLIVM.

CONSILIVM *petis in ducendâ conjuge noſtrum:*
Eutyche Fortunam conſule rite tuam.
Quod tibi deſponſum cupies, ſapienter oportet
Deligere in primis, poſtmodo diligere.
Fruſtra amor eſt omnis, quem non ratio æqua gubernet:
Fruſtra ambis, Veneris ni bene ſidus eat.

AD PETRVM ENOCVM.

TOTAS *perdere negligenter horas,*
Totas ſomnia cogitare luces,
Totas frivola ſomniare noctes,
Totas vana inhiare ſeptimanas,
Totos circumagi furore menſes,
Totos angier impotenter annos,
Totum transigere oſcitanter ævum
Cunctis temporibus ſolent amantes,
Pudicê licet ambiant pudicas.
Hora amiſſa recuſat huc reverti:
Lux noctem fore ait benigniorem,
Nox lucem fore liberaliorem:
Septimana lucri nihil reportat,
Menſis congeminat meros calores,
Annus multiplicat graves dolores:
Ævum frangitur & dolore & æſtu.

Digitized by Google

Quid tandem sit, amice? vah! amanti
Omnis spes dubia est, metusque certus.

AD IOAN. LAVTERBACHIVM.

O STOLIDVM, ô fatuum, quisquis pernoscere tentat
Ex aliqueis, quæ sit nostra ROSINA, *notis!*
Illam ego vix novi. soper hanc objecit ocellis
Effigie pictam. quàm prope corpus abest,
Quamve procul? ficti simulacri cultor ab illo
Exstitit hic animus tempore, & exstat adhuc.
Quid, nisi prægnantis conceptu mentis inani
Gignitur umbra mei? nil parit inde sui.
Stultitiâ sapiente fruor, sub imagine; quanquam
Núllius amenti mens in amore sapit.
Atque hoc est, LAVTERBACHI, *quo redditur extra*
Vulgus, ut hanc speciem nónnihil esse putet.
Credis, an addubitas? o quàm mentita ROSINA
Ex variis atomis eidea facta mea est!

AD PETRVM BOSCHIVM.

NESCIO *quid sit amor. nec amo, nec amor, nec amatus*
Sum nec amatus ego; sed nec amandus ero.
Cogar amare tamen? quid amem, nisi amanda ROSINA
Lumina, flammiferis æmula sideribus?
Aſt ubi sunt ea, PETRE? *nitent ubi lumina? nusquam;*
Ipsamet ut nusquam est, núllaque forsan erit.
Ingenij specimen finxi, quod amœna figurat
Eidea: nam cerebro nata ROSINA *meo est.*
Vivat in æternum Schediis inserta libellis,
Nomen & a memori posteritate ferat.
Quis mihi par opifex; quicquam discentis amare
Pectora condoceam, nescio quid sit amor?

Digitized by Google

AD ROSINAM.

CASTA, pudica, proba es, similisque per omnia Veſtæ,
Flos cui perpetuâ virginitate viget.
Induis hinc æquos matronæ pronuba mores,
Noſtra vice eſt caræ dum tibi Muſa nurûs.
Vt genitrix natum blandis amplectitur ulnis,
Amplexu fruitur ſic Cycnus hicce tuo:
Me colis ut, patrem; nec amas non conjugis inſtar?
Diligis ut fratrem. tam ſtudioſa mei es!
Magnus amor meritis. Mihi non vocitere ROSINA
Diva, ſocrus, mater, filia, nupta, ſoror?

AD POLLIONEM.

POLLIO, prudenter qui res ordiris honeſtas,
Conſilio cœptas & ſapiente geris:
Jam tres ſtultitiæ, quæſito fine carentes,
Mentis fruſtrarunt orſa animoſa tuæ.
Deſperesne ideò, ſpes inconceſſa procantis
Amenti fuerit fomes amore licet?
Dura negat tibi (nec mirum) Lithodendra dicari
Propria; & hoc aliis illa negavit idem.
Arbor in aſtra ferens caput, haud cadit ictibus unis:
Altera, ſi fracta eſt una, bipennis eat;
Tertia item. cos dura hebeti eſt adhibenda puella:
Hanc acue, e durâ reddita mollis erit.

AD ROSINAM.

INDITA naturæ ſervant res ſemina rerum,
Vimque ſibi propriam quæque creata tenent:
Sic tamen, ut ſuccis ne deſtituantur opimis,
Neve alimenta rei quis genuina neget.

Digitized by Google

Fons ſine venarum ſcatebris citò torridus aret,
Et ſine fomento languida flamma perit.
Vnde meæ flammæ vigor? unde fletibus humor?
Triſtis ocellorum pupula delicuit,
Tot lacrimis effleta meis: & pulveris inſtar
Annis exuſtum quinque decemque cor eſt.
Perpetuo tamen (ah! quei fit, ROSA *candida?) manant*
Ex corde hoc ignes, ex oculis lacrimæ.

AD ANDREAM MERGILETVM. DE ROSINA.

CLARA *per Europæ claras viget ac volat urbes*
Carmine fictitio dicta ROSINA *mihi.*
Hanc ego nec novi, nec vidi. quæ tamen illa
Sit, multi quærunt; me vocitantque procum.
Sum procus hebdomadas totas. nox feſta propinquet,
Dormio non geminus, núptaque nulla mihi eſt.
Fabricat idólum ſibi mens, & numen inane:
Et ſimulat ſpeciem picta figura ſui.
Sic ludo Veneres, & amantis imaginor umbras.
Vmbras & Veneres lector Etruſcus amat.
Craſſius ingenium quibus eſt, vera omnia credunt,
Credenda auctoris quæ negat ipſa fides.
MERGILLETE, *nihil ſum ego, nilque* ROSINA. *ſcio*
Fallo meo nihilo, fallit ut ipſa ſuo. [*omnes*

AD ROSINAM.

O NIL *jucundum, nil dulce & ſuave* ROSINA,
Sidera contingens jam per inane volas.
Ex te feci aliquid, ſolam feci omnia; feci
Te quidquid potui lux mea, nullus ego.
Mortua me leto objiceres, niſi mortuus eſſem

Digitized by Google

Antè. ſed eſt letum nunc mea vita tuum.
Sæpius o utinam moriare, nihilque moreris
Hanc vitam, morti (proh) nihil abſimilem.
Verſibus occidi te, vita, & carmine multo:
Verſibus & multo carmine vive tamen,
Vive ROSINA *tamen, quæ nil es, & omnia ſola es;*
Et nihilo cunctos unica falle tuo.

AD IANVM MATTHÆVM VAQVERIVM.

NEC *ſimilis nec par aliorum noſter amorum*
Eſt amor, in caſtam qui flagrat usque RHODEN.
Caldior eſt quanto ſtellis Titania lampas,
Tam reliquo differt ignis ab igne meüs.
Quei ſic? cæcus amans olim vel amat, vel amavit,
Quod videt aut vidit, quod datur eſtve datum
Noſſe, ego nec vidi, nec novi cumque ROSINAM;
Quippe nec audivi, ſitne quid, id quod amo.
Talis amor cordi eſt mihi, CONSTANTINE; *licebit*
Arguar imprudens aut furibundus homo.
O ſanum caput & ſollers, ubi regna capeßit
Stultitia hæc ſapiens, innocuusque furor!

AD ROSINAM.

SI *tu, ſicut ego, flagras amore;*
Si tui memor eſt Venus meique;
Si tibi eſt amor hic mihîque cordi;
Si te ſigna docent trahuntque, ceu me;
Si te ſpero frui, ipſa me potiri:
Ah cur non, mea tu, petitionem
Mutuam, ſine quâ perimus, imples?
Nam me aves frui, & ipſe te potiri;

Digitized by Google

Nam me ſigna trahunt docentque, ceu te;
Nam mihi eſt amor hic tibîque cordi;
Nam mei Venus eſt memor tuique;
Namque ego, velut ipſa, amore flagro.
Κρεῖαττον δ' ἐσὶ ϛαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι.

[redacted].

TOTA *animâ, totoque animo dum ménteque totâ,*
Vi totâ, & totis denique pectoribus
Ardeo amoque meam, ceu par eſt lege, ROSINAM:
Langueo, & in Mortis limine deſtituor.
Sed plusquàm totis cum mentis viribus imæ,
Toto animo, toto pectore, totâ animâ
Ardeo amoque meüm, cui nil præpono, IEHOVAM:
Firmor, & in vitæ cardine conſtituor.
Quàm mira eſt vitæ & mortis conjunctio, DOVSA!
Quantum amor inque homines diſcrepat inque Deum!
Si facio, quod nec poſſum, quod nec ſcio; vivo:
Sin ago, quod novi, quodve queo; morior.

COR OFFERT ROSINÆ.

QVID *tibi diſcedens, niſi cor, cor amabile, donem?*
Accipe ſervitiis debita dona tuis.
Ni capias; nunquam certê nulla altera (ocellos
Juro tuos) cui pars tantula cedat, erit.
Jam micat exſultim, noſtro de pectore migrans;
Sentio enim: vitæ nec timet ecce meæ.
Vt tibi ſe dedat, pellectum ait eſſe, ROSINA,
Tam radiante hilaris luminis orbe tui.
Si procul arcueris, redeat vero pectus in iſtud;
Vt cui planê odio eſt, quidquid amare nequis.
Eruſtra mi referet acceptam triſte repulſam;

Digitized by Google

Fruſtra mi referet conſcia damna ſua.
Namque meum quanquam eſt, meum erit non amplius.
Nolo videre hilum, quod tibi diſpliceat. [*In me*

EX GALLICO STEPHANI IODELLI.

VIVEBAM. *morior. membrorum corque meorum*
Quondam rex, aliis partibus hoſpes agit.
Cor mihi redde precor, ſi vis me vivere porró,
Vita; eiusve loco cor mihi redde tuum,
Sic mihi me reddes, ſic te tibi. ſic & amanti
Qui ſoli atque uni vincula nectit amor,
Nectet utrique. aliâs geminum rigor iſte creabit
Damnum. nam perdes me, fera, teque ſimul.
Me, nimis ardentem; te, quæ nullius amoris
Igne tepens, odio tete habuiſſe voles.
At ſua ſi poſthac culpa exprobretur utrique;
Mi, qui amo te nimium; dein tibi, quæ nimium
Odiſti me: pol tanto tibi grandius iſtoc
Crimen erit, quanto eſt peius amore odium.

IMPOTENTIA AMORIS.

RESTINCTVRVS *aquis ingentes pectoris æſtûs,*
Aut animam pelago mergere pronus eram;
Aut ſedaturus decumanos pectore fluctûs,
In flammas Ætnæ me dare præcipitem.
Sed potis haud pelagus curare, nec Ætna, quod opto:
Abſorpti curis illud & illa forent.
Oceano maior decuplo cor verberas unda,
Ignis & ætherio grandior igne flagrat.
Neutrius alterutram vis vim compeſcere vi quit:

Trux Aquilo tantum robur utrisque dedit.
Æstuo, nec possum comburier æstibus hisce;
Fluctuo, nec mergi fluctibus hisce queo.
O ignes, ipsi has flammas existinguite flammis!
O undæ, hos fluctûs fluctibus obruite!

AD ZOPYRVM.

PROPOSITÆ *mortes geminæ obversantur amanti:*
Mortis in electu, ZOPYRE, *parva mora est.*
Aut metus in saxum rigidum me vertat oportet,
Aut tacita approperent gaudia deliquium.
Mitius hoc illo est, aies, hoc durius illud.
Ne vivam, nisi res sit dubiosa, mori.
Lætitiâ tamen id differre metuque, probarim:
Non in utroque etenim mortis idem genus est.
Præfero lætitiâ solvi: metus accidat hosti.
Fusius hæc letat, strictius ille necat.

AD PHILOMVSVM.

EN *ego sum talis* PHILOMVSE, *en talis & ipse es,*
Talis ut inter nos crescere possit amor,
Qualem ego nũquam habui, qualem & tu candide nam
Tu tamen ipse fores maior, ego ipse minor. [quam.
Ac quanto minus obstringas tu te mihi, tanto
Nunc magis obstrictis obliger ipse tibi.
Irresolubilibus vinclis implexus utrinque
Firmior hærebit nodus amicitiæ.
Ast abeo. sed quo me longius Itala vestris
Corpore semoto dividit ora plagis,
Hoc propior mens est tibi. mens bene credita amicis
Nunquam deposito fallitur ipsa suo.

Digitized by Google

AD IOAN. PHILIPPVM GELZERVM.

SIC, *ubi mutatâ veterum regione Penatum*
Incola forte novis ſacra facit Laribus,
Haud celer antiquos ſit permutare ſodales;
Quamquam multa recens turba fidelis adeſt.
De me quid ſtatues, quem tu (niſi fallor) amicum
Nec poteris veterem nec vocitare novum?
Sim novus? eſſe velim vetus, o GELZERE. *Vetuſtas*
Rebus in eximiis plus gravitatis habet.

AD CASP. CROPACIVM.

MVTVVS *a puero qui cœpit in urbe Cycnéa,*
Noſter amor jam ſex durat olympiadas.
Huic neque res adverſa vices mutata priores
Obfuit, aut variis ſors vaga turbinibus;
Perfida nec Martis ludibria, longave noſtris
(Vt procul a patriâ!) regna dirempta locis.
Nunc arces Venetas, & celſæ mœnia Romæ,
Et pulchram properans viſere Parthenopen;
Pectore te geſto mecum, jucunde CROPACI;
Vt fallas Italæ tædia dura viæ.
Tædia cur dixi? pol, nil non per mihi gratum eſt,
Sola vel occurſet nominis umbra tui.
Sarcina onusque iter eſt grave. ſarcina dulcis, onusque
Suave meïs Theſeus, qui leve reddit iter.

AD IOAN. HENRICVM HAINZELIVM.

REM *præſtare magis quàm compromittere verbis,*
Pectoris o nivei cura fidelis, aves.

Digitized by Google

O si posset idem meus in te candidus ardor,
Quot vellem & quantis te cumulare bonis!
Paucis nunc animum testantia signa relinquo,
Signa per æternos haud violanda dies.
Sauliadæ mentem Iesseo qualis alumno
Plusquàm fraterno fœdere junxit amor;
HÆNZELIO *me talis amor conjunget in ævum.*
Quisquis & hoc norit, dixerit ille quater:
Suavius in terris nihil est, quàm fidus amicus;
Alter ubi alterius viva anima est anima.

AD FR. PORTVM CRETENSEM.

SALVE PORTE. *sonumne tui sentiscis amici,*
Dilectæque notas dextera signa manûs?
Annuus Euganeis hospes dum versor in oris,
Interdumque Aponi lustro calentis aquas;
Signa tuæ o utinam liceat mihi cernere dextræ,
Atque haurire tui mellea verba labri:
Quid fore censuerim mihi vel jucundius usquam,
Vel magis acceptum, vel quid amabilius?
Basio nunc absens absentem; deque Melanno
Heu toties frustra plurima dicta cadunt.
Perpetuum est quod amo. quod amas, te semper amabo;
Mutuus alternis nec minuetur amor.
Vivam in amore tui moriarque. Ab amore profecta
Duplice non fallunt oscula. PORTE *vale.*

IN LIBELLVM SODALITII.

QVOS *amor & pietas, & honesti sancta cupido,*
Et similis morum vult tenor usque coli,
Exiguus magnos liber hic obsignat amicos,

Digitized by Google

Pectus eorumdem pectore gesto meo.
Jus in amicitiæ violarit fœdere ruptor,
Nec mihi sit Theseus, nec mihi Pirithous.
Sed nec verus amor temerari impune veretur,
Vincula nec solvit religiosa fides.
Junctius in regno fideique & amoris honesto
An norint aliud sæcula conjugium?

AD IANVM MATTHÆVM VAQVERIVM.

PARTHENOPE genitrix Sirenum dum tibi longam
Imperitat, Romæ me latitante, moram;
Hei mihi, quòd totâ nil quo juver adsit in urbe,
Roma ferè & Romæ clamet habere nihil!
Ah totum quod adest, nihil est. quod abest, mihi totum
Si pereo ob totum, nil mihi præstet opem? [est.
Tu mihi CONSTANTINE *venis Capitolium, & ingens*
Roma; absens, præsens sis, ubicumque velis.
Cerne animo hunc animum. Romæ te comparo celsæ,
Noris ut hic quanto celsior exstet amor.

AD IOACHIMVM ALRAMERVM.

QVAM mihi fraternè fueris ALRAMERE *præstò,*
Cum peterem titulis nomina digna meis;
Post genitis non testatum cum laude relinquam,
Ne meriti lateat fama sepulta tui?
Par ut amicorum meruit memorabile laudem,
Quos referunt Graiæ scripta diserta manûs;
Pectora sic geminæ fato concordia mentis
Tempus in æternum charta loquetur anus.
Ergo lubens Xenij vice binos accipe fratres;
Accipe, & hos pretij non levis esse puta.

O quanto contenta ſapit mens, quando ſit una
Pars animi Theſeus, altera Peritho-us!

AD MANES FR. PETRARCHÆ.

LVSTRA *quatuor unicamque meſſem*
maſti ingenuê PETRARCHA LAVRAM;
Sed quam cernere ſat ſuperque quiſti.
Luſtra quattuor ampliusque jam nunc
Amavit Schedius ſuam ROSINAM;
Sed quæ cernier impetrata nunquam.
Vtri mitior adfuit Dione?
Vtri fortius imperat Cupído?

AD IAC. RANDOLPHVM ANGLVM.

VIXIMVS *unanimes tectis* RANDVLPHE *ſub iisdem*
Excepitque eadem menſa ſine arte duos;
Miſcuimusque ſimul jucundos ſæpe lepóres,
Mellitosque ſales, nectareosque jocos.
Quæ reminiſcendo Patavinæ in mœnibus urbis
Non poſſum gentem non adamare tuam.
PENNIVS & TVRNERVS *idem quit dicere de me,*
Quâ Thameſis liquido regius amne fluit:
Ipſa nec illuſtris SYDNEI *muta voluntas*
Arguerit linguæ dona ſepulta ſuæ.
Sit porró maneatque eadem mens. Mentibus unâ
Theſei confirmant Pirithooque fidem.

AD IO. BAPTISTAM HAINZELIVM BAPTISTÆ F.

COMPARIS *ut* BAPTISTA *tua nigra lumina vidi,*
Lumina formoſis cincta ſupercilijs;

Digitized by Google

Et faciem pulchram, minio quæ certet Eoo;
In quâ fucati nil manus uncta linit:
Verê equidem Venerem me cernere sum ratus ipsam.
Ac Venus hæc certê est, aut mage quàm Venus est.
Vt neget ipsa, neges & tu: tamen illa marito
Est Venus, inque oculis mille gerit Veneres.

AD IOAN. FRIDERICVM HAINZELIVM.

VNDE fit, oris honos ut formaque pulchra Mari
Tam similis formæ sit FRIDERICE *tuæ?*
Tam similes estis, quàm si (res mira!) vel illi
Ipse fores frater, vel soror illa tibi.
Non pomam pomo, non ovum juppiter ovo
Tam simile, aut stellæ stella, roseque rosa:
Nec referunt virides ita grata sisymbria mentæ,
Candidus aut anser candida terga cycni.
O par conjugium! Mores in utroque & amores
Cernit uterque suos, ardet uterque suos.

AD ROSINAM.

EN albescentes circum sua tempora canos
Vir tuus ex siccâ rettulit Italiâ.
Viximus adflicti curis vitæque periclis,
Viximus in summo casta ROSINA *metu;*
Non scelere aut noxâ, nec quòd sibi conscia iniqui,
Mens oblîta sui palluit ausa nefas;
Namque pudicitiam & castæ servavimus usque
Indelibatas integritatis opes:
Sed mala proditio, sed dira calumnia tutos
Illic Germanis non sinit ire dies.
Tu tamen o ne sperne tuum pudibunda maritum;

Sparsit hiems crines; ver mihi flore viget.
Id facis exemplo. Tithónum Aurora senentem
Et Venus Anchisen candida amare solet.

AD IOACH. POEMERIVM.

QVI latet interno amborum sub pectore, verax
Quando amor externas poscit habere notas;
Accipe, Pœmeriæ o columen spectabile gentis,
Autographum Schediæ, mi IOACHIME, *mani.*
Illa mei precor admoneat non te modò, verùm
Et natum, & nato si qua propago super;
Deinde etiam reliquos, ad quos Schedisamata nostra
Post longas venient Noridum olympiadas.
Germen amicitiæ dulce est; sed dulcior ipse
Fructus. ter felix, quem satur usus alit.

AD BARNABAM POEMERIVM IOACHIMI F.

QVOD cum mente tui patris intercedit honesta
Suave mihi in primis fœdus amicitiæ,
Illud ego æternos studeo transmittere in annos;
Res herede suo ne pretiosa vacet.
BARNABA *promeritis heres succede paternis,*
Et virtute tuum nomen ad astra vehe.
Ecquid enim est natis antiquius, atque parentum
Cernere possessi jura relicta boni?

AD WILIBALDVM GEBHARTVM IVRISC.

ANNVA *lux hodie læto remeavit Eoo,*
Tempestiva ferens nominis orsa tui.
Te BILIBALDE *ligant Charitum tria vincula, itemque*

Digitized by Google

Nodus amicitiæ te BILIBALDE *ligat.*
Huic nodo, his vinclis veri adſtringuntur amici;
Quorum pars Sophiam, pars colit Aonidas:
Si Sophiam colis aut Muſas; monſtrabis amicis,
Quantus honos Charitum, quantus amicitiæ.

AD MYLOTHRVM.

Quæ tibi debuimus, divina poëmata CYSSÆ
Accipe, & his lectis paſce MYLOTHRE *animum.*
Paſce animum atque oculos, jucunde Mylóthre; tuoque
Dic nato hæc magnâ ſedulitate legat.
Rectius hic nuus ſentit, melióraque fatur,
Quàm gens futilium tota Mataeologûm.
Oderit hunc vatem livor malus, oderit Ate:
Noſter in hunc nunquam deminuetur amor.
Nam qui me fratrem, nam qui me appellat amicum;
Non cum illo ut frater, non ut amicus agam?

AD IOACHIMVM POEMERIVM SENAT. NOR.

Poemeriæ IOACHIME *decus memorabile gentis,*
Quem Pallas doctis artibus eruditt;
Cognatus fac noſtra tuus, cum legeris ipſe,
(Huius enim laudi eſt laus tua juncta) legas?
Meque, quod antè facis, ſic complectare favore,
Vt nihil inceptam ſolvat amicitiam.
Sic tibi, dilectâ cum conjuge, filia ſoſpes
Sit, flos virginei pulchra MARILLA *thori.*
Ecquid enim eſt animis ſimili conjunctius arte?
Ecquid inhumani mens generoſa parit?
Quos Charites Muſæque pari dignantur amore,
Núllius hos livor ſeparat invidiæ.

Digitized by Google

AD SEBALDVM WELSERVM.

IS hinc, anne manes? fieri pote tam citò, pactam
Vt Nympham ſolam deſtituiſſe velis?
Tam citò conſpectu privabitur illa cupito,
Lucis egens? is hinc, anne SEBALDE *manes?*
Certum eſt ire, tui qui nominis advehit ortum,
Vix exſpectato, dum nitet aura, die.
Conſtrictum vinclis teneo tamen, atque tenebo,
Dum lucis redimas annua jura tuæ.
Corpore abis, animumque tuæ devote relinquis
Sponſæ. quid reliquum eſt, me penes, euge tui?
MAGDALIS *integro potietur. mi ſatis umbræ*
Particula eſt, initæ teſtis amicitiæ.
Si Pyladi dare plura voles, age divide mentem:
Firmius in gemino pectore mens habitat.

AD NICOLAVM ROTEN-GATTERVM.

QVÆ NICOLAE *lux tibi ſollennior,*
Emenſa tempus annuum,
Redit per orbem; fauſta ſit precor tuæ
Sorti, tuæque proſpera
Felixque conſorti. ligaris ſcilicet
Vinctis Iambi nexibus.
Oblitus, o amice, ſis mei cave,
Cum pignere hos redemeris.
Quos dico, noſti. cetcróquin mutui
Sólves amoris vincula.
Sed ante quàm contingat iſtud, imprimam
Tuo ſigillum pectori,
Ipsâque re firmabo fœderis fidem;

Quam

Digitized by Google

Quam nulla vis, nullus dies
Infringat unquam. Quid perennius ſacram
Amoris æternet fidem?

AD [redacted].

In te ipſo defunctus eras, & lumine caſſus,
Dum Venus heredem diſtulit ægra marem.
Ex quo ſana tibi prolem dedit, ecce revixti:
Famque novæ veſci munere lucis amas.
Parvulus o quanto tibi natus ERASMVS *amori!*
Quanta tuum exhilarant gaudia nata jecur!
Fallimur, an, jam nunc ego ſum mihi Paule renatus,
Dices? nunc demum vivere diſco ſenex.
Hercle quidem, POSTHI. *propria hæc tibi ſit precor usque*
Vita, tuoque idem propria filiolo.
Ecquid habes unquam melius ſperare, ſuperſtes
Si pater in nato, ſi in patre natus erit?

AD TITVM LAVRENTIVM FRECHTVM.

Iam prope finito conventu terminus inſtat,
E Suevâ redies cum regione domum.
Quos tibi complexûs dabit, & quæ baſia conjux,
Orba diu vultu FRECHTE *animoſe tuo!*
Me quoque detinuit longis ambagibus actum
Aula reſolvendis illico rebus iners.
Nemo revertenti quisquam mihi Norica ad arva
Gratos complexûs, oſcula grata feret.
Si qua tamen noſtros illic ſuſpiret amores,
Illa ſit ingenio digna puella meo.
Triſte mora eſt. tamen hæc ſi compenſetur amore,
Tardanti pretium dulce in amore mora eſt.

Digitized by Google

AD CHARILAVM.

ADSPICE *sectantem placidè vestigia cervam,*
Dum petimus fossas urbis, & amnis aquam.
En latere a nostro [illegible] dimovet illa,
Rectam continuans ire redire viam.
Ominis hoc dextri indicium, Charilaë. ROSINÆ
Inter vadendum mentio facta meæ est.
An non auricomam (quæcumque erit illa) Rosinam
Sponte sequuturam mutua vota putas?

AD ROSINAM.

ERRO *per Europam viginti quattuor annos:*
Quæsivi faciem bella ROSINA *tuam:*
Sicubi anhelanti ferres vestigia cursu
Obvia per tritas conspicienda vias.
Frustra operam sumpsi, frustra maris æquor aravi;
Frustra adij Eoas Hesperiasque plagas.
Et tamen ingenti jecur estur amore, nec unquam
Vrere me rapido languït igne puer.
Depereo ignotam. quid si mihi nota fuisses
Antè, vel ipsa mihi visa ROSINA *semel?*
Heu duram sortem! nihil est, quod amastis amantes.
Qui nec visam amet, an par mihi amator erit?

AD ANNAM PALLANTIAM.

CVM *vigil in studiis adolesceret illa* IOHANNA:
De Pallanteæ sanguine nata domûs,
Non potui talem non verè adamare puellam,
Declarans animum carmine sæpe meum.
Illi defunctæ succesti nobilis ANNA,
Mutas efficiens versibus Aonidas.

Digitized by Google

In te translatum si derivamus amorem,
Et desiderio ducimur usque tui:
Simne odio, qui te, tantas admiror & artes;
Ingenio sedem quæ posuere tuo?
Dij meliora. Favor, conditus melle placenti,
Nullam odij ingratam sentit amaritiem.

VIRGO es casta, decens, niveoque simillima flori,
Esque novem castis dedita virginibus.
Te Phœbus, te Pallas amat, te Gratia triplex,
Te Nymphæ reliquæ, Castaliusque chorus.
Iidem me quoque amant: nam vitam puriter egi,
Et cavi incestis moribus esse nocens.
Tu quoque tu nostrum non fastidibis amorem,
O Pallantiadûm regia progenies.
Virgineæ cum se Musæ patiantur amari;
Virgineus cur a me procul absit amor?

ACROSTICIS.

AONIDVM *Charithumque sacræ, cui vincor, alumnæ,*
N umina quam Latios edocuere modos,
Nilne Melisse tuâ depromis ab arte legendum,
A usonios æquet quod Schediasma sonos?
Pallas ait. contra dubius sic ora resolvi:
A n quid erit, quod ei posse placere putem?
Ludicra sunt, quæ scribo; nihil facientia prorsus
A d tam facundæ labra diserta Deæ.
Ne tamen hanc tenuem PALLANTIA *docta Minervam*
T emne; sed extremo prima repone loco.
Ingenio vates tibi cedimus. Vna vel omnes
A nteis Aonides, exsuperas Charites.

NIL ego *fuſpicio*, PALLANTIA, *& æſtimo magni*,
Quod non divinam vim ſpeciemque refert.
Tanto igitur pluris mihi fis, doctiſſima, quanto
Maius divini eſt pectoris indicium.
Magnus honeſtarum rerum ſum ſemper amator:
Nonne idem ipſe tui magnus amator ero?

ACROSTICHIS.

A MO *te, & dehinc amabo,*
N *iſi me vetes amare.*
N *iſi te ſinas amari,*
A *mor hicce quantum amari*
P *ariet meis medullis,*
A *nimoque quantum acerbi!*
L *icet ergo des medullis*
A *nimoque acerba, amara,*
N *eque te ſinas amari:*
T *amen haud puto vetabis,*
I *ta quin, amica, dicam;*
A *mo te, & dehinc amabo.*

AD MELCHIOREM LEVCORINVM

TV *licet ex te ipſo dudum ſis dignus amari,*
Stemmate Leucoreæ MELCHIOR *orte domûs;*
Lotichij tamen illa vetus, vetus illaque Poſthi,
Ambobus quæ te junxit, amicitia
Non faciat, canos ut devenerentur honoros,
Florida queis vatis Muſa utriusque placet?
Mi certè in pretio ſunt. at pretioſius hoc eſt,
Quòd tuus a me ſe non alienat amor.
Nempe loco datur hoc, in quo olim vixit uterque,

Digitized by Google

Æternis modulans carmina digna cedris.
Quid mirum est, vatum non aversatus honorem
Si Genius Genio junctior esse cupit?

AD IOAN. POSTHIVM. DO. ERASMO ILLIVS F.

Me primum ut blandis adspexit ERASMVS *ocellis,*
Vix anni spatium filiolus superans;
Ridet, & ignotum adfari titubante labello
Gestit, & e cunis posse salire cupit.
Discedentem idem manibus totoque sequutus
Corde, voluntatis dat bona signa suæ.
Quo me prosequeris, POSTHI *carissime frater,*
Jam vivax suboli est ingeneratus amor.
Quanta ea naturæ vis est, cum & mutus & infans
Appetat æternam vatis amicitiam?

AD ERASMVM POSTHIVM, IOHANNIS F.

RARE puelle, mei proles certissima POSTHI,
Jam mores imitans comis ERASME *patris;*
Quis tibi me Genius manifesto prodidit ore,
Gestibus absceßûs ut sequerere meos?
Indolis admirer generosæ arcana necesse est,
Quæ sibi me tacito rapserit aucupio.
Vive puelle diu, cordis furuncule vive;
Et Charitum donis suavibus usque vige.
O quantum natura potest! Adolêris ERASME,
Quàm sanctê fidei fœdera avita coles!

DE IANI GVLIELMII POEMATIS.

VIDERAT ipsa Erato, nec solùm viderat ipsa

Digitized by Google

Argutias poëmatum GVLIELMI,
Verùm etiam adsiduê perlegerat; utpote priscis
Locutione æquabili certantia,
Præter Phœnissas, e Græco Epigrammata versa,
Lusûs Amoris, atque Anacreontica
Rore favisque apium mage dulcia, sacchareque ipso.
Mox obstupescens infit illa talibus:
Aut anima Eumolpi redit, aut (credite Musæ)
Eumolpus ipse, aut unus ex Eumolpidis.

APOLLO
AD IANVM GVLIELMIVM.

RETTVLIT *ad nostras*, GVLIELMI *culte*, *sorores*
Aonio cœtu non ultima cura Melissus,
Quem caperes deinceps grati cognominis usum.
Vtro te citroque inter nos pensiculatâ,
Pulchræ lata Eratûs placuit sententia cunctis,
Arbitrio acceptanda tuo, firmándaque docto
Cármine. nam quoniam es Latij non inscius oris,
Et Graiûm calles abstrusa Poëmata vatum;
Palladis adsensu debinc porró EVMOLPIVS *esto.*

MINERVA
IANO GVLIELMIO EVMOLPIO.

EVMOLPI, *decus Attici lepóris,*
Atque idem Latiæ medulla Suadæ,
Nec vulgaris amor tui Melissi:
Adsuescisne novæ allocutioni,
Calculosque ratos habes Dearum?
Ipsæ nunc quoque gestiunt amantque
De te Eumolpides Atticê vocari,
Grato nomine & auribus Latinis.
O quantum est, Clariùs placere Musis!

Digitized by Google

AD MICHAELEM RAVENBVSCHVM.

SVAVITER *hæc ædes habitanti cum mihi tecum*
RAVENBVSCHE *vetus jus foret hospitij ;*
Cura vigil Baumgartneri nova limina priscus
Addidit, & Genium jussit adesse novum.
Carmine non signem postes, ut candida semper
Posteritas istanc norit amicitiam ?

AD IVSTVM LIPSIVM ET [redacted].

IGNOSCE LIPSI, *ignosce* DOVSA *audaculo,*
Medius quod inter ambos
Dextram hancce panxi. W *iltius peposcerat,*
Themidis bonus sacerdos,
Manûs amicæ symbolum. dedi lubens,
Tamen absque separatu
Amoris utriusque. nam vos sic amo,
Oculissimos ocellos
Novem Dearum, ut alterum vos tangere
Propiore sede nolim.
Livoris hoc ut dixeritis invidi,
Nec amoris esse signum :
Nihil moramur. W *iltius respondeat*
Merito anne jure factum.
Pro me cor ipsum edicito sententiam
Sine teste : nam cor hocce,
Cor hocce nostrum est mille testium loco,
Didicitque vera fari.
Porrône quisquam dubitet, esse ipsummet hoc
Philio Jovi sacratum ?

Digitized by Google

AD LVDOVICVM CARRIONEM.

SANCTVS honos, & amicitiæ venerabile pignus
Debetur doctis, non sine teste, viris:
Illis præcipuê, quibus adsuetudine juncti
Aut sumus, aut fuimus scilicet, aut erimus.
Testem ego constituam Germanæ CARRIO mentis,
Nunquam quæ veniat contemeranda, Fidem.
Lipsion & Dousan sponsores quâ licet addam,
Nomina magna, immo numina Teutoniæ.
En arrham Famæ! Quid honore celebrius, aut quid
Sanctius in terris esset amicitiâ?

AD IAN. ANT. BAIFIVM.

CELTIDOS in Nymphæ quei possim ardenter amorem
Percelli, visu quum generetur amor?
Nusquam ego pervenio, Laris observantior arcti.
Acquamvis extra limina forsan eam,
Larvis indutæ personataque per urbem
Vestræ procedunt invida turba nurûs.
Haud istis capior. picturam cernere pulchram
Malim, quàm facie tristia vela nothæ.
Scilicet arridet mihi gratia frontis apertæ,
Aurea FRANCINÆ quæ decet ora tuæ.
Hanc liceat mihi mirari, & si fiis, amare;
Deque illâ teneros tecum iterare modos.
Cernis, amator uti nullâ sim labe, BAIFI,
Qui soleam in tacito gratiam amare sinu?

IN ANELLVM
A ROBERTO HEVIO MALLEROIO SIBI DONO DATVM.

ANTE, poliretur quàm pulchra hæc gemma Pyrópi,

Occultâ informis massula luce fuit.
Nunc inclusa auro, donum immortale ROBERTI
Heuïadæ, digito splendet honora meo,
Qualis ocellorum geminati Cástoris alter,
Aut matutinæ stella nitens Veneris.
Scilicet ardentem quæ testaretur amorem,
Gemma mihi nequit gratior ulla dari.
Flagrat amore mei ceu cor tibi nobilis HEVÏ;
Sic mihi cor pariter flagrat amore tui.
Hanc flammam abscondens taceam licet, ecce fatentis
Ex gemmæ vivis fax micat igniculis!

AD IANVM DOVSAM, IANI F.

IANE DOVSA, *nate Jani,*
Nobilis viri & Poëtæ;
Pauculis ego ex tuis
Versibus citò exaratis
Deprehendo quòd patrissas.
Admodum facis bene.
Perge amabo amare Phœbum;
Perge, perge amare Musas
Gratiasque amabiles.
Næ, quem Apollo, quem Camenæ
Gratiæque amant; amatur
Vnus hic ab omnibus.

AD PETRVM BOSCHIVM.

AMICI *sumus & boni sodales,*
Amicique erimus dehinc, bonique
Sodales, PETRE. *quippe notus alter*
Alteri est; & in inclitâ poësi
Consentimus, amœniore capti

Digitized by Google

Minervâ, ſtudiisque delicatis.
Quare dum licet, erudite BOSCHI,
Ignotam ſociare ab arte porrò
Fœs amicitiam & ſodalitatem.
Amicam volo CYNTHIÆ ROSINAM,
Sodalem volo CYNTHIAM ROSINÆ.

DE BASIIS ROSINÆ.

Fict. arg.

VT, *mea vita, vales? ut habes, mea ſola voluptas?*
Sic ego, complectens candida colla manu.
Sic mea lux contra: Mecaſtor neſcio, frater.
Erubuit totis hinc pudibunda genis,
Et ſimul ingemuit. Foliis labra viſa roſarum
Rubra mage, & tunicâ punicei fruticis.
Molliter adductis capiebar baſia labris
Jungere, & humidulæ ſugere florem animæ.
Non præciſa dedit; ſed baſia longa, ſed uda.
Guſtavit linguæ lingua vibrata favos.
Fracta ſopore quaſi tum lumina pœta videri.
O quàm ſuave fragrans halitus oris erat!
Juppiter, ambroſiâque & nectare veſcere ſolus,
Succum ego quo carpam ſolus ab ore RHODEI.

AD ROSINAM.

QVÆ *mihi roranti dederis luctantia linguâ*
Suavia, dum recolo, quotve quibusve modis;
Spiritus interno pulmone fatiſcit. Vt illas
Nectareas aveo ſugere delicias!
Nam licet & fas eſt; ſiquidem ſponſalia facta.
Anulus en firmat dexter utrinque fidem!
Vivere ſi mea lux noſtris in verſibus optas;

Digitized by Google

Vitam mi inſpira dulcibus ipſa labris.
Nulla datur nam vita libris, niſi baſia libes.
Baſia ſi libes, vita perennis erit.
Baſia languidulos animant in corpore ſenſûs;
Baſia carminibus dant alimenta meis.
Ergo trecenta mihi dato baſia; fama trecentas
Vt tua (& ulterius) duret Olympiadas.

BASIVM.

QVID *mulſo præſtat? ros cæli. rore quid? Hyblæ*
Mel. melle hoc? nectar. nectare? ſuaviolum.

BASIVM LIQVIDVM.

QVID *mage dulce mero eſt? mulſum. mulſo quid? Olympi*
Ros. rore hoc quid? mel. melle? ſaliva RHODES.

SVAVIVM.

QVID *mage dulce favo eſt? ros ætheriꝰ. hoc quid? Hymetti*
Succus. quid ſucco hoc? roſcida baſiola.

ALITER.

SACCHARA *quid ſuperat? libum. quid liba? favorum*
Guſtus. at hunc guſtum? baſia roſcidula.

HYMEN.

QVID *mage ſuave quiete? ſopor. quidnam hocce? le-*
His quid? delicię. deliciis quid? Hymen. [*pores.*

LVSVS EROTICI.

PRÆNIMIS o thalami quid ſere poëta moraris?
Dulcis ini tandem fœdera conjugij.
Sic me ſæpe aliquis monuit. ſed cui rogo demum
Nuncuper adfinis, cui Charilaë gener?
Evocor Auguſtam, Laribuſque invitat amicis
Me ſocium, doctis additus Euno viris.
Si mihi de natis unam, ſponſore ſenatu,
Vrbs vetus, a Druſo dicta Nerone, daret:
Fallimur, an ſocerum poſſem vocitare ſenatum,
Veſtratemque urbem nominitare ſocrum?

VT ſemper fuit ante, & adhuc eſt; mens ita porrò
Libertatis amans hæc mihi ſemper erit.
Namque ita commodius, longum quod duret in ævum,
Texere Calliope, nec ſine laude, queat.
At ſi me patiar, captiva tenentibus arctê
Pectora, conſtringi per rata verba jugis;
Quid cenſes fore, patriciæ celeberrima gentis
Gloria, & Aonij laus Charideme chori?
Des pulchram mihi, des opulentam, des mihi caſtam,
Des aptam domui: non puto ſervus ero.
Si tamen in re, quæ placeat, ſim ſervus oportet;
Quid tum? liberius nullibi ſervitium eſt.

MOLIOR æterno jamdudum ſcribere verſu
Præſignem clarâ nobilitate virum,
Qui mihi ſe facilem in causâ præbebit honeſtâ,
Mollis ut ad nutum concilietur Hymen.
Quod ſi te potior Charis & facundia Suada
Ad tam laudatum lêgit Amoris opus;

Digitized by Google

Certê ego Pasiphilum, si quid mea carmina possunt,
Faxo perpetuum fama loquatur anus.
Vni præterea si rem communicet alter,
Cuius prudenti stet rata consilio;
Hoc melius. Prodest tutæ gemina anchora navi,
Vtilius postes & duo fulcra tenent.

MVLTA *tuli & vidi peregrinis sospes in oris*
Damna molesta animo, damna molesta oculis.
Illa (nefas) inter, Menalippe, molestius unum est,
Vivere quòd nobis non licet in patriâ.
Sed tamen ulvosâ præcinctus arundine ripas
Vati Pegnesius lene dat hospitium.
Hospitium dat lene, mihîque susurrat in aurem
Nescio quæ votis non aliena meis:
Adfore nimirum tempus, quod penset iniquos,
Perduraturum spe meliore, dies.
Id dabit optatæ niveis requiescere in ulnis
Posse, & amica RHODES *carpere basiola.*
Auspice te felix si maturabitur hora,
Vt citò primitias gustet amoris Hymen;
Quis, licet invidiæ plenus, mihi dempserit unquam
Commoda grata animo, commoda grata oculis?

QVA *fixam regione mihi cælestia sedem*
Fata moraturo, queis dederint ve locis;
Incertum est, Thaliarche. tamen quæcumque manebit
Me plaga, clara meo est illa futura pede:
Præcipuè, ex animo quos sum veneratus, amici
Victurum toto nomen in orbe gerent.
Hos inter quo te numerove locove reponam,
Qui tua teque lubens dedis ad obsequium?

Digitized by Google

Scilicet ut vestrâ mantem diuturnus in urbe,
Haud cessas operâ perficere ipse tuâ:
Effectum dederis, gremioque fovebor amandæ
Conjugis; o quanto surget honore decus!
Quidquid ages, bona Fors comitetur. ut alea fallat,
Fallere Fortunæ me tamen ala nequit.

SI *tibi verbosâ nimium Charilaë loquellâ*
Obstrepo, quòd mihi tot dicta sine arte cadunt;
Ignoscas rogo. næ tua me prolixa voluntas
Facundum ex muto propatulumque facit.
Nam quei possem aliter tibi sensa recludere mentis,
Scita nisi malim Pythagoræa sequi?
Fortassis tacuisse juvet; licet ora resolvi
Hac similique in re postulet ipsa Venus.
Sed mea ne referant taciturna silentia Amyclas,
Meque ipso damnet jure puella mea;
Mens adaperta tibi est. Occasio commoda prensu
Neglectûs vetitâ debet egere notâ.

OTIA *fecerunt & amæna vireta recessu,*
Quæ doctis olim sic placuere viris;
Vt nobis hodie liceat tot scripta perenni
Palladiis meritis evoluïsse manu.
Si mihi contigerit Fortuna simillima priscis,
Inque meos ierit pars opulenta toros;
Prædiaque & virides numerosis fetibus horti
Audierint citharam suave canentis heri:
Haud decro Famæ, modo sit mihi vita superstes.
Tu præmonstratas dispice quæso vias.
Nam mecum quodcumque paro, Theodore; paratur
Consilioque Dei, consilioque tuo.

Digitized by Google

Officiis pretium monumenta perennia ponam;
Postque Deum, si vis, tu deus alter eris.
Alter eris, si vis deus. ut deus esse recuses,
Stat tamen alternum te coluisse deum.

AUT *vidua aut virgo, quæ dotatissima vênit,*
Docto conveniens illa marita viro est;
Illi nimirum, scriptis illustria claris
Reddere qui pollet temporis acta sui.
Si vidua est, primi careat volo prole mariti:
Sin virgo, curam norit habere domûs.
Vtramcumque mihi sors annuat, ambigo: quanquam
Ex genere illustri non dubitabo satam.
Nam cur adjungar vili? plebeia facessant.
Alcime, quisquis amat vilia, vilis homo est.

QUISQUAM *animo reputet, quantũ pulcherrima rerũ*
Libertas homini sit Philomuse bonum;
Et non malit eam gemmis præferre vel auro,
Omnibus & Pluti denique divitiis?
Claudus in adventu Dis, alatusque recessu
Esse solet, cæcus judicioque carens.
Lubrica res itidem versari in principis aulâ,
In medioque igni frigora dura pati.
Me mea Nympha domi tutis complexa lacertis
Rideat, & dulci misceat ore jocos.
Acciderit: dubitemne recens jubar esse mihi ortum,
Aureaque extremo sæcla redisse chao?

MILITIAM, *grave Martis opus, rigidosque labores,*
Quos expugnandis urbibus arma ferunt;
Nostrâ tempestate sequi, prope ludicra res est:

Digitized by Google

Omnia ſic diro turbine quaſſa ruunt.
Tu tamen indemni tranquillam pace quietem
Conjugij ſuades præpoſuiſſe tubis.
Annuo, Theſtoride. tua nam prudentia tanti eſt,
Conſilia ut rear hinc non niſi ſana peti.
Quam dabis ergo mihi ſociam, quæ turturis inſtar
Pacatâ mecum vivat in Albuneâ?
Mentior, an vero? certê tu Iuppiter auſpex,
Et tua Paſithea pronuba Iuno mihi eſt.

OBRVO te nugis, patrij o pars magna ſenatûs
Callimache, & vatis maxima cura tui.
Des oro veniam, ſi forſitan interpellem
Non tempeſtivis ſeria veſtra ſonis.
Qui tuus eſt candor, feciſti ſpem mihi primus;
Primus item ſciſti mentis operta meæ.
Fas igitur poſthac tibi quæque arcana revélem,
Inque tuum fundam viſcera noſtra ſinum.
Quippe voluntati commiſi cuncta Iehovæ;
Dein fidei, rebus quæ patet æqua, tuæ.
Quod fato pactum eſt, id fiat oportet. Amorem
Sanctum conciliat non niſi ſanctus amor.

EST *aliquid, dignum ſtudiorum quærere finem;*
Nec minimum eſt, operæ præmia ferre ſuæ.
Si datur opportuna loci Nymphæque cupitæ
Commoditas; quem non Nympha locusque beet?
Vxor rem curat; vir adauget. proſpera cedunt
Cuncta vel in ſomnis, auxiliante Deo.
Hinc vires natura capit, ſolidêque vigeſcunt
Artes: in lucem dat monumenta labor.
Sed proh quàm durum eſt alieno vivere nutu,
Invitumque

Digitized by Google

Invitumque aſpro ſubdier imperio.
Præſtat habere domi, quo ſuſtentêre, nec ullis
Summatum vitam degere ſubſidiis.
Talia cui ſuperi tribuunt, Menelaë, quid obſtat,
Quin ſit vel Crœſo ditior, atque Midâ?

MVLTVM *momenti poſitum eſt in rebus agendis;*
Prenſantem fruſtret ne levis anſa manum.
Quàm prius incipias, conſulto: deinde ubi cepſis,
Maturê facto, quâ ſinit hora, opus eſt:
Nam penſanda diu multumque bilance fideli,
Theſtoride, venient quæ ſtatuenda ſemel.
E quorum genere eſt unum plerisque moleſtum,
Cum thalami in fœdus vir mulierque coit.
Ipſe ego non propero; niſi tecum rem bene, remque
Cum Junone tuâ glóreque conferis,
Qui nimium properat, ſe fallit: tardior autem
Bolum decepto ſentit ab ore rapi.

SATQVE *ſuperque reor longi quis dixit in oris,*
Hos tibi qui faciles Alcime dat numeros.
Si potes adſcitum ceris adſcribere veſtris,
Se non indignâ quo potiatur herâ;
Haud ſeſe indecorem recipit fore. nam neque multos
Forſan ei ſimiles heic reperire licet,
Nec non perpaucos alibi. Simplice rhythmo
Teutonicam inſtruxit Saxo poëta lyram,
Et laudem meruit; veſtrâ cur abſit ab urbe
Pindaricos imitans Muſa Latina ſonos?

SI *tua vis in me ignotum benefacta redundent,*
Ipſe mihi Nympham fac Thaliarche legas.

Digitized by Google

Filius ut terræ vocer; hercle erit arbitror una
In terris, dici quæ mea discupiat;
Præsertim testes cum vitæ puriter actæ,
Legitimique habeam cope diploma tori.
Adde, quod insigni lætor decoratus honore
Regibus a magnis, Cæsareâque domo.
Transit in heredem titulus meus ille, decusque
Nobile, Romani civis & altus honos.
Cetera sanus ago & vegetus. quid alacrius usquam
Sanis, aut vegetis acrius esse potest?

NON *ego divinas jactator Apollinis artes*
Effero, non Musæ dona beata meæ:
Ob quæ, si saperent, Charitum debebat alumnos
Amplecti geminâ quæque puella manu.
Moribus ingenioque parem Philomuse requiro,
Et quæ festivos norit ametque sales:
Fastu non elata, brevis quæ temperet ævi
Tempora cum longæ munere lætitiæ.
Fœdere concordi talem portenderit æther,
Ominibusque bonis tu paranymphus eas:
An non mentis inops habear, si suave refutem
Ætheris arbitrium, & præstitis auspicium?

HACTENVS *impedit detentæ vincula linguæ*
Ille verecundo qui sedet ore pudor;
Quo minus interni profiterer pectoris æstus,
Subjiciens animi fervida vota mei.
Spes, hominum firmat quæ pectora, Fortiter aude,
Inquit, & adfectu detrahe vela tuo.
Obsequor hortanti: nam re quid honestius illâ est?
Vota ea consilio tu fac, amice, juves.

Digitized by Google

Te duce (quippe aliis hanc rem non credere tutum)
Spes vincet; victus concidet ille pudor.

NOMINE *me ſponſi teneræ vocitare puellæ*
Proclines, cupiunt eſſe voluntque ſuum.
Atque pater, Si vis, dum matureſcat ab annis;
Exſpectare RHODEN, *ſcilicet hæc tua erit;*
Sæpe mihi dixit. facile excuſabitur ætas,
Cui nondum plenè nubilis annus adeſt.
Tempeſtiva viro ſoror eſt tua: quam niſi toto
Pectore amem, toto pectore deſipiam:
Non tamen hanc ambire auſim: metuenda repulſa eſt.
Durior heu rigidâ morte repulſa venit.
Sponte tuâ dabis? accepto. quid Eraſme, quid hæres?
Si vis ipſe, mea eſt; ſi volet ipſa, mea eſt.

CORDE *recluſa meo quæ ſentio, dixit apertè*
Lingua patrocinij freta favore tui.
Corde recluſa tuo quæ ſentis, dicat apertè
Lingua, clientelæ non aliena meæ.
Si non indignus vobis adfinis habebor;
Reſponſum certâ des rogo mite die.
Sed, niſi fallor, habes in promptu. nam tibi, Theſeu,
Credibile eſt curam ſæpe fuiſſe mei.
Conjugium, res fatalis. quæ deſtinat auctor
Conjugij, ex fati lege ſecunda fluunt.

SI *mihi te facilem dederis, mitiſſime Theſeu,*
Et conjux animo faverit æqua meo;
Ipſa nec abnuerit germana Meliſſa vocari,
Fœdere legitimi conſocianda tori:
Æternum vobis auſim promittere nomen,

Grátaque devoti pectoris officia.
Euge petitorem ne despice. Fiat oportet,
Consilia æterni quod statuére DEI.

CALLIODORE, *diu sensi, quàm pectore fido*
In caput hoc, quantâque integritate fores.
O utinam adfinem tete indigitare valerem;
Junctior in terris non foret ullus amor.
Si me (nam juras) ceu propria lumina amasti,
Hoc mihi fac tribuas pro pietate meâ.
Casta Venus niveo tibi supplicat ore: libellum
Offert purpurei frater Amoris Hymen.
Gratia cum Musis, geminâque sorore voluptas
Ad genua ingeminant ore animoque preces.
Cum sint tam blandæ, multoque lepôre refertæ;
Num facere heu possis, ut mea vota neges?

SI *quid religio, virtus, doctrínaque possunt;*
Si quis honestati, si fideique locus:
Si quid laudis habet, quæ casta & sobria nullis
Polluta est peregré vita libidinibus;
Si quid habet decoris mens sana in corpore sano,
Fámaque Musæis jam mihi parta libris:
Istæc efficient, serves ut amice clientem.
Sed quid ego hæc refero? gloria nulla mea est.
Vis in amicitiæ perfecto fœdere tanta est,
Tam bene ut haud ulli quàm mihi Daphni velis.
Fas igitur (grates meritis debentur) ut esse
Obstrictus nulli quàm tibi Daphni velim.
Tu mihi concilias, quod amem. sic tota recepto
Laus in amore tua est, gloria tota tua est.

Digitized by Google

ABDITA *nulli hominum patefeci ſcrinia cordis,*
Nulli ego ſecreti credidi amoris opus,
Quàm tibi Mopſe, mei fidiſſima cura peculi,
O & præſidium Mopſe decuſque meum.
Et poteram tamen hoc aliis concredere. verùm
Te niti ſolo ſpes mea diſcupiit;
Dicere quo poſſem: Palmam meus ille patronus
Solus promeruit; ſolus & obtinuit.

MAXIME *maiorum, meliorumque optime judex,*
Qui mihi poſt ſummum ſis deus ipſe Deum;
Ah, immortalis (quæſo) quei redderis a me,
Cui neque lux lucet, cui neque vita viget?
Hactenus obſcurus, licet inter habendus equeſtres,
Vixi, dum patriâ dividor urbe procul.
Immo ego me vixiſſe nego; quem ſæpius in me
Quottidie, inque RHODE *(proh dolor!) aio mori.*
Mortuus omnino jam ſum. ſed tu dare lucem,
Sed dare tu vitam mi, Thaliarche, potes.
Vtque aliy poßint itidem; tamen unica per te
Danda unum cordi vitaque luxque meo,
Omnibus eſt potior. niſi des hanc; quid rogo reſtat,
Quàm miſer ut Myrti colle ſepultus humer?

RVMOR *ait, Schedium ludicras ſcribere nugas,*
Quum Schedius tecum ſeria prorſus agat.
Crede mihi, tam ſeria agit procus; ut tibi nulla
Audita, aut fuerint ſeria viſa magis.
Riden'? utrum credis? modò ſit mihi juncta ROSINA;
Pace tuâ vulgus ludicra cuncta putet.
Rumorem Charilaë pariem moror. hæc tamen ecce
Carmine quam celebro, ſola ROSINA *mea eſt.*

INTER *Hamadryadas cædebat ligna bipenne*
Nobilium juvenum delicioſa cohors.
Ipſe ſecuriculam librans ſimul, impete ab uno
Molibar magnam ſternere Caſtaneam.
Riſerunt Satyri & Fauni, ſilvatica turba;
Sileni riſit os juvenile ſenis.
Stulte quid inſanis? ait unus. cæde frequenter:
Ictibus haud unis arbor opaca cadit.

DISSVADES *abitum Britanna ad litora, meque*
In veſtrate debinc urbe manere jubes;
Quum me non ſolum cives totusque ſenatus,
Sed quoque doctorum grex ſcholaque omnis amet.
Promittisque fore, uxorem mihi dotis opimæ
Nunquam rumpendo fœdere jungat Hymen.
Fruſtra me fruſtra, Charideme, tenetis amici.
Cur operam pro me luditis atque olerum?
Vos penes ipſa RHODE *niſi ſit, mihi debita fatis;*
Dicere quei poſſim ſorte favente RHODEN?

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER SEPTIMVS.

POLYMNIA.

POLLEO *mẽte memor, multâq; POLYMNIA fa-*
Nũcupor hinc doctis propria Muſa viris. [*mâ:*

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

AVDITO, *Regina, tuæ multum illice famæ*
Nomine, vix mentis credere compos eram.
Experior maiora fide, divina Britannæ
Maieſtas coram quam mihi fulget heræ.
Excutias mundi hiſtoriam, virtutibus æquas
Invenies nullas ſimilesve tibi.
Nec ſe contulerit tibi quæ Salomonida quondam
Devênit ſapiens virgo Sabæa domum.
Intuitu obmuteſco tuo: ſtupet ad tua, Diva,
Lumina mens: ſcribit vix manus hocce tremens.
Quæ, qualis, quanta eſt, regio cui nulla ſub orbe
Non habuit, nec habet, non habitura parem eſt?

AD ROSINAM.

PICTOR *ut a ſpeculo proprios imitatur ocellos,*
Fingitur & vultûs vivida ſigna ſui:
Sic a te meipſum depingo colore ROSINA;
Sic a me teipſam pingo colore ROSA.
O utinam, velut ipſa meis habitas in ocellis,

Digitized by Google

Sic habitare tuis me ſineres oculis !
Quid peto ? nonne ſinis ? Radiûm ſimul ipſa meorum
Es ſpeculum , ſimul es mentis imago meæ .

AD FRANCIAM ORIENTALEM.
De Io. Fauſto Franco, Chalcographiæ inventore.

FRANCIA, *ſi nullis aliis celeberrima rebus ,*
Queis ſurrecta polo tolleris ipſa , fores ;
FAVSTVS *hic en cunctis te cum popularibus unus*
Redderet inſignes arte typographicâ :
FAVSTVS *in eximiâ , Mæni quæ nomen adepta eſt ,*
Egregios cudens primitus urbe libros .
Fauſtus erat certê , nec eo felicior alter ;
Francide nec regio fauſtior ulla fuit .
Noſce tuas artes , tua noſce reperta ; Deoque
Ob donum grates patria ſemper age .
Cedite Romani , veteres concedite Graij :
Francus homo cunctos præſtitit artifices .

AD IVLIVM CÆSAREM SCALIGERVM.

ADMIROR *& Graios & Auſonas vates ,*
Qui floruere ſæculis
Olim vetuſtis , & Poëſin excelſum
Honoris ad faſtigium
Dignê extulére . Te ſed , o retruſarum
Divinè rerum SCALIGER,
Plus non ego admiror modo ipſe , verùm omnes ,
Qui recta mecum ſentiunt ,
Te planê adorant . nam profecto in uno te ,
O IVLI, *in uno te omnium ,*

Digitized by Google

Quot ſunt fuerunt ve aut erunt, Poëtarum
Potenter inſunt ſpiritûs:
Quei ceteróquin tanta ab his tuis ſcriptis
Spiraverit vivacitas?

AD CHRISTOPH. PALATINVM, BAVARIÆ DVCEM.

FABVLA neſcio quem fabricaſſe poëtica Phœbum
Creditur, Aonij dux ſit ut ille gregis:
Cui montes tribuére ſuos, tribuére ſacella,
Et cum Pegaſeo fonte ſalúbre nemus.
Ah valeant conficta. ſacris Académia Muſis
Heic viget, ad Nicri lene fluentis aquas.
Verus hic eſt Helicon, hæc eſt Parnaſſia rupes:
Adſpice & hos fontes, lauricomumque nemus!
Heic Capitolinis æquanda palatia ſaxis,
Inque Palatino patria templa jugo.
Quis niſi tu noſter, Dux illuſtriſſime, Phœbus
Irradians jubaris lumine quæque tui?

ADOLPHO COMITI NVENARIO.

NATVRA magnis te beavit dotibus;
Fortuna multis auctitavit oppidis
Opumque acervis: Fama te celſis vehit
Ad ſumma pennis, o ADOLPHE, Caroli
Amice magne & fautor Vtenhovij,
Idemque noſter. Cælites te proſperent
In poſterum; quis ambigat, quin ampliter
Natura donis te beet maioribus,
Fortuna divitiis adauctet pluribus,
Vehatque pennis Fama celſioribus?

AD DVCEM FRANCIÆ.

REGIVS *assurgit quâ mons, & Curia regis*
Quâ vada Francoi conspicit orta Salæ;
Inde suos derivat avos Schediæa propago,
Nobilius patriæ mox paritura decus.
Collibus his ingens, his vallibus imperat olim
CAROLVS *Isaidos cultor amansque lyræ;*
Sæpius in templis Supremo psallere visus,
Cantandique pios instituisse modos.
Ergo tibi merito (siquidem, doctissime Princeps,
Tu modò nunc Salicis prædominaris aquis)
Dávidis harmonias sacrat Polyhymnia. Francum
Quod decuit regem, dedeceatne ducem?

AD RVDOLPHVM II. ROM. IMP.

INTEGRA *quæ poterat vivis monumenta Ducumque*
Et Regum numeris condere CROPACIVS,
Interrupta Leo, defuncti morte, Bohemus
Luget, & amissum Pelsina prisca decus.
Hinc partim superant; partim bis mortua, Cæsar,
Pectora Lethéos heu subiere lacûs.
Vixeris insigni celeber multusque triumpho,
Patribus & virtus haud sit avisque minor:
Ni tamen historiis nomen mandetur honorum;
Quid laudis tacito postuma fama feret?
Hæc demum vita est, in Principe dum sibi vates,
Inque suo Princeps vate superstes agit.

FERDINANDO COMITI PAL. AD RHENVM, DVCI BAVARIÆ.

TE *Fortuna potens, alis comitata secundis,*

Digitized by Google

Fámaque Bavaricis debita principibus,
Duxit in has oras, o FERDINANDE. *Camenæ*
Excipiunt vultûs voce ſonante tuos.
Euge ſacris blandire choris. Siet absque Camenis;
Famâ duci præſtó, Fors ſimul eſſe negat.

DE ALOISIO CARRETANO, MARCHIONIS FINARII F.

ET PIETAS *Bonitasque, Deæ, quibus haud mage quis-*
Vel pia vel melior conſpicienda venit; [*quam*
Ingenuum miratæ animum, ſimilemque Deorum
Mentem, & tam nivei pectora dia viri;
Contendére. ſuum ſibi vindicat útraque, dicens
De Pietate bonum, de Bonitate pium.
Juſtitia, ah meus eſt Aloiſius, & ſimul æquâ
Pendens virtutum pondera lance, refert:
En ſi quis juſtus mortales inter habendus,
Juſtior hic aliis omnibus unus erit.
O raros mores! nonne iſtæc uniter apta
Efficiant ſanctum dona beata virum?

AD RVDOLPHVM SECVNDVM ROMAN. IMP.

NE *videar cornix alienis corpora plumis*
Ornare, aut vetito ſciſcere jura foro:
Si placet, accipies privæ modulamina Muſæ,
Quæ dedit excuſis altera opella typis:
Accipies; non ut relegas, ſed lumine ſolum
Percurras obiter dive RVDOLPHE *tuo.*
Haud inſint condigna tuis, meritisve tuorum,
Auſtria quos Reges, quos dedit alta Duces;
At proſunt tamen, aut animum dulcedine paſcunt;

Moribus aut priſcis uniter apta docent.
Grata Camena tuo mea vênit avoque patrique;
Cur faſtidires filius atque nepos?

AD ERNESTVM ARCHIDVCEM AVSTRIÆ.

Tv quoque ſi Schediam ſumes ERNESTE *poëſin*
Fronte ſerenatâ, candidulâque manu;
Eſt, quod in Auſtriacis laudes heroibus altas
Commendet miris fama ſecunda modis.
Vos comes placidosque ſagax natura creavit,
Præque aliis generi mitius ingenium
Indidit. haud igitur mirum eſt, ſi munera vatum
Conſueſtis ſummo ſemper habere loco.
Non aliunde venit, niſi mentis ab indole celſæ,
Virtus hæc magnis invidioſa Deis.
O ſtirpem diam! Non te ſuper aſtra vehamus,
Quæ fermê vates efficis eſſe Deos?

AD IO. WARMVNDVM SCALIGERVM, Veronæ & Vicetiæ dominum.

SCALIGER, *illuſtri ſate gente, domoque vetuſtâ,*
Cui Verona potens ſtirpis origo cluet:
Tædia jucundo nonnunquam fallere verſu
Si cupis, & lætis mentem hilarare modis;
Hæc lege pervolvens Latiæ Schediaſmata Muſæ,
Indicia ingenij qualiacumque mei.
IOSEPHI *invenies & in his laudabile quiddam.*
Carmine divino, quod canit, omne canit.
Diverſos diverſa juvant. ſic auribus apta
Non ſolita eſt unâ ludere Muſa chely.

Digitized by Google

Hæc ſi te pateris celebrari, o quanta per artes,
Qualis ab ingenij ſurget honore tui!

SCALIGERO *donum tenues itisne libelli?*
Magna decent magnum munera miſſa virum.
Eſtis parva nimis. quid tum? cum ſcribere cœpit
Virgilius; creſcens Ecloga carmen erat.
Addidit arvorum cultûs: Æneida demum
Inſonuit magnâ magnus & ipſe tubâ.
Quis ſcit, an ipſe dehinc paullo maiora ſonando
Non etiam ingentis moliar artis opus?
Certê ego magnanimos heroas origine ab altâ
SCALIGERÆ *canerem, numina noſtra, domûs.*
Digna cani ſi qua eſt; moriar, niſi gens tua, clare
SCALIGER, *æterno eſt carmine digna cani.*

~~AD SILVIVM ET LOLLIVM SCALIGERVM~~
~~LIGERIOS, IVLII CAESARIS~~ F.

QVANDOCVMQVE *recens quis eſt apud nos*
Per ſuffragia Teutoni ſenatûs
Priſco more creatus Imperator;
Germani proceres ducesque regni
Regulique fidem perenne jurant
Electo capiti. ſtatim ille Cæſar
Confirmat ſacra jura, pacta avita, &
Privilegia. jamque tot Monarchæ
Et manu propriâ & ſuis ſigillis
Genti SCALIGERÆ *domos vetuſtas*
Juſſere eſſe ratas avitum ad amnem:
Non dico attegias caſasque parvas,
Sed magna oppida, maximas & arces.
SILVI *ſplendide, tuque ocelle vatum*

Mi IOSEPHE, *animum resumitote*
Maſtimûmque Canumque grandiorem
Ausis grandibus. Ecquis improbaret,
Quæ potens habuit rata Imperator?

AD R. CÆSAREM.

BIS *dat, qui citò dat. quòd ſerus dono libellum,*
Protraxit tardus bibliopola moras;
Nec tamen ornatûs adjecit Cæſare dignos.
Cæſaris ornari res nequit ulla ſatis:

AD MICHAELEM BEVTHERVM CAROLOPOLITAM, IVRISC.

HISTORIAS *faſtosque tuos & priſca dierum*
Tempora, quæque recens condis ephemeridas,
Quando erit ut videam BEVTHERE? *ſatisque ſuperque*
Quid tua ſenſerunt lima polita queat.
Ni ſat erat fetûs nonum preſſiſſe per annum,
Annos ſufficiat congeminaſſe novem:
Nec mordax livor, nec edace vetuſta ſenectus
Rodere tentabunt dente, quod edis opus.
Auſit ut id livor, prius arrodatur oportet;
Nil oberunt operi ſæcla futura tuo.
Illa ſed interient citius cum tempore, quàm vel
Hiſtoriæ & faſti, quàm vel ephemerides.

AD IO. AVRATVM.

IN *nova quisnam animas negitet migrare renatas*
Corpora, ceu Samius prodidit ore ſenex:
Si modò perpendat RONSARDI *in pectore rurſum*
Vivere Mæoniden, vivere Virgilium?
Qui ſibi conſimiles, integrum non niſi quiddam

Digitized by Google

Ex tribus unijugum conſtituiſſe queünt.
Ternio nempe omnis numeri perfectio tota eſt;
Et trias in monades uniter apta venit.
Ergo quo perfecta foret divina poëſis,
Tertius his geminis adjiciendus erat,
Francide qui numerum ſupplens, AVRATE, *loquellâ*
Æquiparat Graios, æquiparat Latios.

P. RONSARDO.

LAOMEDONTEÆ *poſt diruta mœnia Troiæ*
Celtica dum Phrygium mittis in arva ducem;
Non minus hoc laudi ponit ſibi Francia tellus,
Quàm decus hinc captat Gallia docta ſuum.
Vt bene Gallorum fratres ſincera vetuſtas
Germanos junctis dixit amicitiis!
Vt bene poſteritas regum firmavit easdem,
Vnius imperij quom duo regna forent!
Macte age, Francorum meritas deducere laudes
Strenue, Vindocini gloria PETRE *ſoli.*
Francia (tam polles vi carminis) útraque ſurgit
Maior in Eois, maior in Heſperiis.

AD GEORG. AVERLIVM.

PRODIIT *in lucem quæ nuper* FRANCIAS *illa*
Gallica, RONSARDI *nobile vatis opus,*
Mi cordi legere eſt. fac eâ potiamur, AVERLI:
Nam reor exemplar te penes eſſe recens.
Si neſcis, quanti faciam tam docta poëtæ
Carmina, cui regio vix alit ulla parem;
Dicere ſufficiat: plus huic debere poëſin,
Solvere quàm Muſæ, quàm vel Apollo queat.
Vno aliquo veteres norunt excellere vátes;
Sed mihi cunctorum ſolus hic inſtar erit.

Digitized by Google

AD MARC. ANT. MVRETVM.

QVISQVIS *imaginibus vivis effingere Phœbum*
Et Charitum formas Aonidumque volet,
Ætheriosque patris vatum MVRETI *furores,*
Quos solet ingeniis indere pectoribus;
Denique veram oculis repræsentare Poësin,
Depictam veluti Zeuxidis archetypo:
Non aliunde modum petat. Omnibus omne pœtis
RONSARDI *specimen Francicis una dabit.*

AD H. STEPHANVM.

VRBS *Atticorum olim velut*
Hellas vocata est Helladis;
Orbisque Roma tótius
Quoddam quasi compendium:
Formosa ceu Neapolis,
HENRICE, *jampridem tibi*
Italia dicta est Italiæ:
Vt Galliæ nunc Galliæ
Dici potest Lutetia:
Non Francofortum nundinas
Propter frequentes nominem
Germaniam Germaniæ?

AD IANVM ANTONIVM SARACENVM.

TAM *bene, tam scitè pestis causasque genusque,*
Corporeaque doces lurida signa luis;
Quôque cavenda modo curándaque singula, monstra
Peoniâ facilem providus arte viam:
Vt si (credo equidem) Podalirius atque Machaon

Talis

Digitized by Google

Talia cognoſſent ad Simoëntis aquas,
Te ſibi prætulerint, palmam SARACENE *ferendo;*
Tu juvenis quamvis, eſſet uterque ſenex.
Quin (teſtor Manes amborum, animasque Pelasgas,
Funere quas illic merſit acerba lues)
Te niſi tunc Graiis iratus Apollo negaſſet,
Millia tot vitâ non ſpoliata forent.

AD Q. SEPTIMIVM FLORENTEM CHRISTIANVM.

MITTE *leves nugas, mihi dixerat Heluo quidam;*
Ecqua dat hoc ſtudium commoda, quæve bona?
Communis patriæ tractanda negotia rerum:
His ſubito ingentes accumulantur opes.
Aſt ego, ludibrio quanquam eſt divina poëſis,
Indita naturæ ſemina malo ſequi.
Judicio vulgi ſtet, qui contraria ſentit:
Divitiis cunctis eſt prior artis honos:
Id quoque tu linguas tot docte fateris & arteis
FLORENS, *Aoniy fama decusque chori.*
Quis tibi non credat? tibi; cuius pectore Phœbus,
Gutture Mercurius, vertice Pallas ineſt.

DE ROBERTO P. ET HENRICO F. STEPHANIS.

SVASERAT *Herculeos Stephanum penſare labores*
Phœbus, Apollineo non renuente choro:
Lis oritur Graias inter Muſasque Latinas;
Natus utrum palmâ dignior, anne parens?
His Pallas: Tantum debetis utrique, Camenæ,
Quàm multum nato Gracia, Roma patri.

DE IVLIO CÆS. SCALIGERO.

Ad Andr. Melvinum Celurcanum.

SCALIGERI *versans divina poëmata vatis,*
Attonitæ stupeo mentis imaginibus.
Ingenione capace potest MELVINE *prehendi,*
Illius in summo quod viget ingenio?
Credibile est, capite ipsummet rimarier alto
Vix potuisse sui vim penitam cerebri.
Quantula nugarum myrmecia quæso mearum?
Hæ tibi (nam tales esse videntur) erunt
Sive quadriga, suis quam musca supértegat alis;
Seu navis, pinnis quam minor abdat apis.
Ast omnes Genij unus & idem SCALIGER, *aut est*
Omnibus ex Geniis natus Homœogenes.

AD HUBERUM VOLFIUM.

DESISTE *vitæ stamen o* VOLFI *tuæ*
Desiste quæso texere:
Recisa nunquam fila de fati colu
Severa rumpet Atropos.
Æternitati consecrasti, scilicet
Perennis ipse, plurima,
Laudes tuas quæ non sinent intermori,
Europa quàm latè patet.
Quòd si regeniti principes facundiæ
Partu Minervæ jam tuæ
Demosthenes Isocratesque (ceteros
Omitto) vivent perpetim:
Quanto magis tu (livor absit) qui pater
Es eloquentiæ patrum?

Digitized by Google

AD NICOLAVM REVSNERVM LEORINVM.

SIVE gradum Franci celerans ad magna dynastæ
Atria, sublimis culmina montis adit;
Sive per insignes, gressu properante, plateas
Vrbis inoffensos fert LEORINE *pedes;*
Seu quocumque viam secat, obvia nubila tranans;
Et portans medicæ dona salúber opis:
Mercurio similis facit omnia POSTHIVS, *ore*
Promptus, judicio providus, arte sagax.
Nulla tamen plantis volucer talaria nectit,
Nec vafro dociles instruit angue manûs.
Forma aliqua est tantum, quâ pollet Atlantius. in se
POSTHIVS *omne genus dexteritatis habet.*

AD POSTHIVM [redacted] SE.

ALTER ego omnimodè POSTHI, *fraterrime Posthi;*
Incolumem me vis? ah revalesce tibi.
Mutuus ecce dolor febrisque reciprocus ustæ
Consensu invito est algida membra calor;
Meque ferè exédit. viden' ut pallore macrescam
Alter tu? viden' ut mors nigra vela trahat?
Non te morbus habet, sed me; quanquam ipse febrire
Cogeris. ut dicas; ah revalesce mihi.
Quid deliro? sumusne duo? non. sed sumus unus;
Vna anima ex geminis, ex gemino unus homo.
Vtri igitur bene, utri malè sit, ne sentiat alter?
O individuo pectore sympathiam!

IN SIMONEM STENIVM.

AN σθένος aut σθένιον Sthenio dabit (ambigo) nomen?
O STENI *totus σλώιον & σθένος es.*

Digitized by Google

AD FRANC. GALENIVM. De Bibliothecâ insigni ab ipso instructâ.

SI mea tam maneant longævo carmina sæclo,
Ludimus imparibus quæ variata modis;
Quàm duraturos certum est, quos, clare GALENI,
Colligis heic doctos doctior ipse libros:
Pluribus & verbis & versibus inclita cantans
Æternem meriti tot monumenta tui.
Sed mihi quum desint versûs, quum vérbaque desint,
Queis dignè possint munera tanta cani;
Post genitis res ipsa tuum proclamet honorem,
Cúltaque det tales Bibliotheca sonos:
NOMINE PERPETVO MVSAS BEAT IPSE GALENVS;
IPSVM PERPETVO NOMINE MVSA BEET.

AD FR. AVERLIVM.

TREIS mihi proposui celebrandos, si modò vivam
Carmine, quod nunquam deleat ulla dies.
Vnus erit Princeps, erit Heroina secunda;
Tertia amans Nymphe, quam mihi junget Hym
At nusquam invenio, quos laudum fama suarum
Excitet, aut Musæ gloria digna meæ.
Tanquam cæcâ acie, tanquam surdâ aure, pigrantur
Cernere & audire. En, hinc lyra muta mea est!
Audiar? adspiciar? loquar. Ex mortalibus hercle
Semideos, Divos fecero, plusque Deis.
Feliceis animas, quibus hoc obtingat, AVERLI*!*
Me quoque felicem, quem trias illa beet!

Digitized by Google

AD LAVINIAM CATAM VENETAM.

QVI mihi te doctam LAVINIA, *qui mihi pulchram*
Rettulit, & castæ moribus esse Liæ;
Fecit, ut interni miratus pectoris artes
Naturæque hilaras exterioris opes,
Carmine te docto cuperem, te carmine pulchro, &
Carmine te casto concelebrare, CATA.
Sed tua, quod casti & docti pulchrique moratur
In terris, superat Juno, Minerva, Venus.
Doctrina Pallas, formæ Venus, Hera pudoris
Custodes gaudent ad latus ire tuum.
Tres dotes tibi cura, trium tu cura Dearum.
Quid pote tres dotes vincere, tresve Deas?

IN HISTORIAS CAROLI SIGONII.

QVISQVIS ductus amore veritatis
Illustrem sapientiam requires,
Sermonisve sonum disertioris,
Non sine ingenio sagace & alto,
Quale inest Italis; nec absque mirâ
Pulchritudine: REGNA *diligenter*
Perlustrare SIGONII *labora,*
Scriptoris sapientis ac diserti,
Acutique simul venustulique.
Imbutus, mihi crede, suavitatis
Ac dulcedinis huius illecébris,
Hoc est, deliciis meris Latinis;
Proh! sedes habitationis, aies,
Quattuor posuere Divi in uno

Digitized by Google

Tam ſollerte SIGONII *cerebro;*
Phœbus, Mercurius, Minerva, Pitho.

AD POLYMNIAM.
De Dudithio.

Si poſſes aliquid magno Polyhymnia dignum
Scribere DVDITHIO *verſibus eximiis;*
Vivere digna fores ſero diuturnior ævo,
Nomen & a memori ferre perenne notâ.
At potes. ipſe autem quid poſſum? nil, niſi doctum
Indocili verſu concelebrare virum.
Qualescumque tamen mihi vivida parturit aura,
Immortale gerent per tria ſæcla decus.
Si quibus includi ſummâ cum laude juvabit
Dudithium; numeros terminet ille meos,
Vt ſimul his moriar. Vatum poſt funera claris
Principium vitæ ſurgit in orbe viris.

AD ANDREAM DVDITHIVM CÆS. CONSIL.

Iam tria luſtra ſuos curſu rediere per orbes,
Vt tua mi primum cernere labra datum eſt;
Rhetore DVDITHIO *labra non indigna; Vienna*
Quâ rapidus flavis alluit Iſter aquis.
Non ego tunc auſus te adfari carmine, nec quum
Cæſarei numerus poſt gregis ipſe forem.
Nunc ubi depuditum eſt, Italis te Francus ab oris
Alloquor, eloquij ductus amore tui.
Paucula nimirum faciant volo, ne mihi tecum
Poſſe loqui veſter pluſcula ſermo neget.
Sæpe fit, alternê vocalis ut exſtet Arion,
Qui prius haud quidquam mutuit Harpocrates.

Digitized by Google

IN Q. VALERIVM CATVLLVM,

[redacted]m.

NEC Romanus eras, nec Veronensis, ut urbem
Abstulit & patriæ jus fera Barbaries:
Nam præter linguam tibi pessima bestia Quincte
Turparatque caput, conscideratque pedes.
Veronâ candor, Româ nitor abfuit ille,
Tecum ab Barbaricum missus in exsilium.
Nunc postliminio sortem miseratus acerbam
SCALIGER, adsertor civis in urbe sui,
Pristina jura tibi lacerosque redintegrat artûs,
Restituens patriam, restituens Latium.
Tempus in omne dehinc Latio patriæque vigebis,
Patriaque & Latium tempus in omne tibi.

AD CAROLVM SIGONIVM.

GRATIA, fama, decus, studio quæsita perenni
Præmia sub Latiæ mercibus historiæ,
Te similem faciunt Divis, præclare SIGONI;
Célsaque trascendit sidera tantus honos.
Respuis at laudes nimias, & temnis honorem
Vir prudens: adeó vita modesta tua est.
Pace tuâ liceat tamen, ignorante vel ipso
Te, laudum cumulos nominaque alta loqui:
Pace tuâ liceat vivis insculpere cedris
Effigiem Genij laureolamque tui.
Stetque foro titulus: PLVSQVAM DIVINA
SIGONI
HANC MERVIT SPARTAM GRATIA, FAMA, DECVS.

Digitized by Google

AD WOLVFGANGVM ZYNDELINVM.

De Carolo Sigonio.

PONDERA *mensuras numeros, levat exigit implet*
Natura ars ratio, lancibus ungue notis.
Naturam ingenium, rationem mens, opus artem
Ordine lege usu temperat auget alit.
Ingenio dux, menti rex, operi comes ultro
Obviat exstat adest Pallas Apollo Venus.
Praeit cingit sequitur regem comitemque ducemque
Dis vivax perpes gloria fama decus.
Naturâ gravis, arte decens, ratione modestus,
Cui mens ingenio fertile promit opus,
Ad lances unguemque notasque SIGONIVS *usu*
Censa, & lege emensa, ordine pensa refert:
Nonne igitur merito, te ZOPYRE *judice, punctus*
Mensuræ numeri ponderis omne ferat?

IN ALDVM MANVTIVM.

TREIS *animas si quis te dicat habere* MANVTI,
Nil equidem absurdi dixerit ille reor.
Patris avique duæ, tuaque uno spirat ab ore.
Nec tibi tam similis, quàm patris ipse & avi es.
Ergo quid prohibet, vel te indigitare MANVTI
Tergeminum patrem, tergeminum vel avum?

AD ARNOLDVM FERRERIVM, REGIS FRANC. AD VENETOS ORATOREM.

INTVEOR *siquando viros ætate senili*
Degere tranquillos & sine nube dies;
Vt mihi cum Musis Genioque senescere læto

Digitized by Google

Detur, amans Phœbi clamque palamque precor.
Te licet implicitum graviora negotia preſſent,
Impoſitâque ingens mole laboret onus:
Libera pacatæ non deſunt otia menti,
Nec tua FERRERI *vita quiete caret.*
Quippe homines doctos & amas, & amarier ultro
Haud dubiâ doctis ipſe merere fide.
Qui te cognoſcet propius; FERRERIVS *ævi*
Noſtri alter, dicet, Lælius eſſe poteſt.

AD MARC. ANT. MVRETVM.

Si veteres Genij cælum, MVRETE, *locumque*
In Latius nondum deſeruere plagis;
Auſoniâ remanere ſuos quoque credimus urbe,
Quæ caput imperij, quæ caput orbis erat.
Hæc bene promerito quum te jam cive triumphet,
Vindice Romanæ, non ſine laude, togæ;
Credibile eſt omnes uni inſervire tribuno,
Nec procul a nutu luminis eſſe tui.
Fallor, an & priſcis Geniorum oriundus Athenis
Ordo tibi famulas porrigit ipſe manûs?
O quem te memorem doctrinæ MARCE *monarcham,*
Cui Latium pâret, Græcia cuncta ſubeſt?

AD CAR. SIGONIVM.

QVEM *ſacer Aoniâ dignatur Apollo coronâ,*
Aureus ille mihi eſt; una Camena refert.
Eloquio reliquos Hermes cui vincere donat,
Gemmeus ille mihi eſt; altera Muſa refert.
Ex auro & gemmis ſi totus es ipſe SIGONI,
Quali exornaris ſplendidus ellogio;

Digitized by Google

An quisquam dubitet, quin omnia sint tua planè
Aurea, quæ scribis; gemmea, quæ loqueris?

HENRICO PORSIO.

TVNE etiam in *Thracum* PORSI *crudelibus oris*
Cantas imparibus carmina facta modis?
Suntne Deæ comites vestigia longa sequutæ,
Ismariamque tibi donat Apollo lyram?
An tibi non metuunt, ne, qualiter Orphea Bacchæ,
Discerpat rabidi te fera turba loci?
Omen abesto malum. superes, & salvus ad Hebrum
Regna tuis flectas Barbara carminibus.
Quippe canens istic ut es unus & unicus Orpheus,
Vnica sic uni debita fama tibi est.

AD HERCVLEM CIOFANVM SVLMONENSEM.

BARBARA *Nasonem jactabat terra Getarum*
In Scythicis omnem se tumulasse locis.
Arguitur falsi mendax. quod corpus habebant
Solum, mandarunt scilicet illud humo:
Namque auram vitæ Romam transmiserat ipse
Vivus adhuc, Genios ad genitale solum.
Occulti Genij latuere, latebat & aura;
Sic ut imago tamen stridula utrisque foret.
Tu præter caput inventum, reparare labores
Corporis integras HERCVLE *reliquias;*
Vt qui concinnê & Genios & junxeris auram.
Totum hinc Sulmo, omnem ceu sibi Roma tenet.
O mirum artificem! numquid tibi maius inesse
Quàm magno Phidiæ Praxitelique negem?

Digitized by Google

Quam cupidè adſpexi Peligni labra Poëtæ,
Quem tibi communis patria Sulmo tulit;
Tam ſum gaviſus feliciter eſſe repertum,
Cui tanti curæ carmina tanta viri.
Talibus auſpiciis o perge CIOFANE, *perge;*
Nec ſepeli Geny dona beata tui.
Quum vates, lucem te dante, revixerit; o quàm
Grande nefas, iterum ſi paterere mori!

Quo mage dilexi Naſonis amabile carmen,
Quam prius induerer crine rigente genas;
Hoc mage ſuſpicio frontem naſumque Poëtæ,
Et cum prolixâ laurea ſerta comâ.
At tuor eiusdem nunc picta lubentius ora,
Peligni quod ſunt HERCVLIS *illa typo.*
Adſpicis, ut numeros videantur hiante labello
Jam quoque queis olim pangere velle modis?
O ingens meritum! laudare CIOFANE. *nam quod*
Vnius urbis erat, tótius orbis erit.

NON *modò Naſonis duſ ſcripta* CIOFANE *luci*
Pura, tot e priſcis érutа codicibus;
Marmoris a Pary ſed imagine vatis ocellos
In nitido ſculptos ſubjicis ære tui.
Vt gaudet claras te cive reductus in auras!
Vt Tiberim læto luminis orbe videt!
Roma nova agnoſcit faciem illius. ille ſed urbis
Antiquam faciem noſſe nequire dolet.

IN OVIDII NASONIS OPERA, ab Hercule Ciofano reſtituta.

BARBARIES, *Ovidi Peligne, invaſerat audax*

Digitized by Google

Vrbem Romanam, teque tuosque libros:
Quam clavâ domitat tuus ille CIOEANVS. *an non*
Pelignum hunc scribes Amphitryoniaden?

DE LAVRENTIO GAMBARA BRIXIANO.

GAMBARA *Musarum puer ulnis fotus amicis,*
Haud Musis carus desinit esse senex:
Quæsque ætas coluit studio florentibus annis,
Iisdem nil operæ cana senecta negat.
Fal'or, an ut Musis vigor integrascit ab undâ,
Sic lotus Clariâ tu juvenescis aquâ?
Vtque ferunt aquilam renovari flore juventæ,
In tua purpureum sic redit ora decus.
Quid? redeatne decus, quod te non liquerit unquam,
Perpetuo quum sis par similisque tui?
Natus in Aonios cantûs, o GAMBARA, *nunquam*
Naturæ vires exuit albus olor.

AD MATTHIAM ANOMOEVM.

NON *modò Latoi geminâ memorabilis arte*
Præcellens in te virtus ANOMOE *relucet;*
Sed neque Phillyrides tam clarum fecit Achillem,
Splendor in illustres quantum tuus exstat alumnos.
Tam bene dividere es prudens horasque diesque,
Vnus ut alterius labor haud frustretur opellam.
Ecquis te melius norit impéndere tempus;
Vtilitas aliis, honor unde redundet agenti?
Ægrorum curam, quâ nulla potentior ars est,
Musarum haud minuit studium geniale: neque istu
Detrahit officio quidquam, neque cura, probate.

Digitized by Google

Ergo labor positus non frustra, seminis instar
Frugiferam jacti in terram, bene nempe merenti
Dat mentem claram, cor lætum, nomen in ævum.

AD NICOL. HILLERVM CONSTANT.

VIRTVTES & doctrinæ genus omne sequutus,
Maturum Sophiæ tramite carpis iter.
Vt sapis o HILLERE! tuum est, quod avunculus heres
Occupat, eloquium qui Ciceronis habet.
Illius ad specimen tu te componere sollers
Non in postremis annumerandus eris.
Macte tuis hodierne bonis, & crastine macte:
Sic ZYNDELLINO dignus amere nepos.
ZOPYRVS ille mihi est. nemo prudentior illo:
Nam non ad vulgi trita palata sapit.
Hic verè sapiens, qui non, quod is usque amat, odit;
Et qui non, idem quod merito odit, amat.

AD ADOLPHVM OCCONEM, AVGVSTANVM.

SOLLICITIS urges verbis intrare potentum
Limina, quem raro limina tanta juvant.
Vivo mihi, & quantum possum prælustria vito:
Inter inæquales vix stetit altus amor.
Vt cupiam gessisse tibi cultissime morem;
Incutiunt sicco pocula multa metum.
Adde quòd ignotos ignotus adire pavesco,
Res nisi cum celebri sit peragenda viro.
Tutandæ legitur mihi cura potissima vitæ:
Dispereat, quisquis trux homicida sui est.

Hæc mens, hic animus mihi: ſic ago ſobrius ævum.
Æquiparat magnos ſobria vita Deos.

AD IACOBVM FVGGERVM, COMITEM.

ADVCTVRVS erat tenuem me nuperus umbram
Occo ſub illuſtris limina ceſſa domûs.
Vmbra latére domi ſatius fore rebar in umbrâ,
Ne tuus obſcuro ſplendor obeſſet, Here.
Cum tamen urgeret gravis Occo ſenilibus annis,
Ne mea Muſa inter ἡῶα πρόσωπα foret;
Hæc tibi Muſarum volui donare patrono,
O animi magnis aucte IACOBE *bonis:*
Quippe ſacras olim ſumpto ſine munere nemo
Aras audebat tangere cælicolûm.
Si bonus ad ſulges; obſcurior hæc mea, ab aurâ
Illuſtrata tui luminis, umbra nitet.
Hoc nitet hæc umbras inter mage, quo magis inter
Semideos præſes ſplendidus ipſe micas.

AD HIERON. BAVMGARTNERVM, TRIVMVIRVM NOR.

NI ſcirem, fore grata tibi chartacea vatis
Munera, quæ xenij jam tibi dono vice;
Non equidem tenues auderem forte papyros
Porrexiſſe, meus qui ſolet eſſe pudor.
Sed tamen accipies, ut cetera, fronte ſerenâ;
BAVMGARTNERE *atavis edite nobilibus.*
Si non Auſtriaco ſunt diſplicitura RVDVLPHO,
Imperij ſummum qui diadema gerit,
Te penes an credam vileſcere carmina noſtra,
Qui dignum æterno carmine nomen habes?

Digitized by Google

AD IVLIVM GEVDERVM SENAT. NOR.

O SENVM *princeps Juli* GEVDERE *virorum,*
Norica quos patribus curia connumerat;
Tune etiam, præter modulati carminis orſum,
Propria aves dextræ ſigna tenere meæ?
Grammata num tanti facies manuaria cenſor,
Præs ut ob hæc exſtem perpes in ære tuo?
Signa dabo, nullis intercaſura diebus;
Cynthius Eoo dum vehet orbe diem:
Præcipuosque inter ſcribam tua nomina IVLI,
Quos immortali verſus honore beat.
Nam cur non ſacrem teque & tua nomina, quando
Alpha ſenatorum patriciûmque clues?

AD ANTON. GEVDERVM SENAT. NORIB.

ANTE *manu ſcriptas non dedignatus es odas:*
Jam lege chalcographis omnia cuſa typis.
Forſitan invenies, quod te juvet. ut nihil adſit,
Quod juvet; heicce tamen nonnihil eſſe puta.
Quod ſi non proſum; tamen aut delecto legentes,
Aut jucunda apibus grátaque dico meis.
Quidquid id eſt; te participem GEVDERE *libelli*
Quin facerem, potui ſequius haud facere.
Non tu cenſor, Ariſtarchus, criticusve poëtæ es:
Nomina ſunt titulis hæc leviora tuis.
Et maius graviusque aliquid deberier, aio.
Quid? næ pecco, meum te niſi pono Jovem.

Digitized by Google

AD SEBALDVM WELSERVM.

QVOD faciunt alij, ſed raro, mente ſenili;
Tu, licet imberbis, docte SEBALDE *facis:*
Audin' ut Ægidij plutei tua dona loquantur?
Ære tuo ſtructa eſt Bibliotheca recens.
Creverit hæc numero, ſimul illâ tu quoque creſces,
O nova Welſeriæ fámaque lausque domûs:
Mox &, patricius ſanguis de gente vetuſtâ,
Inclitus ex patriæ more ſenator eris.
Æternant meritum Charites Muſæque benignæ,
Quas debitrices muneris huius habes.
Nam tibi cur non hoc penſent bona numina, quum tu
Sis facie juvenis, mente animoque ſenex?

Memoriæ ſempiternæ CHRISTOPHORI IVLII IC. Reip. Norib. conſiliarij.

QVAM tua conſiliis ſapiens prudentia IVLI
Vtilis, ac dubiis commoda rebus iit;
Norica ſi taceant monumenta, loquetur abunde
Fama, per Almanas non tacitura plagas.
Indefeſſus eras quamvis ætate ſenectâ:
Vsque tibi curæ jusque bonumque fuit.
Nil urbis ſtudio potius rebaris, ut eſſet
Integra Marte foris, integra pace domî.
Te ſi fas, ut erit fas, æquiparare vetuſtis
Illis, quos Latium protulit ære, viris;
Quis dubitet, quin te poßimus jure renatum
Dicere Sulpicium, Semproniumve Sophum?

CHRISTO-

Digitized by Google

CHRISTOPHORO FABIO IVLIO IC. Reip. Norib. consiliario.

Tu patris exemplum docti per cuncta sequutus,
Docte FABI, *similes scandis in alta gradûs.*
Scævola Germanis alterque Trebatius aulis;
Omnia nam memori pectore jura tenes.
Floruit auspicijs Respublica Norica tuis,
Usa tuo suasu, ductibus usa tuis.
Usque adeó pulchrum est vestigia nota priorum
Et legere, & summâ cum ratione sequi.
Nec minus ingenuum est, patriæ virtutis honores
(Quâ pote) constitui nobiliore loco.
Ut bene res geritur, quando & consultior æqui
Ipseque consultor mutua jura colunt!

CHRISTOPHORO ANDREÆ IVLIO IC. Nor. consil.

Mitteris in patrita nepos & avita Pylæa
Legibus ANDREA *dedite Romuleis:*
Cui Themis obstricta est, juris veneranda magistra;
Quæque alij ignorant, cernere mente dedit.
Vincere tu studio Labeones, vincere Nervas,
Duxisti summum, nec sine laude, decus.
Plus igitur fidei tribuat cum patria alumno,
Sive ob avi meritum, seu benefacta patris;
Ecquis erit, quem livor agens præposterus urat?
Dignus es ingenij præmia ferre tui.
Nam si promeritis succesti tertius heres,
Cur te non triplex concomitetur honos?

Digitized by Google

AD GEORG. LVD. HVTTENVM.

FRIGORE *dum medio comites proficiſcimur unâ,*
Emenſi Francâ tot regione vias:
Verê ſinceram nobis HVTTENE *probaſti*
Mentem, candoris maxima ſigna tui.
Adſpice, quo niteat nix hæc albore; cycnique,
Purior in patrio quos alit unda lacu!
Tu tamen es multo LVDOVICE *(nec auribus hoc dem)*
Candidior nivibus, candidiorque cycnis.
Non igitur Fortuna favens reſpondeat optem
Par animoque tuo, par meritisque tuis?

AD ADOLPHVM OCCONEM.

QVI *tibi perpetuam vitam nomenque paraſti,*
OCCO *Pæonij cura paterna Dei:*
Nominis e famâ, partæque e limite vitæ
Exire invito numine pergis iter?
Haud ita fas. properes ut fata ſubire, vetabit
Phœbus, & Aonij turba novena chori.
Militat in caſtris ſacræ qui tiro Minervæ,
Atque ſenens inibi dux veteranus agit;
Non niſi Palladij decus immortale meretur
Vindicis, & palmæ præmia nactus habet.
Mors agit in vitam; ſed mortem vincere laudi eſt:
Nam virtus omnes effugit una rogos.

CONTIGIT *æternis cui vita & fama tropæis,*
Præparat ad mortis ſe vetus OCCO *viam.*
Fruſtra eris OCCO. *mihi & tibi vives. nam quoq;*
Par tibi ſe geſſit, non potis ille mori. [*quisquis*

Digitized by Google

AD GEORGIVM PALMAM.

QVANDO sub incúdem revocantis opuſcula noſtræ
Venerit in lucem cura ſecunda manûs;
Proximus inter eos PALMA *adnumerabere, quorum*
Sacrum eſt æternæ nomen amicitiæ.
Cur tibi non iſtud tribuam; qui fidus amaſti
Me prior, ac nondum cum tibi viſus eram?
O ſanctum merito & cunctis venerabile pectus!
Dignum, cui ſummo poſita ſit ara loco.
Viderit hanc aliquis; Divini, fabitur, hæc eſt
Pectoris ara decens, carminis arrha placens.

AD ABELVM STRASBVRGVM.
De Iacobo Tomingio IC.

PRÆSTANTES olim felicia in urbe Quiritum
Juriſconſultos ſæcla tuliſſe palam eſt.
Tot quibus hoc ævo confer STRASBVRGE *Solones;*
Haud noſtri titulos laude minore gerent.
Hos inter celebris caput ipſe TOMINGIVS *altum*
Extulit, hydrarum victor ut Argolidum.
Horrifica ille potens armis contundere monſtra;
Hic validâ griphos diſſicere arte vafer.
Exanclavit agens immenſos ille labores;
Non minus hic forti pectore dura tulit.
Fas ergo ut ſocero (nam debita præmia doctis)
Lemniſcata ferat palma perenne decus.

AD IOHANNEM ROSINVM.

SI quid jucundi eſt priſcis impéndere curam
Rebus, & Auſonij jus iterare fori;
Æquè jucundum mihi ſuscepiſſe laborem

Digitized by Google

Crederis, ac dignum posteritatis opus.
Vtile non defit. quin & tibi parta ROSINE
Fama per æternos haud abolenda dies.
Vrbis honos, tuus est: per te namque illa revixit
Cum Genio, Genij quæque fuere prius.
Roma tibi grates aget, & benefacta Quirites
Agnoscent; Tiberim quæ meminisse volo.
Non patres æterna tibi monumenta sacrarent,
Vrbi qui Latiæ tot monumenta sacras?

AD ABELVM STRASBVRGVM IC.

IAM *tandem sperata capis* STRASBVRGE *laborum*
Præmia, jamque novo lætus honore cluis.
Contius haud frustra dignam, & Cuiacius acer,
Haud frustra in studiis fert Hotomanus opem.
Laus sua Fornerio, sua debita laus Campavo;
Cuique Bonæ-fidei munera fama dedit.
Nec minor Ausoniis Gallisque recluſit opertum
Dissertabundi lingua Vesenbecij.
Felicem ætatem, quæ præcursoribus usa
Talibus, ad summos scandit anhela gradûs!
Ecquis eos sanctê non curet ametve, doceri
A quibus adsiduê non Themis ipsa negat?

AD IOHANNEM BADEHORNVM, LEONARDI IVRISC. F.

IVRIS *& ingenuæ doctrinæ dotibus auctum,*
Et morum insigni lumine conspicuum
Collocat in summâ te nunc BADEHORNE *cathédra,*
Qui, studiis merces, obtigit altus honor.
Non frustra Italiam juvenis, non Gallica regna,
Nec frustra es magnos ausus adire viros.

Digitized by Google

Sobria temperies animi, quocumque venires,
Tutum a damnosis præstitit illecebris;
Incautos quæ sæpe solent pervertere, cum mens
Turpibus indignum cessit honesta locum.
Assecla quæ tibi laus aderit, vestigia posthac
Si meritis clari nate sequare patris?

AD ANTONIVM GEVDERVM VIRVM NOB.

ORBA erat uno oculo Respublica Norica; fratre
Nempe tuo, patriæ quo stetit urbis honos:
Vrbis honos, gentisque decus, roburque Senatûs,
Aonijque salus intemerata gregis.
Ordo Senatorum luscam ne cerneret urbem;
Te numero adscivit, sorte favente, patrum;
Restituitque oculum sibi. quis GEVDERE *negaret,*
Plusquam Lynceos patribus esse oculos?

AD IOACHIMVM NYZELIVM SEN. NORIMB.

EDITA quòd proles diu in luminis oras
Salva est, cum salvâ cernere matre juvat.
Gaudeo Lucinam gravido favisse dolori:
Te fulcro illæsum stat IOACHIME *genus.*
Nyzelidûm generosa novis florescere ramis
Stirps amat, & fetûs multiplicare suos.
Sanguinis auctores quinis pernobile sæclis
(Vt multum) vestros stemma recenset avos.
Vlterius posset; patriæ nisi mœnia quinctus
Henrix vertisset funditus exscidio,
Contra fas bello cum persequeretur iniquo,
Imperij sceptris exueretque patrem.

Digitized by Google

Preſſa olim ſurgunt, vincuntque evicta. Tyrannis
Exſtinctis ſuperest priſcus in urbe vigor.

DE IO. HAINRICHO HAINZELIO, SENATORE AVGVSTANO.

SVEVIDOS *Auguſtam jubar ingrediente Rudolpho,*
Interfuturo comitiis;
Fulcrifer HÆNZELIVS *de ſex Atlantibus unus*
Stellata viſus dignior
Cæſarem inumbrantis velamina ferre caduci.
Cuncti ſenatores erant:
Sed tantâ inter eos virtute excelluit ille,
Quanto imperator principes
Antevenis ſplendore; & equus tuus, ille equus alb
Candore vincit Pegaſum.
Vera loquor, non ficta. ideo magis hunc volo credi
Præſtare ceteris viris.

AD ANNAM PALLANTIAM.

FINGERE *quid Muſas Charitesque ipſasque Napæ*
Sueſtis Pierio turba dicata choro?
Quidve Deas illas, quarum pulcherrima formæ
Munera dos pomi judicat aureoli?
Quisquis es, obſerva Genium Pallantidos ANNÆ,
Et tantæ numen devenerare Deæ.
Omnis in hac unâ virtus, doctrina decusque,
Gratiaque & ſplendor, formaque rara latet.
Et quid non? latet? immo ubivis ſpectantur apertè
Enthea divini pectoris indicia.
Ni verem, moriar. Mihi pluris es ANNA, *& eris, q*
Muſa, Napæa, Charis, Juno, Minerva, Ven

Digitized by Google

AD HIER. BAVMGARTNERVM.

STEMMATIS *antiqui viridem qui ſigna paterna*
Pſittacon, & clipeo Lilia pulchra geret,
Filiolo, generis ſpe certâ, rurſus es auctus
BAVMGARTNERE; *domus ne ſine prole cadat.*
Soſpitet alma Salus puerum. Maioribus ortus
Tam claris, fas eſt clarus & ipſe fuat.

AD IOAN. HAGIVM FRANCVM.

RVMPE *moras* HAGI, *ſcriptamque fideliter abs te*
Vlterius VITAM *ne preme* LOTICHII.
Illius hoc orant Manes, oramus amici:
Præcipuê ante alios Neuſteter orat eques.
Quantam apud Almannos meruit Cameraria laudem
Penna, Melanchthonium fida referre decus;
Lotichij ex obitu tantam ipſe mereberis olim,
Narrator veræ ſedulus hiſtoriæ,
Quàm bene diſpertita opera eſt, tibi ſic dare vitam
Funera, tu vitam das uti funeribus!

AD PETRVM ET PAVLVM RIETEROS, FRATRES.

CVI *potius, luctum gentilis habentia veſtri,*
Inſcribam melicæ carmina mæſta lyræ;
Quàm vobis, o RIETERVM *de gente vetuſtâ*
Progenies, nullo mi reticenda die?
Quotidie exſolvo promiſſum. namque recepi,
Nulla unquam Soli pervia ſigna fore,
Quin aliquot proceres in Noridos urbe quotannis
Muſa mea a mortis legibus eximeret.
Digniùs ecquid enim eſt, quàm morte carentia, Fratres,
Carmina laudatis pangere digna viris?

IN A. GELLIVM A LVDOVICO CARRIONE NITORI RESTITVTVM.

MERSÆ in tenébris cum ſuo olim Gellio
Noctes jacebant Atticæ.
In lucem apricam litterarum commodo
Vt prodiere; vix pote eſt
Dici, ut repletas plurimâ caligine,
Vt noctis offertiſſimas
Conſpexerimus: donec abſterſis tuâ
Operâque & oleo, CARRIO,
Maculis & umbris, queis ſcatebat admodum
Tam luculentus auctor, &
Tam ſcrupuloſus, lucis uſuram novæ, &
Splendorem adeptæ ſint novum.
Non te hinc feramus alterum Solem, & tuum
Lychnum diei vindicem?

AD CAMILLAM MORELLAM.

TE licet addictam ſtudiis acubusque Minervæ
Occupet aſſiduis hora diurna operis:
Si tamen inſomnem contingat ducere noctem,
Sisque mei forſan docta CAMILLA memor;
An mihi tantillum renues impéndere curæ,
Vt pendes modulis carmina multa modis?
Multa voco, Genium nimio obtundentia plauſu,
Dum ſtudeo numeros elicuiſſe tuos.
Cernis: meritam: dices. Meruiſſe negabis
Laudem? laudes fac mereare deinc.
Ah! ne [illegible]es. Franci præconia vatis
Ridiculo [illegible] nata ſinella patre?

Digitized by Google

Audio Germanus? Germanum dilige vatem:
Germanos ambit Romā etiam ipſa modos.

HIERONYMO MARNEFIO.

TYPIS *venuſtis edidiſti plurimos*
Priſcum Poëtarum libros,
Illosque decoraſti figuris eiconum
Perquàm artificioſiſſimis;
Studia & labores æmulatus maximos
Sebaſtiani GRYPHII.
Vatum Poëſis, MARNEFI, *recentium*
Tibi rependat gratiam,
Tuumque nomen inter illa collocet,
Quæ reddidit celebria
Pridem vetuſtas. Eia age o viridis ſenex,
Meo quoque in libellulo
Noteſce. Fama nulla durat, quæ nova eſt;
Sed quæ vetuſtatem ſapit.

AD ARNOLDVM SITTARTVM.

PROPINQVVS *tuus ille* IANVS *olim*
Vt BIRCMANNVS, *idoneê librorum*
Doctâ congerie typo imprimendâ,
Cognitiſſimus exſtitit Camenis;
Quâ Rheni viridis ſecundum ad amnem
Stat lunata Coloniæ crepido:
Sic ad nobile Sequanæ fluentum,
Quod Lutetia grandis occupavit,
Tu SITTARTE *dehinc typographorum*
Evades celeberrimus, recenti
Libros utibiles in officinâ
Cudendos operâ acriore curans.

Digitized by Google

Non promiſcua quæque ſunt in auras
Emittenda, ſed inter illa carptim
Eſt delectus habendus. Optimorum
Semper conditio optima eſt librorum.

HIERONYMO CAVELLATO.

ADSPICE, *quàm multis* HIERONYME *veſtra refer-*
In Lare materno Bibliotheca libris! [*cta eſt*
Cuncta patent tibi inempta. patet tibi, quidquid ubique
Scriptorum veterum pervoluiſſe velis.
Inſuper ad ſtudium te magnus avunculus excit,
Excit & adſinis mutua cura tui:
MARNEFIVS *ſenior*, SITTARTVS *junior amnis*;
Non ſine doctarum cœtibus Aonidum.
Ingenio polles. accedat plenior ætas,
Non erit ingenij vena ſepulta tui.
Quære CAVELLATVM *ſuper aſtra extollere nomen,*
Clarorum factus pars aliquanta virûm.
Nam quem non clarum tam docta Lutetia reddat,
Quâ nihil hic ingens clarius orbis habet?

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER OCTAVVS.

VRANIA.

VRANIE callens patrij myſteria cæli,
Ex homine efficio per rata verba Deum.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

SIDERA perfectum perfecto vertice numen
Inſtinctu largi compoſitura poli,
In te naſcentem, DEA præclariſſima, ab alto
Transfudere omnes æthere divitias.
Nulla tibi non ſtella bonos indulſerat ignes;
Nulla tibi ſuperas flamma negavit opes:
Juppiter in primis cum Sole, & Luciſer almus,
Mercurijque favor, Lúnaque Fortis hera.
Felices oculos, qui talem heroida cernunt!
Felices populos, qui tua jura colunt!
Quidquid es, es fato: fato tibi debita regna.
O diu in his terris aurea DIVA mane.
Hinc abeas? abiit ſplendor. Quæ pœna ſit, atras
Si referat tenebras exitiale chaos?

IN VEHICVLVM ROSINÆ.

FLAMMIFEROS mirabar equos, ciſijque volúcris
Quo mea conſedit vecta ROSINA, rotas:
Currus hic Auroræ eſt, mihi conſcia dictat herilis:

Digitized by Google

Hunc Aurora tuæ miſit habere RHODÆ.
Solis equi trijuges, Pyroeis Æthonque Phlegonque
Hunc raptant. Soli ſolus Eous adeſt:
Nam ſpatium breve ſolſtitio Caper algidus arctat,
Quod ruber extenſo tramite Cancer obit.
Sic ait. Ignivomis ſplendebant omnia flammis;
Spirabat rutilas ipſa ROSINA *faces.*
O quam te venerer Divam, cui Memnonis altrix
Aurea ſuppeditat eſſeda, Phœbus equos?

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

NIL *præter Phœbum & Muſas cantare poëtæ*
Norunt; nil præter Pallada commemorant.
Numina neſcio quæ fabricant ſibi falſa; Deosque
Mendaces vanâ fingere mente ſolent.
Verius en vero tibi, dulcis ELISA, *profabor,*
Quod poterit tuto credere poſteritas.
Numen es ipſa mihi & quid numine maius. Vtrumvis
Vt negites, numen te tamen eſſe loquar.

DE ROSINA.

DVM *ſedet, & flavis ad aprici lampada Solis*
Tinguitur aureolo rore ROSINA *comas;*
Cur vultum umbroſo tegit occultata galero?
Splendentes oculos cur tibi Phœbe negat?
Crediderim radios hebetatum luminis iri
Phœbe tui, radios ni tegat illa ſuos.

AD PHILIPPVM SYDNEVM.

VNICA *ſi tantas comprendere chartula poſſet*
Virtutesque tuas, ingeniique bona;

Digitized by Google

Iſta recenſendis tamen haud foret omnibus una
Aptior, anguſtis charta minuta plicis.
Nam tot ineſſe tibi bona cenſeo, quot cava fulget
Flammeolis cæli machina ſideribus:
Tuque micas SYDNEE, *velut Sol aureus ortu,*
Prævia cui purum Diva ſerenat iter,
Quis ſaperet, tantum ſi Solem, tántaque vellet
Sidera tam brevibus claudere paginulis?

AD ROSINAM.

Ex Italico Petrarchæ.

PHOEBVS *ubi, certas anni qui dividit horas,*
Purpureum Tauri migrat in hoſpitium;
Maſcula vis pariter ſuccenſis cornibus exit,
Fertilis induitur terra colore novo.
Nec modò pinguntur, per apertas luminis oras,
Floribus & colles prátaque læta foris;
Ipſe ſed interior ſub opertis tractibus humor
Ex illâ gravidus pullulat ecce face:
Hinc legimus fructum, & ſimili naſcentia fetu
Germina, maturi temporis arbitrio.
Sic tu flammiferis invecta ROSINA *quadrigis,*
Inter virgineos Sol meus ille choros,
In me cum radios oculorum ſplendida vertis,
Accendens penitus igne calente fibras;
Senſa creas in amore nova, & res verbaque amantis,
Et quæ præterea fax parere illa ſolet.
Aſt utut hoſce movens gyres, utut hoſce gubernes,
Me miſerum! nunquam ver mihi dulce nitet.

Digitized by Google

AD CÆLIVM SECVNDVM CVRIONEM.

De Olympia Fulvia Morata.

CVRIO, *Musarum (ceu dicis)* OLYMPIA *Musa*
Nec decima est, Charitum quarta nec ipsa Charis.
Sola est tres Charites, Charitum trias illamet una;
Nomineque agnato est ipsamet Vranie.

AD CORONAM BOREAM.

CORONA *gemmis Gnossia emicans novem,*
Axis Boréi sidus, & decus poli;
Cur sola compáres ocellulis meis,
Astris utrinque nube tectis candidâ?
Vt sola fulges inter altas stellulas
Conspectius; sic ceteras conspectior
Mi sola fulget inter aulæ virgines,
ROSINA *gemmis aurea emitens novem;*
ROSINA *nostri* MARGARITA *pectoris.*

DE ROSINÆ SPLENDORE.

SEPTIMA *lux idûs præcedens sacra Novembres,*
Quæ cadis in Solis puriter orta diem:
Cur magis exoreris Maiis formosa calendis;
Lunâ virginei regna tenente sinûs?
An quia me nitidum nova vestis iánthina velat,
Æthere prælustris candidiore nites?
Anne quòd Auroræ vidisti sidera nostræ,
Hinc radians solito blandius aura tepet?
Me ROSA *mane novo claris adspexit ocellis,*
Illustrans radiis aëra nempe suis:
Inde serenatam succendit lampada Phœbus.

Digitized by Google

Tanta puellæ oculis vis penitralis ineſt.
Et dubitem, mundo ſi deſint lumina, ocellos
Poſſe RHODES *mundo lumina ſufficere?*

AD DANIELEM ROGERSIVM ANGLVM. DE ROSINÆ cantu.

ASSA *ſive canat* ROSINA *voce,*
Inſtar luſciniæ fritinientis;
Docto pollice ſeu fides pererret,
Sive utrumque melos ſimul vibriſſet
Et linguâ & digitis decenter aptis:
Extra me migro. præripit ſonorus
Concentus mihi cor jecurque; & ipſa
Fertur mens animi leves in auras.
Cæli jam videor vehi per aſtra,
Audiens Genium chorum occinentem;
Dum Pſalmos iterat puella, miræ
Flexu vocis, & actione dextræ.
Exclamo obſtupefactus, o ROGERSI:
Aut ipſa Harmonia eſt ROSINA *cantrix,*
Aut eſt Angelicæ genus catervæ,
Aut certê Angelus hæc agit per ipſam.

AD CHRISTOPHORVM COM. PALAT. RHENI.

QVALIS *in excelſo vectus Sol ſplendet Olympo,*
Inter & illuſtres aurea Luna faces;
Non aliter trabeâ princeps invecte curuli,
Virgine germanâ pone ſequente, nites.
Ætheris utque duos clariſsima lumina reges
Ordinibus ſtipant aſtra minora ſuis;

Digitized by Google

Aulica turba duces ita vos comitatur euntes.
Jam quos anticipes, quosque sequaris, habes:
Nec glomeras orbes minus ipse sororque rotundos,
Quàm gyros iterant Lunaque Solque suos.
Singula conveniunt. Ignoscite numina cæli:
Scilicet in terris hic Deüs, illa Dea est.

STELLA CASSIOPEA

Quæ conspecta est ab anno Christi
CIↃ IↃ LXXII, in annum
usque CIↃ IↃ LXXII.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

FAX ego, quam stantem juxta Cepheïa conjux
Adspicit Arctoo clara micare polo;
Immutanda gravi præsagio regna tumultu,
Atque intestinis motibus excidia;
Vrbibus & cives vivuandos, civibus urbes.
Peste, fame, bello gens numerosa cadet.
Sanguinis undantes rivis spectabitis amnes;
Temporius Nymphis prospice Rhene tuis.
Tu tibi nil metuas, REGINA. Neronibus instant
Exitia & mortes, nunque pianda nece est.
Nempe malis mimitor tristis ad Averna ruinas;
Ast iter huc lætum gradior ad astra bonis.

IN NOVAM STELLAM.
ANNO CIↃ IↃ LXXII.

PROXIMA Cassiopæ gyro quæ circinat Arcton,
Par radiis nivei stella serena Jovis;
Est oculus CHRISTI, caram qui lumine fixo

Cautibus

Cautibus in duris adſpicit Andromedam:
Andromedam rigidis vinctam ſua colla catenis,
Cui variis inhiat bellua ſæva modis.
Euge metûs inter medios Eccleſia gaude:
Servator Perſeus hic tibi verus adeſt.
Qui caput anguineæ rigido abſcidit enſe Meduſæ,
Non daret ille etiam cetera monſtra neci?

AD I. C. ET CH. CC. PP. R. DD. B.

SANGVINIS in tantum profuſio cæde vaporat
Aſtra cruentarat candidulumque polum,
Horrida tempeſtas ut in atras clara dierum
Noctes, inque vetus verterit hasce chaos:
Sol & Luna amnes lacrimarum emittere viſi;
Confuſo narunt ipſa elementa ſalo.
Conſternati animis ſterunt hominesque feræque:
At potis heic pluvium ſiſtere nemo Jovem.
Quum transvecta repens huc tormentaria pulvis,
Nequicquam in Belgas ejaculanda, venit.
Qua ſimul ac nubes incenſa diremit opacas,
Lætior en rerum priſtina forma redit.
Euge Duces! terrisne parum eſt dominarier amplis?
In cælos vobis dat Deüs imperium.

AD ALFONSVM II. FERRARIÆ DVCEM.

VT procérum ſubolem claris natalibus ortam
Nominibus virtus ornat avita ſuis;
Sic ubi degeneres natos ignavia turpat,
Maiorum partis derogat ipſa bonis.
Splendori contra ſplendor novus addit honorem,
Poſſeſſas heres dum vigil auctat opes.

Digitized by Google

Propagas ALFONSE *decus præstantibus armis,*
Æternâque nitens lampade lumen alis.
Sidera quum fuerint atavi præclustria vestri,
Quorum nunc etiam fax sine fine micat;
Quem fore te mirer, dux illustrissime, clarum
Vincere qui Solem reberis esse parum?

AD WILHELMVM LANDEGRAVIVM HESSIÆ.

SI *mea ceu nitidæ fulgérent carmina gemmæ,*
Quæ Jove nata mihi præcipit Vranie;
Principis Hessiaci decus ornatura, nitorem
Conferret stellis plurima gemma tuis.
Quid loquor insipiens? non sunt mea carmina gemma,
Gemmarumve aliquid luciditatis habent.
At te splendorem capiunt. tu natus ab astris
Num possis rutilas occuluisse faces?
Irradia melicis. Dea te cælestis amabit,
Perpetuo radiis reddita clara tuis:
Solus enim princeps stellarum stella refulges,
Dans lucem terræ, dans GVLIELME *polo.*

EX MELISSI GERMANICO.

LAVDIBVS *insignes,* *Caroli Fran* *Coa propago,*
Vsque per antiquus *Atavorum* *Heroës ab auso;*
Davidicus liber hic *Sine vest* *Re munere luce*
Obscuri metuens *In lucem ex* *Ire veretur.*
Vestro spero equide *M reddetis* *Sole coruscum.*
Inclita nonne trium laus *In Germanide* *Terrâ est*
Clara, velut Solymi *Regis dec* *Ora alta Sione!*
Vestra Palatinas quoq *Ve gloria lam* *Padas inter*
Splendet, tergeminis *Stellis ut* *HONORVS Orie*

Digitized by Google

AD LVDOVICVM SÆNÆVM COMITEM.

AVLÆ Sol, Academiæque ſidus
Princeps Chriſtophorus, jubar Meliſſi,
Noſtra cui fuerat Camena melli,
Suus cui fuerat poëta cordi:
Reverti nimis heu diu moratus,
Lucem quando negat ſcholæque & aulæ,
Lucem quando negat ſuo Meliſſo;
Ah, eclipſis oborta quanta cunctis!
Ah quantæ tenebræ ſuis tenébris
Immerſere aliis mihîque ocellos!
Hac caligine tu meis ocellis,
O comis Comes, hacque noctis umbrâ
Diſcuſſâ radiis tuis coruſcis
En novum reparas jubar Meliſſo;
Noſtræ viſus item recens oriri
Aulæ Sol, Academiæque ſidus.

AD GEORGIVM SÆNÆVM COMITEM.

TE quoque Muſarum Charitumque decóre nitentem,
O Comes illuſtri progenerate loco,
Si patiare, meis intexere pergo libellis,
Quo tuus alta poli ſidera tangat honos;
Laus velut & fratris. nec, in his uter, autumo reffert,
Poſterior fiat ſidus, uterve prior.
Namque ita Tyndaridæ gemini cum Cáſtore Pollux
Conſimili retinent laude perenne decus.
Illos obſcuris Lede tulit OEbalis OVIS:
At vos conſpicuis celſior ortus AVIS.

Digitized by Google

Debita ſi fuerant illis æqualiter aſtra,
Vos aſtris aliquid maius habere decet.

AD FABIANVM BVRGRAVIVM DONÆVM.

GLANDE *Palatini columen* FABIANE *ſenatûs,*
Mágnaque DONÆÆ *fama decusque domûs;*
Poneris exemplo, doctrinæ gloria rarae,
Doctorumque venis clarus in ora virûm.
Virtus nimirum tua tanto illuſtrior exſtat,
Quo magis heroo pectore celſa ſapis.
Abs te ſplendorem ſumunt, qui docta ſequuntur
Numina, ut a Phœbo flammea ſigna facem.
Sidus es Aonidum. Sol óccidit; at tua lampas
Occasûs expers perpete luce micat.
Si pateris (patiere autem) non temporis huius
Auſim te Solem nominitare novum?

AD HARTMANNVM HARTMANNIDEN EPINGENVM.

PRÆDITVS *humani compagine corporis unâ*
Vnus homo non es; ſed tamen unus homo
Quinque Deos HARTMANNE *refers. mihi Phœbus*
Aurea dum vultûs lumina cerno tui. [alter;
Minos ipſe; tenens æquo libramine lancem.
Iuppiter es; gravitas nam tibi comis ineſt.
Mercurius; facunda fluit quia gratia linguæ.
Alcides; fulcis dum grave Atlantis onus:
Nempe Ducis noſtri, quem pondera magna ferentem
Suppoſitis humeris mole gravante levas.
Quanto igitur maior numerus quinarius uno,
Tanto Diis potior quinque putandus eris.

Digitized by Google

AD IOAN. CHRISTOPHORVM ET GEORG. ERASMVM BARONES TSCHERNEMBLIOS, FRATRES.

FIXIS vultibus utriusque veſtrum
Vultûs ingenuos prope intuenti,
O ZERNEMBLIACÆ decus propágis,
Apollo mihi dictat hæc in aurem,
Quæ vobis ego rurſus haud in aurem
Dictitem, ſed in omnium ora paſſim
Vulgem. Sideribus pares uterque
Cum ſitis geminis, poli illa Diva
Te, mi CHRISTOPHORE, alterum libenter
Vocat Cáſtora; teque, care ERASME,
Pollúcem vocat alterum. ſed ipſe
Vos, pace Vraniæ ipſiusque Phœbi,
Nec non fratrum Hélenes, vocare ſumam
Longê Tyndaridis nitentiores,
Multo Tyndaridisque pulchriores.

AD AMICVM.

LVX tua, nos abitum quum mæſta parare videret,
Mille tibi amplexûs, oſcula mille dabat,
Diſceſſumque tuum lacrimis deflebat obortis,
Et ter ubi tales ederet ipſa ſonos;
O cælum telluſque mei miſereſcite, & o tu
Juno meis lacrimas fletibus adde tuas:
Intonuere poli, deſcendit & humidus imbri
Juppiter, & lymphas arida terra bibit.
Condolui; pluviasque inter largasque puellæ
Guttas conſcenſis protinus imus equis.

Digitized by Google

Ventum erat in campos. nubes fugêre, nitensque
Sol iterum roſeo protulit ore jubar.
Hoc ſibi quid voluit? fore, uti poſt triſtia rerum
Ridentem referat Fors bona Lætitiam.

AD C. VTENHOVIVM C.F.

Acroſtichis.

V t bene conveniunt genitiva agnomina vitæ,
T eſte tuæ ſigno CAROLE *docte manûs!*
Exprimis æternum Latio victura per ævum,
N omniacos æquant quæ ſacra verba modos.
Heſperus ut ſtellis decori eſt; ita præſtat Achivis
O rnatu nitidum Muſa Latina decus.
Vivis in hac, vitæque vias pia carmina monſtrant;
I nque ſacris chartis vita beata ſita eſt.
Vranie inſcripſit cælo tua nomina: mirer,
S i minus hæc terris mors abolere queat?

Ebrietas.

DVM *potant alij noctesque diesque, gerentes*
Ebria Teutonico tempora quaſſa mero;
Sobria nos bibimus quæ ſpiritus ille IEHOVÆ
Pocula cælitibus larga miniſtrat aquis.
Illos flamma coquit Bacchi Venerisque nefandæ,
Ignibus ætheriis pectora noſtra calent.
Turpiter obſcenos illi modulantur amores,
Aſt ego caſta piæ cantica mentis opus.
Illos antra picem nigram manantis Averni,
Lucida lacteoli me manet aula poli.
Sobrietas, IVNI, *tanto magis utilis eſt res,*
Quo damnum eſt animæ grandius Ebrietas.

Digitized by Google

ITALIS, GALLIS, HISPANIS POETIS.

PERFACILE est vobis, cultissima turba poëtæ,
Jungere disparibus verba Latina modis.
Sugitis immulso nutricis ab ubere, quæ nos
Vix bibimus brumis aure patente novem.
Haud tamen abjungens exotica pectora Phœbus
Arcet ab Aonij cælite fontis aquâ.
Francia Germanis celebres tria sidera vates
Celtin, & Huttenum, Lotichiumque tulit.
Additus his patriæ numerer nisi quartus, ut inter
Sidera perpetuo stella decóre micem;
At stellam referens, aliquo quæ tempore saltem
Duret, honorificâ luce cometa fruar.

AD P. VICTORIVM, PAVLVM MANVTIVM, ET FVLVIVM VRSINVM.

SIDERA Pieridum Germania plurima novit,
Et numerat stellas Gallia terra suas.
Lumina sunt aliis quoque gentibus; ástraque multis
Clara vigens radiis orbis Iberus habet.
Te Petre Victori, te Fulvi, teque Manuti,
Tergeminos soles Italis ora colit.
En quòd splendorem linguæ Latialis avitum
Externi populi se penes esse vident;
Solibus Ausoniis referant accepta necesse est
Sidera cum stellis, lumina cum radiis.

IN ANNVLVM DONATVM Claudio Goudimeli musico.

ANTE alios omnes, quibus oblectantur ocelli,

Digitized by Google

Cærulus oblectat lumina noſtra color.
Cyaneus cæli decor aſtra ſerenat, & ipſi
Dat Soli radio ſplendidiore decus;
Caſpia ſic, quâ te donamus, Iäſpis honori
Purius anelli vincla nitere facit.
GOVDIMEL, *ingenuum cognoſce datoris amorem;*
Æſtimet ut donum grandius iſtud amor.
Nec carum, nec vile puta, ſed pignore rarum:
Servanti ſervat gemma pudica fidem.
Caſta fides itidem ſub pectore duret utrinque,
Gratus ut eſt oculis cærulus iſte color.

AD FR. GALENIVM.

FESSVS *ut a gravibus ſtudiis, Franciſce* GALENI,
Discuterem mentis nubila vela meæ;
Concelebraturus tua ſacra, tuosque Penates
Ipſe ſalutatum nuper iturus eram.
Ecce tuos offers hodie, nitidiſſime, vultûs,
Sol obfuſcatos dum trahit ater equos.
Plures (crediderim) fuerat manſura per horas,
Immò dies aliquot, triſtis imago poli;
Ni ſplendore tui radiorum luminis ipſi
Redditus illuſtris priſtinus eſſet honos.
Hoccine ſit mirum? nox pectoris, úmbraque noctis
Verſa mihi in lucem, fulgida luce tuâ.

AD [redacted] SCALIGERVM, Iulij Cæſ. F.

LVX *mea me Solem vocat, illam ego nuncupo Lunam;*
Sumque illi frater, illa mihi ſoror eſt.
Sed mihi ab illíus capiendum lumine lumen,
SCALIGER: *at lucis non eget illa meæ.*

Digitized by Google

Indignatus ob hoc Phœbus, ferrugine frontem
Tectus in atrorem vertitur Æthiopis.
Riſit, & adſpectu, quo nubila cuncta ſerenat,
Intuita eſt Solem bella ROSINA *nigrum.*
Sol meus in terris eſt unicus ille Meliſſus;
Phœbe tibi cælo regna paterna tene.
Sic ait. Explicuit radios Sol aureus, & poſt
Obrutus occiduas nocte ſubivit aquas.
At mea Luna (adeo eſt conſtans) nunquã óccîdit, a quâ
Perpetuæ luces mi ſine nocte fluunt.

IN ANVLVM

A THOMA REDIGERO SIBI DONO MISSVM.

ANVLE cyaneâ ſalve pellucide gemmâ,
O decus articulis anule belle meis;
Quem mihi facundi REDIGER *doctiſſimus oris*
Pignus amicitiæ ferre perenne dedit.
Eſt tibi, ſitque precor, nullo violabilis ævo,
Perpetuus, rarâ mirus ab arte, decor.
Auro tu Solem, tu cælum imitare lapillo:
Candidius cygnis ipſe cor auctor habet.
Pulcher uterque color; niveus ſed vincit utrumque:
Lilia purpureas qualiter alba roſas.
Sit mihi fas pluris cenſere datoris amorem,
Quàm pretium: minuit non tamen iſtud amor.
Munus es ex animo, cæleſtis läſpi, profectum;
Hinc debes oculis carior eſſe meis.
Ergo iterum atque iterum, ter & o quater anule ſalve;
Tuque mihi REDIGER *tempus in omne vale.*

Digitized by Google

AD IANVM MATTHÆVM VAQVERIVM CONSTANTINVM.

De Matthæo Delio.

VNQVAMNE CONSTANTINE cogitaſti
Inter legendum ſæpius
Priſcos poëtas, anne Apollo quisquam
Fuiſſe certo creditus
Foret vel ipſimet, vel hos legenti?
At ſive quispiam fuit
Seu nullus; huc ades: tibi omnibusque
Monſtrabo Phœbum ipſiſſimum.
Videsne & audis dulce perſonantem
Chordis eburneâ chely
Contriplicatis? Vt mihi reſultant
Aures amœnis cantuum
Sonis! ut intra pectus incitatæ
Ardenter exſultant fibræ!
Euæ! quid usquam ſuavius ſonore
Jucundiusve aut dulcius
Mulcere mentem poſſit? Ecquid hæres
Et obſtupeſcis? ædepol
Dices, opinor: plusquam Apollo Phœbus
En noſter hic eſt DELIVS.

AD IOAN. BVRCARDVM, ABBATEM.

SI, quibus ubertim bonus adfluit imber honorum,
Augens fortunæ liberioris opes,
Efficiant, ut in arentem Melidonis agellum
Depluat undantis guttula gratiolæ:
Crede mihi, BVRCARDE, *memor veterisque novique*

Digitized by Google

Signaret meriti limes apricus humum ;
Seu Banthi , ſeu Suar Zachi DINNERVS *in oris*
Poneret hunc , laudi ſigna futura tuæ .
Idem perpetuos conteſtaretur in annos
Largum ſtillicidi flumen herile tui .
Par etenim eſt , arvis pluviam Jove dante , colonus
Frugiferi gratus prædicet imbris opem .

AD CONRADVM DINNERVM.

AETHERA *dum pluviam poſco , ſubnubilus eſto ;*
Imber & in gremium ſtillet hiantis agri .
Æthera BVRCARDI *facies imitetur , & ultro*
Fecundus ſterilem rivus inundet humum .
Turbida ſi facies haud noverit eſſe ; ſerenam
Poſco . ſerenatâ ros quia nocte cadit .
Sed pluviam malim , quàm rorem . ſimplice guttâ
Ros venit ; irriguâ plenior imber aquâ .
Fac tamen , o DINNERE , *ſimul Burcardus utrumque*
Præſtet : utrumque Pales exſaturata canet ;
Burcardique memor leget & veter & novus orbis
Auriferos rores , auriferas pluvias .

AD [illegible]M.

QVEI *fit , ut eclipſin Lunæ perſæpe notatus*
Hac mihi cernendam monſtret in urbe polus ?
An quòd in umbroſis ſatius conſidere tectis ,
Et trahere obſcuros absque decóre dies ?
An quia nobilius , rerum caligine pulsâ ,
Splendorem vitæ , non ſine honore , ſequi ?
Viximus illuſtres chartis , & amavimus umbras .
Clarior ut fiam , dic quid oportet agam ?
Vmbras porró & amem Phœbi , clariſſime POSTHI:

Sed meus eſt nullo lucidus igne focus.
Menſtrua Luna ſemel defectu iterumque laborat,
Annua defectu perpete Veſta mea eſt.

AD ERASMVM NEVSTETERVM STYRMERVM.

INGENII STYRMERE *tui certiſsimus index,*
Sidereo manans dius ab igne vigor,
Ardentem in Muſas animo inſtillavit amorem:
Hinc ſcintilla oculo multa favente micat;
Ac quòd amas vates, quod Eraſme adamaris abillis,
Dat concors omen nominis anſa tui.
Manes LOTICHII *teſtes mihi, teſtis & ipſe*
POSTHIVS: *his addor tertia cura tui.*
Sic Maro, ſic Varius, ſic liber Horatius ore
Dilecti Tuſco pectora rara viro.
Sed (nec fallor) habes quiddam excellentius in te,
Ob quod naturæ cedit Etruſcus eques.
Quo tuus eſt animus ſublimibus altior aſtris,
Hoc tuus in Francos amplior exſtat amor.

AD POSTHIVM.

MAGNVS *eris; jam ſæpe mihi ſcitiſsime dixti:*
RVBER *idem dixit jam mihi; Magnus eris.*
Adjiciens ALIQVANDO, *moras in craſtina nectis:*
Iſtud enim POSTHI *quando* ALIQVANDO *venit?*
Tempus ſi magnum, & grandem maturius ævum
Efficit, & niveis ſtat rata meta pilis;
Ille ego, quem canum reddit jam grandior ætas,
Mox ſucceſſuro tempore magnus ero?
Grandia non adfecto. juvat mediocribus uti,
Nominaque ad ſtrictum magna vocare modum.

Digitized by Google

O ſuperos reverenter habe, quicumque potentum
Maximus ex humili ſurgis in alta loco.

AD THEOD. CYSSAM.
De pſalmis Buchanani.

QVOD lyra nulla polo fulget, quam vindicet Orpheus;
Hanc ſpolium vates Scottus ab axe tulit.
Si qua tamen, Cygnum propè, lucet in æthere, CYSSA;
Dávidis hæc cithara eſt, non lyra Threicij.

AD IO. FESSERVM.

INDEFESSVS equos tractas, & equeſtria curas:
Te verê Francis auguror eſſe ſatum,
Queis ſtudium belli, queis maxima ſemper equorum
Cura, & devictis imperitare, fuit.
Impigritas tua quid FESSERE meretur? ut alis
Pegaſus in cæli te ferat aſtra ſuis.

AD GEORG. LVD. HVTTENVM, NOB. FRANC.

QVID pote cælicolæ conjunctius eſſe Tonanti,
Quàm mens, æternum quæ meditatur opus?
Quid Divis ſimile eſt magis, ac facunda diſerto
Gratia quæ linguæ profluit eloquio?
Aptius inſignes quid Marte heroas adornat,
Armigera invicto quàm manus enſe potens?
Semideos Divosque refers animumque Jehovæ,
HVTTENE æterno carmine digne cani.
Virtutis ſummæ eſt Martem ipſum vincere dextrâ,
Mercurium linguâ; tangere mente Deum.

Digitized by Google

AD BENEDICTVM GEORGIVM ALOISII F.

TRADVCIBVS *rumpis ut vitea ſerta propagem*
Inſtaurant, doctâ rite putata manu;
Ingenij ſic nava tui cultura, GEORGI,
Incrementa aucti germinis ampla capit.
Quale Jovis pluvia eſt vinetis, quáleque Phœbi
Lux, tempeſtivis útraque miſſa locis;
Tale tibi riguis Zabarellæ roribus imber,
Tale Ancantheri fulgida lampas adeſt.
Juppiter aut Zabarella tuus, tuus alter Apollo; aut
Phœbo Ancantherus par, Zabarella Jovi eſt.

IN IAC. ZABARELLAM PATAVINVM.

ALTIOR *humanis cui mens ſuper ardua cæli*
Fertur, & abſtruſas diſpicit orbis opes;
Cuinam te æquiparem ZABARELLA *? ſatiumne Mi-*
Te rear, aut ipsâ te rear Vraniê? [*nervâ*
Diis genitus divina ſapit. divinius ipſis
Diis aliquid tanto lucet ab ingenio:
Quod mihi conanti radiis attingere acutis
Nigreſcunt oculi, ſenſus hebeſcit iners.
Quo penetrent externa hominis, ſi interna Dearum
Vix ſunt arcanis ingenioſa tuis?

IOANNI ARNIMO, NOB. MARCHICO, Hieroſolymam eunti.

ARNIME, *durateam properas conſcendere molem,*
Quâ vector Tripolis litora curva petas:
Sed primo ſuperanda mari nemoroſa Zacynthos,
Idaque mons Cretum; dein Rhodus, inde Cyprus.
Quum venies Solymam, CHRISTI *venerare ſepulcrum*

Digitized by Google

Cernuus, & grates huic reverenter age.
Vótaque pro reditu quum solveris, adde precando;
CHRISTE fave, pro me vovit amicus idem
Sic felix abeas redeasque, cohorsque marina:
Latro Palæstinum non inimicet iter;
Vlla neque intentent adversa pericula damnum.
Sol, æther, venti cuncta secunda ferant.
Visere gestimus si sæpe profana locorum,
Num sacra quis credat velle videre nefas?

AD BERNARDVM PALVDANVM FRISIVM.

TE quoque visurum terræ viridaria sanctæ
Avehit a Veneto navis onusta mari.
Sit tibi Neptunus felix, sit prospera Juno:
Tangantur tuto prata Syriſca pede;
Fertilibus palmis quo detur adire Damascum,
Altaque Carmeli scandere posse juga:
Vt referas medicos quàm plurima sospes in usûs,
Et quæ divinus Mercurialis amet.
Balsama si tecum BERNARDE salubria portes,
Quid reditu possit gratius esse tuo?
I Genio duce, castum olim comitante Thobyam.
Cælite defensus nulla pericla timet.

IN CÆLOS ILLVSTRIVM VIRORVM FR. HIPPOLYTI.

MAGNVS Atlas humeris cælum qui sustulit unum,
Bis, ter mole gravi ponderis ingemuit.
Plures HIPPOLYTVS fert cælos vertice, plures
Hippolytus mundos fert, sed Atlante minor;
Tanto Atlante minor, quanto terræ orbis Olympo:

Digitized by Google

Nec tamen ingemuit, nec tamen occubuit.
Cástora cum gemino, Chirónaque teſtor adultum,
Et nive commiſtas qui puer hauſit aquas.
Rem prope inauditam narro. quapropter & ille
Dum piger ad gemitum, lentus ad occubitum,
Plures Hippolytus fert cælos vertice, plures
Fert mundos; ipſo maior Atlante venit:
Tanto maior Atlante meus Neomarchicus Atlas,
Quanto ingens magnâ maior Olympus humo.

DE CASSANDRA PASQVINA, AD POMPEIVM PROSPERVM.

SOLIS ad occaſum ſtabam, miratus Olympum
Aureolâ claras ſpargere luce faces.
Provehet, aiebam, nobis lux craſtina ſudum.
Exoritur nitidum protinus ecce jubar,
Purpureis CASSANDRA genis, oculisque ſereno
Splendidior radiis, fulgidiorque roſis.
Quid cenſes, o PROSPER? egon' felicior, an tu;
Queis talem præsens obtulit hora Deam?
Pulchrius hac nihil eſt, nihil hac formoſius usquam,
Inter Senenſis numina rara chori.
Sidera quum reliquæ, quum Sol Caſſandra ſit; an non
Præſtinguat cunctis lumina ſideribus?

AD IOAN. LOBBETIVM IC. amicum ſuaviſs.

SEMIDEVM tandem factum me noris; ut annos
LOBBETI, me treis Auſonis ora tenet.
Obtigit en vivo, quod vix aliquando ſepultis,
Per certos it honor Sorte ferente gradûs.
Lauro cinctus eram, ſimul audio nobilis; exin

Civis

Civis Romanus, poſt eques, inde Comes.
Juppiter hunc tribuit, tribuit Sol ipſe decórem;
Mercurio vires non inhibente ſuas.
Si mihi ſemideam Venus annuat, annuat Hera,
Pallas item; poſſimne integer eſſe Deus?
Qui quantum pote procurrit, neque ei datur ultra;
Si manet intra oleam, præſtitit ille ſatis.

AD IAC. ANTONIVM GROMIM, Equ. auratum.

MENSE pluit toto, & jam Phœbus ab axe recedit,
Jamque breves horas imminuére dies.
Quid me vis longum numeris GROMI condere carmen,
O decus auratæ nobile militiæ?
Sol redeat, niteatque aurea Matuta ſerenæ,
Cui tinguit roſeas purpura Coa genas:
Carmine mi pariter jucunda redibit imago:
Nil læti aut vivi turbida præſtat hiems.
Nox operas adjutet, ais. ne ſuaſeris iſtoc.
Illuſtres nunquam reddidit umbra viros.
Quippe poëma recens, mandandum in luminis auras,
Obſcuræ debet noctis habere nihil.

IN FIGVRAS ASTRONOMICAS FRANCISCI HIPPOLYTI HILDENSÆMI.

HIS quoque notitiis divinæ conſcia mentis
Mens humana ſibi ſtravit ad aſtra viam;
Naturæ ſcrutata vices curſûsque perennes,
Et momenta ſuis abdita temporibus.
Ac licet implexis labyrinthe erroribus obſtes,
Quo minus ad ſummum mentis imago meet;

Digitized by Google

Tantâ luce tamen noſtri donantur ocelli,
Vt videant ſero ſæpe futura die:
Qualia tu veris prædixti caſibus index
HIPPOLYTE *ex noſtri fronte genethliaci.*
Scilicet aſtra poli Fatique æterna poteſtas
Rebus in humanis jura ſuprema tenent.
Ordinat hoc Deus ipſe, tenor ſimul ordinat aſtra.
Sidera cum Fato vertere nemo poteſt.

AD IAC. ANT. GROMIM.

IAM *geminant menſem pluvioſi Vejovis undæ;*
Excreſcunt amnes, tótaque terra natat.
Quòd ſi diluviem ſuperi meditantur, an arquus
Icti ſit vanum fœderis indicium?
Ne mihi ſit cælos fruſtra culpare, vel Irim.
Non minus hi pactum, ſervat ut illa fidem.
Cur igitur plenos ſe tanta refundit in imbres
Tempeſtas, precibus non reluenda, GROMI?
Quum delicta homines lacrumis deflere pigrentur,
Non delicta hominum Juppiter ipſe fleat?

AD SEBALDVM WELSERVM, PATRIC. NOR. ET AVG.

WELSERE, *cui merito Germanica natio jundim*
Mandat honorificum conſiliantis onus;
En hodie Maij lux alma ſerenius exit,
Et cæli facies purius ipſa nitet.
Nimirum ſplendore tuæ virtutis avitam
Illuſtras, generis non ſine laude, domum:
Æmylios etiam facis effulgére Penates,
Qui ſibi Germanos conciliare vegent.
Nam quibus imradias pacati ſideris inſtar,

Digitized by Google

Non niſi placatis ſenſibus eſſe queant.
Fallor, an & qui nos Neptunus perculit atrox,
Concedet placido lenis & ipſe Jovi?

IN OCVLOS CATHARILLIDIS.

CORASIVS *meus ille, meus ſimul ille* RHEDINGER,
Muſarum geminæ illecebræ, Charitumque voluptas,
Bina Therapnæa referentes ſidera lucis;
Dum teretes formare oculos Catharillidis urgens
Humanâ ſpecie, divinum protinus inde
Enatum plaſma eſt; ac pol divinius in ſe,
Quàm mortale genus pote mentis acumine vafro
Concipere, effictorve animæ producere Morpheus,
Dexteritas abſolvit opus: nihil (ecce) ſiniſtri
Appáret, Muſis ſocisque per omnia dextris.
Et miremur adhuc, ſi conformata decenter
Omnine non lævo, nec lævo nomine vatum,
Ipſa duo geſtat dextros Catharillis ocellos?

AD SEBALDVM WELSERVM.

VT *mihi cernendum te docta Bononia primum*
Obtulit, illuſtri WELSERE *nate domo:*
Intuitus mores & membra decóra juventæ,
Et cultum variis dotibus ingenium;
Non potui talem te non vehementer amare,
Et tacito, Servet te Deus, ore loqui.
Tu quoque non dubij dans argumenta favoris,
Signa lubens animi promis aperta tui.
Vnde rear fluxiſſe pares in amore calores?
Aſtrorum nexus mutua corda ligat.
Nam certê ſi non agit hoc propenſio cæli,
Ad mulcendum animos terrâ nimis rigida eſt:

AD SEBASTIANVM BADERVM.

ANNVVM *Phaëthontij jugales*
Reduxere diem, SEBASTIANE,
Tui nominis indicem. vides, ut
Lucem ſplendidior meridianam
Titan exſerat. hoc parens eodem
Prodiit meus ætheris ſub auras
Die. quid tibi, quid boni precemur
Ipſe ego, & meus ille fidus hoſpes
Rauënbuſchius? hunc ut annuatim
Per longam ſeriem, precamur ambo,
Valetudine proſperâ fruenti
Reducant Phaëthontij jugales.
Quid acceptius eſt ſalubriusve?

IN ITINERE HAILES-BRVNNENSI.

TEMPLA *ſalutaris petimus dum ſplendida fontis,*
Obruit inſanis nos malus imber aquis.
Juppiter ude, tuos ſerva tibi in aëre nimbos:
Fonte ſalutari purior unda fluit.
Optimus huic præſes LIMMERVS, *& aurea ſervat*
Flumina, & æternis fontibus æqua facit.
En ſenis ex huius manare videmus abunde
Nectaris ætherij dia fluenta labris.
Hinc ſuccos haurire juvat. O lingua beata,
Quæ ſenis ex ſancto fonte bibit latices!

AD GEORGIVM CÆSIVM ASTRONOMVM.

TRVCVLENTVS *ille, proximans libræ, ſenex*

Mendicitatem cur minetur virginis
Saturnus aſtro; fare CÆSI. *næreor,*
Si falx adunca tetrici ſilicernij
Vel nemini ſcit parcere heu mortalium;
Timet miſella virgo, & haud falſo timet,
Ne ſpica, nondum firmiori reddita
Maturitati, demetatur ſæviter;
Aut forſan ipſamet. Tyranni namque vim
In ſubditorum corpora exercent truces,
Impune & inſontum flagellat crux opes.

AD SEBALDVM WELSERVM.

IVPPITER *ut pluvias inhiberet, & Æolus Auſtros,*
Sudumque inferret pulcher Apollo diem;
Juno Jovi, Phœbo Venus, Hippotadæque Minerva
Supplicat, ob thalami feſta SEBALDE *tui.*
Quid fit? hiems ceſſat, ventus ſilet, æthra niteſcit.
Eidibus a Jani tertia, veſter honos.
O lucem niveam, triplici quæ munere dives
In pretio, ceu fas, ſemper habenda tibi eſt!
Juppiter, Hippotades, Sol ſponſo præmia confert:
Præmia dat ſponſæ Juno, Minerva, Venus.
Quosnam age vos reputem, præſtô quibus uniter adſunt
Tres Dij, tresque Deæ, mutua ad obſequia?

AD MICHAELEM RAVENBVSCHVM.

LVCE *ſacrâ Geniis habita eſt tibi concio primum,*
O Michaël Geniis ſemper amate bonis.
Hæc eadem ſalvo tibi nunc feſtiva recurrit:

Digitized by Google

Sacra lubens Genij devenerare tui.
Quo merito? dices. Dapibusne meroque diurno?
Nil minus. ille sibi sobria corda petit.
Mente DEO *simili, superosque æquante litabis.*
Non faciunt magnis vina dapesque Deis.
Vana superstitio cumulet laquearia donis,
Indat & accensis turea grana focis:
Nos animum sanctum CHRISTO *patrique vovemus.*
Sanctior in terris hostia nulla cadit.

AD GEORGIVM VOLCAMERVM.

Quod tibi sub calcem festivi carminis, optans
Filiolum gigni, Musa precata mea est;
Evénit. Venus ipsa torum fecunda beavit,
Prólequè te lætâ reddidit ecce patrem.
Gratamur, quoscumque tuum genus augmine largo
Donari, & multâ crescere laude juvat.
Diis merito grates age VOLCÁMER, *& cane partis*
Horam felicem, vótaque nostra probâ.
Non est in maribus, semper gravidetur ut alvus:
Sæpe preces, itidem sidera pondus habent.

AD PAVLVM DVLNERIVM.

FERIAS *Pauli niveus reduxit*
Annus. optatam cape lætus auram,
Paule DVLNERI; *superosque sancto*
Munere placa.
Munus hoc ad te rediet quotannis,
Septuplis donis numerum rependens.
Nam Dei numquam prece se vocanti
Gratia desit.

Digitized by Google

AD GVILLELMVM SALLVSTIVM BARTASIVM.

OPIFICIS *alti canere inenarrabilem*
Structuram, & immensos Olympi cardines;
Non hominis esse, non opis mortalium,
Quis nescit? hoc idem palam omnibus tua,
Divine SALLVSTI, *fatetur Hebdomas.*
Agnosco plectra, quæ tibi Vranie dedit,
Lyramque de cæli profectam sedibus:
Agnosco magni spiritum ingentem Dei,
Et quale carmen ipse vix soneret sacer
Propheta rexque, qui Palæstinum neci
Misit gigantem. Quid tuis in versibus
Enthusiasmo fortius Poëtico?

AD Q. SEPT. FLORENTEM CHRISTIANVM.

SIC *mihi se doctus* SCALIGER *offerat*
Derepentè conspicandum,
Vt tua mi lætis lumina vultibus
Obtulisti CHRISTIANE.
Septimus Octobris, SEPTIMIO *sacer,*
Hunc dies honorem habebit,
Post ut eum festo palmite singulis
Mutitans annis coronem;
Inter & illustreis te referam viros,
Astra queis favent, chorusque
Cælituum. at quid si Semideus mihi
Factus est jam CHRISTIANVS?

Digitized by Google

THEODORO CHRISTIANO FLORENTIS F.

DECVS *Camenarum, atque Phœbi gloriam, &*
Suadæ medullam Palladisque, insigniter
Græci Latinisque eruditum litteris,
Æterna vivum Fama FLORENTEM *patrem*
Adscripsit inter astra sidus aureum.
THEODORE, *laudati patris vestigia*
Sequere, nec minus perite Romuli
Sermones, ac vetustioris Attici:
Nam quid obstat inclitis conatibus,
Quum ipse vivus ac videns, uti pater
Sederis inter astra sidus aureum?

SOL.

Solarius mundi vocor. omnia lustro, diemque
Do. sine me quid nisi triste chaos?

LVNA.

Ego ut stellis, ita mi quoque lumina Titan,
Minuit. sum, cornua sumo tamen.

LVCIFER. HESPERVS.

Ego Veneris sum dictus Stella ROSINA
Jam duor Græco carmine Callimachi.

CÆLESTIS.

Non pernices vel mille coloribus Iris,
Nec lux, sed minimi pollicis umbra Dei.

COMETES.

Quid formæ cernor. tamen arguor astris
Prodigiosus & belli & pestis & esse famis.

Digitized by Google

MELISSI EPIGRAMMATVM LIBER NONVS.

CALLIOPE.

CALLIOPE *varias artes expromere docta,*
Pierium bellâ compleo voce chorum.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

HACTENVS *Musas inter*, REGINA, *puellas*
Laus tua quo potui carmine dicta mihi est.
Carmine descripsi te virtutes. nunc ego pictor,
Nunc fieri sculptor pro ratione velim.
Pingere pro meritis hinc & te sculpere tentem.
At tentem, sibi quod sumere nemo potest?
Nam qui te pingat, sculpat, canat; haud sat Apelles,
Haud sat Praxiteles, haud satis ipse Maro est.
Te tamen, o Virgo, juvet officiosa voluntas.
Quisnam ultra vires obliget ingenium?

AD ROSINAM.

SERVISTI *magnæ magnus heroidos orsis,*
Illius ad nutûs obsequiosa RHODE.
Servisti multi multis & Apollinis ausis,
Quoslibet ad versûs ingeniosa RHODE.
Quid præmi Regina, lucri quid Apollo rependet,
Vsibus illa tuis, fetibus ille tuis?
Magnus honos multusque tibi debebitur, immo

Digitized by Google

Maximus obſequio, plurimus ingenio.
Diſpice. num famæ, num laudi ſatque ſuperque eſt
Chilias obſequij, myrias ingenij?

AVSPICIVM ANNI.

En iterum cœpti primordia ducimus anni:
O utinam Clothûs cum meliore colu!
Fila ſecunda fluant. finem date fata malorum,
Vt veter extremum finiit annus iter.

AD ELISABETHAM REGINAM ANGLIÆ.

Optima non ſuerim Epigrammata quæque licebit,
Attamen ut faceſſem non mala, cura fuit.
Hæc meliora aliis inventum ea ſuſpicor iri,
Quo peiora aliis vulgo trita placent.
Quod poſſum, facio: nunquam tamen his mihi rebus
Ipſe ſatisfacio, vulgeque culpo meum.
Si poſſem, quantum vellem; mihi credito, nullum
Exſtaret numeris par Epigramma meis,
Queis te concinerem REGINA. ſed erro, ſed amat
Qui putat hoc ſeſe poſſe, quod ipſe puto.
Vt poſſim, quæcumque velim, tamen haud quit ab ipſo
Me ſcribi meritis par Epigramma tuis.

AD ROSINAM.

Cura mihi eſt auræ potior, quàm divitis auri:
Hinc famam a ſerâ poſteritate peto.
Jam quoque eo rem promovi ſollerte Minervâ,
Tangat ut heredem nomen honosque patris.
Filius eſt nondum mihi: ſed de patre profectum
Rite Palatini jus equitisque geret;

Digitized by Google

Insuper & civis Romani schema. quod ultra est,
Ipse novam sibimet quærito laureolam.
Nonne aliquid magnum est? cui nondum tradere possum,
Tradere nec potui; jam stata jura dedi.
Nube mihi RHODIA, *mihi nube. etenim dare per te*
Jam potero, per me quæ dare non potero.

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

ELISA *claro* [illegible] *fulgis au* RO
LI *mbos & or*[illegible]*s. proximet tuo* SI
SA *ltim nitori, est* [illegible] *est* ROSI NA.

IO. CNIPIO ANDRONICO, SECUNDO.

CNIPI, *Calliopen meam rogabam,*
Ut nonum Schediasmatum libellum
Lubens imbueret suæ medullâ
Suavitudinis atque dulcitatis.
Ah frustra petis, inquiebat illa.
Disertissimus ANDRONICUS *iste*
Mihi surripuit sororibusque
Nobis quidquid erat decentioris
Aut dulcedinis aut suavitatis.
Quin tu redde igitur meis Camenis
O dulcissime prædo suavitatum,
O suavissime mango dulcitatum,
Et quæ dulcia munera involasti,
Et quæ suavia dona surpuisti;
Aut si reddere denegas, libellum
His saltem imbue musici Melissi.

AD IOAN. SAMBVCVM PANNONIVM.

TRISTIS eram, mæstoque graves in pectore curæ
Abstulerant omnem mentem animumque mihi:
Carmina MVRETI postquam juvenilia legi,
Mi rediere iterùm mens animusque simul.
Jupiter hoc nosco priscorum unitamina vatum,
Quos vetus antiquo Roma vigore tulit.
Edunt insignes ætas quoque nostra poëtas,
Quos Deûs & laudis plena cupído movet:
Nulla sed ætatem perferre aut vivere cernes
Carmina, ni veterum sint imitata decus.
Sola vetustatis, SAMBVCE, nitentia flore
Perpetuant veris tempus anile sui.

IN ÆDES IOAN. EGOLFI CNOERINGII.

HOS muros, hæc tecta sacris habitanda Camenis
Semper, & hanc totam, quàm patet ampla, domum
Gloria Musarum docti CNOERINGIVS ora
Sumptibus exstruxit, non sine laude, suis;
Ac tot imaginibus passim tabulisque venustis
Vestiyt. en certant signa vetusta novis!
Quid loquar, ut pietatis amans sollemne sacellum
Conaidrit, sanctâ fert ubi vota prece?
Non minus, augusti quàm magna per atria templi
In parvâ colitur maximus æde Deûs.
Cernitur & juxta florere salubribus herbis
Deliciæ ditis pomifer hortus heri;
Emergens in quo nitidê strepitantibus undis
Fons salit, Aoniæ fons imitatus aquæ.

Digitized by Google

Caſte Geni, ſuperûm juſſu qui limina ſervas
Purus, ab his Laribus triſte repelle malum,
Ne vel flamma nocens, inimícave fulmina lædant:
Fulminis ira procul ſit, procul ignis edax.

AD HENRICVM STEPHANVM, Hemicraniâ laborantem.

AETHERE ceu Juno, pelago Venus, igne Cupido;
Sic Jovis e cerebro nata Minerva Dea eſt.
Hinc favet ingeniis hominum, ſeſeque fovendam
Inſinuat miro ſenſibus ipſa modo.
Præcipuê vero, ſollers HENRICE, quietem
In gremio cerebri Dædala nacta tui
Innumeros iſtic, quaſi mater, ut ederet ortûs,
Dia propagavit ſemina mente ſuâ.
Parturit at quoties, tibi quòd caput ægide & haſtâ
Icit, eoque gravem fert dolor iſte crucem;
Parce queri. fetúsne putas ſine nixibus ullos
Aut ſine prægrandi poſſe labore geni?
Juppiter a natâ paſſus quod Pallade quondam,
Palladis a natis, fas, patiaris idem.

AD IVSTVM REVBERVM Iuriſcos.

SVNT, quibus ellogij ſuffragia ſæpe vel aſtu
Cedere, vel cenſu divite conſtat emi.
Talia venari popularis plauſibus auræ
Non dubitas ſummum credere, IVSTE, nefas.
Legibus & veræ normâ rationis agendum,
Lanx incorrupti judicis æqua probat.
Dedecus eſt, aliquem mentitæ dotis inanem
Æquari celebri nomine ſideribus.

Digitized by Google

Auctorem quod laudet, opus de Teſtibus exſtat!
Hæc neque præconis laus neque teſtis eget.
O pereant aſtus, emercatique favores!
Ingenio ſolidus, LVSTE, *paratur honos.*

AD LVD. MASVRIVM.
E Gallico Petri Ronſardi.

CERNERE *me poterus* MASVRI, *licet ipſe probatos*
Vixdum aliquâ vates inter habendus eram.
Et glaber & barbâ criſpus tua carmina legi,
Æneam Francis quæ vetuere mori.
Quàm doleo, his terris non amplius illa morari
Pectora divini tam bene docta gregis;
Qui pretium palmæ FRANCISCO *rege merentes*
Certatim Clarium concinuere melos!
Sponte ſuâ vertit ſola Beſa; calumnia adegit
Te, MASVRI, *duræ ſortis inire vias:*
Jactatus variis celeber Peletarius undis
Non leviora vago paſſus Vlyſſe mala eſt.
Phœbe nihil prodes, nil (nomen inane) valetis
Muſæ, ſtultorum futile ludibrium:
Cultores ſiquidem, ſtudiis manus addita veſtris,
Heu bene pro meritis non niſi damna ferunt.

DE INVNDATIONE ARVIÆ.

ARVIA *bile tumens Rhodanum ſibi demere nomen*
(Maximus hic amnis ſit licet, ille minor)
Vndique collectis undarum fluctibus auctus
Vim ſocio ſubitis intulit agminibus:
Sicut ubi fratres inter gravis ira ſuborta eſt,
Alter in alterius concitat arma necem.
Famque coëgit eüm curſûs in ſtagna Lemanni

Digitized by Google

Flectere, præcluſis ad vada prona viis.
Non homines ſolos edit & coquit æmula peſtis;
Dira quoque in fluvium fluminis invidia eſt.

AD FRIDERICVM III. COMITEM PAL. AD RHENVM, DVCEM BAVARIÆ, IMP. SEPTEMVIRVM.

IMMODICE faciles laxata Licentia frenos,
Ebrietasque choris effera Capripedum,
Lubrica raptarant impune per avia ſecum,
Quos habuit mores Teutonis ora bonos.
Thyadibus FRIDERICE vagas conſtringis habenas,
Non his indomitis tigribus eſſe licet.
Protenus Ebrietas legumque Licentia peſtis
Te duce præcipuè eſt vertere juſſa ſolum.
Sic mores ſanctos in patria regna reducis,
Quos ego, quos votis POSTHIVS ecce probat.
O regio felix, in quâ non lege ſolutus
Quæ feciſſe ſuos Dux jubet, ipſe facit!

IN AMETHYSTVM A IOHANNE LVCIENBERGIO SIBI DONATVM.

SI qua manum voti monitrix bene gemma decebit,
Non alia eſt noſtram digna decere manum,
Quàm violæ referens teneros Amethyſte colores,
Verſibus æternum facte beate meis.
Purpureos inter fulgore nitente lapillos
Ecquid ſplendidius bacciſer Indus habet?
Vivida flammeolo ſcintilla reſultat ab orbe,
Ceu radians tremulo Solis ab igne jubar.

Digitized by Google

Huic face quippe tuæ LVCIS *(mirabile visu)*
Insinuas radios IANE *subinde novos:*
Sobrius antè omnes ut quàm tibi diligor unus,
Vna adeo ante omnes sobria gemma micet.

AD H. R. N.

QVO *vadis, ah, quo vadis, infelix puer?*
Non, non futurus hic tibi cordi est Hymen.
Omen sinistrum læva cornix occinit,
Improsper ululat e Pyrenæo specu
Bubo cruentum. vah! Manere te domi
Jubent Penates, Lar jubet domesticus.
Heróës óccident. Propheta id sæpius
Monuit Brocardus; idque haruspex prænonet.
Sed dira numquam fata possunt éffugi.

AD CHRISTOPH. COMITEM PALATINUM RHENI, DVCEM BAVARIÆ.

SI *foret in fatis, ut quod tibi cumque precarer,*
Non malè successûs posset habere suos;
Optarem dominus fieres, quàm lata patebunt
Culta locuplétis jugera Franciados,
Fontibus a Mæni gemmis alboque rubroque
Ad Rheni dominas usque tricornis aquas.
Tunc mea (sed jam non mea, sede carentis) haberet
Nomine regnr ducem patria CHRISTOPHORVM:
Munificoque foret duce resque locusque poëtæ,
Vt canerem laudes, non sine laude, tuas.
Quanquam. sed certê, tibi quæ precor, inclite princeps,
Longê sunt meritis ista minora tuis.
Maximus ille Deüs, Deüs optimus ille Deorum
Det maiora tibi, det meliora velim;

Multo

Digitized by Google

Multo (inquam) meliora tibi maióraque donet,
Quàm vel ego ſperem, quàm vel & ipſe velis.

AD IOAN. STVRMIVM.

AVT *abes, aut ægro decumbis corpore, veſtris*
Advena cum, STVRMI, *mœnibus hoſpes ago.*
Hocce ter evênit. crucies ne rurſus amicum,
Vel prope ſaltem abſis, vel procul ægra fuges.

AD CHRISTOPH. PLANTINVM.

QVVM *tua ſedulitas totum* PLANTINE *per orbem*
Cognita, multimodis officioſa, foret;
Noſtra daturus eram tibi procudenda: ſed (ut fit)
Propoſitum avertunt bella profana meüm;
Bella, malum ſine fine ſacris hoſtile Camenis:
Bella, togatorum tætra ruina virûm.
Suaviter alliceret nitidiſſima charta legentem;
Suavius inſignes, muta luquella, typi:
Forſan & allicerent Muſæ chartamque typosque.
Quanquam ita jampridem ſentio Chriſtophore:
Carmina ſi mala ſint, decoris nihil optimus addit;
Sin bona, dedecorat peſſimus illa typus.

AD IOAN. [redacted]M.

VNVS *ineſt utrique animus, mens una, cor unum,*
Vna fides, unum fœdus, & unus amor.
Aut mihi vivendum, quâ tu regione moraris;
Aut tibi vivendum, quâ regione moror.
Accola ſed patrij vetor eſſe domeſticus amnis:
Accola tu Nicri, quum libet, eſſe potes.
Vive, meoque loco Mæni cane flumina, ſupplens
Celtis & Hustemi Lotichijque vicem.

Interea alterutrum me recreet, ipſe ego quòd ſum
Alter tu, POSTHI, tu quòd es alter ego.

AD H. STEPHANVM.

De diſticho quodam Græco ab ipſo plus trecenties verſo.

AVT amet, aut ſtudiis vacet, aut ægrotet oportet
Pallidus. his unus ſis tribus ecce macer.
Nec ſterilis macies ita, non arteria ſicca eſt,
Quin fecunda tibi carmine vena fluat.
Si calor in causâ STEPHANE eſt, ut ad usque trecentu
Fundendi numeros ferveat iſtud opus,
Currere ſeu venam magis incitat algida febris:
Febre paroxyſmi ſint tibi ſæpe, roga.
Morbus at hic (credas) non plus fervorque miniſtret,
Quàm quis ab arenti pumice preſſet aquam.
Theſpias una ſui memor & bona Cypris amantis,
Vtraque Diva tuam commiſerata vicem,
Tàm largas geminis hauſere e fontibus undas;
Theſpias Aonio, Cypris Acidalio,
Queis febris immodicum tibi reſtinxere calorem.
Non venâ versûs uberiore fluant?

SI pater Æneæ (donari pubere vitâ
Dum petit, aut ſenium poſſe placere Dea)
Te foret uſus apud Paphiam facunde patrone,
Sæpius hæc eadem totque rogante modis:
Non modò non Phrygio tam juſta petita negaſſet,
Flexanimâ Pithûs heic prece victa tua;
Ipſe etiam voti fructu poterere cupito,
Flavas ambroſio ſparſus odore comas.

Digitized by Google

Præmia poſcenti quin & dixiſſet opinor;
Do, tua canitie longa juventa vacet.

AD Venerem toties variatis verſibus iisdem
Bina quòd Iliaco pro ſene vota facis;
Ecquis Acidaliam non tam tibi credat amari,
Quandoquidem redamet te Venus ipſa palam?
Vtrumcumque neges HENRICE, *fatentur apertè*
Perdere te cauſam diſticha pulchra tuam.
Nam ſua quum deceat reverenter utrumque venuſtas;
Tu Venere es dignus, te quoque digna Venus.

AD FRANC. GALENIVM.

QVAM bene conveniens rebus, Franciſce GALENI,
Veſtiphalæ gentis gloria, nomen habes!
Mens lenis, ratio tranquilla, animusque ſerenus,
Legerunt requiem vertice rite tuo.
Cor tremulum, pulmo inflatus, iecur æſtibus ardens,
Contra dant motûs pectore ſæpe meo:
Non ita Volcanus, non Æole, non ita Nereus
Aut flammâ, aut vento, aut turbine, ſæva furunt.
Hos fremitûs, hos ardores, has frange procellas;
Mens, animus, ratio, ne mihi victa labent.
Cor, jecur, & pulmo fomenta ſerena requirunt,
Scilicet unius de capite orta tui:
Vt tranquilletur te lenitore, GALENI,
Pulmo mente, animo cor, ratione jecur:

AD IMMANVELEM TREMELLIVM.

DIMIDIVM facti, ſiquis bene cœpit, habere
Fertur, ut ex merito quem ſuus ornet honos.
Prima mei curſûs fixam via tangere metam

Quivit, in Hebræis te præeünte locis:
Tramite me medio ne deſere. pergo TREMELLI
Te pergente ſimul, teque morante moror.
Solus es, optatum qui das abſolvere finem,
Gnaviter ad quem ſpe noſter anhelat equus.
Cingar Idumeâ quum florida tempora palmâ,
Nempe meâ fuerit laus tua laude prior.
Longo poſt genitis ævo dicére, merendo
Tale decus, juvenī prævius iſſe ſenex.
Quo ſine vix apŷ coma ſit mihi vincta corollis,
Hæc accepta tibi palmea ſerta feret.

IPSE *ego ſum navis, mihi tu nauclerus. in undis*
Tè ſine non poſſum currere tutus iter.
Syrtis hians, & Scylla rapax, & hiulca Charybdis
Allidunt ſcopulis, turbine flante, ratem.
Partibus a cunctis adverſa pericula cerno;
Spes quoque me tanquam mortua deſtituit.
Sub Zephyro mea vela tuo pandantur oportet:
Nare tua incolumem ſolius aura facit.
Frange procelloſos Euros fluctûsque, TREMELLI:
Litoreâ ſalvus te duce ſiſtar humo.
Scilicet humanum ſe nunc homo præbeat, æquum eſt,
Ferre laboranti ſponte paratus opem.
Par itidem eſt, feſſo vix naufraga membra trahenti
Vel ſaltem e portu tendere velle manum.

AD [redacted] M.

NE QVID *inexpletum Francis ſupereſſe meorum*
Poſſet, in externis me moriente plagis;
Ignibus immeritis Schediæ ſyntagmata chartæ
Ante novem meſſes cuncta cremanda dedi:

Mars ferus Aoniis quia me ſubmoverat undis,
Auxilium flammæ Nympha nec ulla tulit.
At tua per nonum Muſis cuſtodibus annum
Conſervata, avidi carmina tuta rogi,
(Seria, ſeu facias lúdicra) nec ipſe, nec ardens
Tradere Volcano vis queat Invidiæ.
Invidiam Pimplæa domans & te quoque, POSTHI,
Caſtalij tinxit carmina fontis aquâ.
Quo quibus uda fluunt, ſicut tibi, nullus in illa
Fomes, in illa nocens nulla favilla cadit.

AD LVD. MASVRIVM NERVIVM.

ILIOS *hoſtiles velut eſt experta furores,*
In cineres abiens ignibus Argolicis,
Sic mihi funereas ſenſere decennia flammas
Carmina, ſub quinis texta voluminibus:
Tunc ubi me Genius Ligerinas ferret ad undas,
Pannoniæ vacuum turbine militiæ.
Principibus vatum tamen additus aſſeror. Ecquid
Obſecro reſtat adhuc, mi LVDOVICE, *mei;*
Paucula quàm gracili deducta poëmata filo,
Judice vix ipſo me ſatis apta legi?
Vmbra ſequax veterum reneo ſubtegmina trama,
Sed procul illorum ſtamine corpus abeſt.

NICOLAO DOBBINO IC.

DOBBINE, *noli protinus*
Deſpondere animum,
Si quid ſiniſtri inaudies
Factum, aut ſi potior
Eſt impiûm pollentia.

Digitized by Google

Isti nempe homines
Mali malitiæ peßimæ
Mensuram & cumulum
Plenè necesse eßt impleant.
Tandem regna bonis
Cedent. Bonis posseßio
Terræ pollicita
Erßo citoque nesciet
Defraudare fidem.

AD ANT. PISONEM.

SOBRIVS *ille Plato Siculis peregrinus in oris*
Corpora miratur bis saturanda die.
Quòd si Teutonicum nunc ille veniret in orbem,
Suete semel tantum pellere PISO *famem,*
Non bis ubi ingluviem, non terve quaterve, sed implet
Continuas noctes, continuosque dies:
Quid rogo dicturus foret, ebria membra tuendo
Proluvie Zythi, proluviêque meri?
Quàm metuo, ne quis succidat falce Lycurgus
Haud Bromij vites, haud Cererisve sata;
Verùm homines ipsos! Insons (heu fata!) bonorum
Turba simul sontum facta nefanda luet.

AD N. CL. TRELÆVM.

SVETA *venenatis fecunda Calumnia verbis*
Traduxisse avido crimine quosque bonos,
Te quoque virosis flabris vibravit: at istæc
Sunt in Erichthonios mox abitura Notos.
Vivo pius, culpor tamen. haud, Trellæe, quis unquam
Deblateratrici tutus ab hoste fuit.
Vipeream multi revomentem toxica linguam

Digitized by Google

Vix redimi magno qui patientur erunt.
Ni ſit, quod punctim, rabido quod vulnere cæſim
Conficiant, ſeſe vivere poſſe negent.
Ecquid opus facto eſt? NIL CVRES VERBA MALORVM:
Hæc tibi ſufficiens, hæc medicina mihi eſt.

AD ANNAM PALLANTIAM.

ECQVID in his ſperas mitti PALLANTIA *thecis?*
Quam replicas chartam, linea tela fuit.
Immo etiam nunc eſt operoſæ tela Minervæ:
Sed libet hanc potius tela vocare mea.
Fortiter hisce tuæ jactis molimine dextræ
Quaſſatum calamos vulgus inerme cadet.
Macta age (nam vindex legeris mihi ſola) virago;
Sis Orthographiæ rara patrona meæ.
Cur? ut eo maior victrici gloria ſurgat,
Quo maior victis hoſtibus inde pudor.

FRANCISCO VIENNÆ.

PATRIA *Boiſſardi nemoroſa, Veſontio priſca,*
Quam Dubis obliquo circinat unda pede;
Inque tui fratrem patris, FRANCISCE, *Robertum*
Mutuus ad Rhodanum conciliatus amor,
Suaſerat Almanæ methodum præſcribere linguæ
(Quanquam nunc clauſo limite preſſa jacet)
Non quòd eâ vel tu, qui jam bene Teutona calles,
Indigeas, vel ego jure vadata petar:
Parva ſed ut ſolvente tibi compendia quæſtu,
Polliciti fiat libera noſtra fides.
Grandia præs equidem Boiſſardo teſte recepi,
Grandibus obſtrictus debitor eſſe volo,

Digitized by Google

AD LAVRENT. DYRNHOFERVM.

CVM venit in mentem quondam bene temporis acti,
Flavus arenoſis quâ fluit Albis aquis;
Non queo non hilari perfundi pectora rore;
Quem ſolito ſpargit latior Aglaïa.
Vt res, LAVRENTI, ſe tum conſtanter habebant,
Cum flori & pretio Leucoris illa foret?
Flos abiit pretiumque. nihil doluiſſe, benignè eſt:
Neſcit in hos canos verna redire coma.
Tu tamen hancce diem ſigna meliore lapillo;
Et te, qui fueris ante, modò eſſe puta.
Sæpe quis oblitus queritur quamplurima. Fortis
Eſt animi, duras non meminiſſe vices.

HERMANNO WITEKINDO.

HOROLOGI ſignum jactas Hyperiónis umbra
Fallere jam toties, o VITECHINDE dolo.
Rector quum tortâ vertigine ſæpe laboret,
Quid quæſo recti machina prava ſonet?
Sol ſine præſcripto eſt. plus vulgo creditur horæ,
Quàm tibi cum torâ gente Paræoniâ.
Aſt ego corruptos doleo magis iſtius ævi
Mores, & pravi lubrica verticuli.
Haud urbs incolitur tibi Norica, cui ſtatus usque
Juſtior eſt reliquis urbibus, ac melior.
Quæque (patris refero dictum) Reſpublica talis,
Qualis volvendi circulus horologi.

AD FR. AVERLIVM.

ANNVA natalis referens ſollemnia noſtri
Ægoceros brumam ſolſtitialis init.

Digitized by Google

Digreſſum FRANCISCE *paras. quis gaudia mecum*
Ducet, in octavum rejicienda diem?
O utinam mea lux, decies quam mille petitam
Votis exſpecto per tria luſtra miſer,
Adforet! O utinam, quam ſomnia fluxa dedére,
Spectandam verè ſe mihi virgo daret;
Æquius absentis pectus geniale ſodalis,
Lentius & ferrem tempora longa moræ.
Jam quia te privor, quia deſtituorque ROSINA,
Quæ mihi ſe differt inſcia, meque ſibi:
Quid reliquum eſt, omnis niſi (quum ſim ſolus) ab unâ
Conficiar curâ, conficiarve morâ?

IAM *toties in me videor* FRANCISCE *renatus,*
Jam toties Genij me ſibi gignit opus:
Jam toties anni ſeries me feta regignit.
Concipior toties, multotiesque genor.
Jam toties alium generat natura creatque;
Jam toties juvenis fingor, itemque puer.
Dum tamen hic puer, hic juvenis miſer ecce ſeneſcit;
Se neſcit fieri poſſe aliquando virum.
Si me parturiat ſperata ROSINA, *renaſcar;*
Vt matutini roris Amella ſolet.
Quàm prius hoc fiat, novies matreſcat & ipſa,
Vir licet, ah infans timpora canus ero.
Diſpare ſic compar vice qui ſum quattuor unus,
Compare ſum diſpar heu vice, nullus ego.

AD [redacted] M.

QUOD *tepet apricis jucundus odoribus aër,*
In medioque nitent frigore veris opes;
Quòd Boreas ſilet, Eure ſiles, ſilet Auſter; & hirtus

Induit Ægoceros vellus aprile Bovis:
Desine mirari, mi SCALIGER, *huc mihi tandem*
Advexit Zephyri blandior aura RHODEN;
Huc (inquam) advexit mihi post tot lustra puellam,
Gaudia natali certa futura meo.
Lenis ut est mitisque boni clementia venti;
Sic natura mea est una eademque RHODIS.
Ver Zephyrus mediâ novit producere brumâ,
Vt spirare mersas [illegible] ROSINA *rosas.*

AD GEORG. AVERLIVM.

SINCERISSIME *amiculorum amice*
AVERLI; *tria dona, chirothecas,*
Et fastos, miniatulamque ceram
Ex vestrâ mihi Franciâ reportas.
Quid sibi manicæ volunt odoræ?
Sint ut symbola dexteris utrinque
Servandæ fideï. Quid ista cera,
Quâ vix est reperire duriorem?
Vt duret fideï sacrum sigillum
Annos perpetuos. Quid hæ calendæ?
Per horasque diesque perque menses
Vt discrimine competente amicos
Distinguant veteres novosque, in ævum
Præsens, præteritumque, & in futurum.

IACOBO MONAVIO.

PECTORIS *adfectu nil dissimulante sodales*
Quos amo, quos veneror, quosque IACOBE *colo;*
Hi neque sunt auro similes aliisve metallis,
Nec quibus est baccis Indica dives humus.
Est aliud, gemmis longê quod præstat & auro:

Digitized by Google

Vis tamen in gaZâ vile nomiſma legi.
Eſto. geram morem; lege quâ lubet. Asque deünxque
Dextans & dodrans dat tibi besque locum;
Septunxque & ſemis, quincunxque triensque quadrans-
Sextansque & minimis uncia ſueta locis. [que,
Pars tibi propoſita eſt vacuæ duodena monetæ:
Dic, quotus eſſe meo nummus in ære cupis?

AD [redacted] M.

SCIRE *meum nihil eſt. nihil eſt te ſcire, quod ipſe*
Neſcio, nec ſciri nunc modò poſtque velim.
Sed tamen eſt aliquid, neſcire meumque tuumque.
Ignorent alij, quid ſit & unde? parum eſt.
Immo eſt grande aliquid multumque; & plus quoque,
Neſcirem, quid ſit ſcire tuum atque meum. [quàm ſi
Sic minus atque magis, POSTHI, *ignorantia creſcit:*
Sic mihi decreſcit mens magis atque minus.
Pendet ab eventu rerum ſtatus Almanorum.
Ignaros casûs ſcita ruinæ manet.
Si certo eveniant præſagia, credere fas eſt:
Sin minus eveniant, credere velle nefas.

AD IOAN. PHILIPPVM GELZERVM.

Ὄ ΙΚΟΣ ΦΙ΄ΛΟΣ, ΟΙ͂ΚΟΣ Α΄ΡΙΣΤΟΣ.

COCHLEA *quæ tutis latitans domiporta ſub antris,*
Ædibus appicta eſt Jane Philippe tuis,
Sollicitos victûs homines debere fovendi
Privati memores admonet eſſe foci.
Vt miſerum eſt, ignes alieni quærere fumi!
At quantum propriis eſt habitare domos!

Sponte ſuâ fontis rigui Natura fluentem
Elicuit, ridet quâ tuus hortus, aquam.
Proxima non refero vinéta ve prátave, Francus
Murmura quâ reſono Cochius amne ciet.
Hæc duo quid ſuperat, ſi fonsque focusque perennis
Inſtar cunctarum eſt, quas habet Indus, opum?

Io. Caselio.

Non alio uſuras dulces ſermone Camenas,
Loqui Latinê ſi velint,
Præter Plautinum; Varro inquit. fare Caseli:
Queis uterentur vocibus,
Nativo decore ablato? Si illas bene noris,
Tam delicatæ ſunt, uti
Nec digito curent pingues attingere alumnos
Vel Cordubæ vel Bilbilis.
Eſt tibi per Muſas potior conceſſa facultas
Electiora dicere.
Nonne ego ſim ſtultus, patiens mihi pectore tollis
Normamque vimque arbitrij?

Ad Iohannem Posthium.

Non opibus, non ære gravi, nec honoribus aucta eſt
Res mea; non animo cæcus oberrat amor:
Vsque adeó tamen eſt alia a ſe, proviде Posthi;
Ipſius usque adeó mens aliena ſui eſt:
Vt meipſum ignorans, quis ſim modò, ſimque futurus
Addubitem. noram me prius ipſe ſatis.
Delituiſſe alibi cupio, neque cognitus eſſe,
Quo mihi ſim latitans notior, inde tibi.
Mentior, an mihi ſum notiſſimus ipſe tibîque?
Ambigis? o alios tam bene noſſe queas!

Digitized by Google

O alios tam noſſe queam bene! non alia a ſe,
Nec foret in tantum mens aliena ſui.
Vtile noſſe alios, aliénaque linquere. quisquis
Noſſe alios diſcit, ſe ſibi noſſe docet.

AD QVIRINVM.

CVM Martiale comparare me nolis
QVIRINE. nullus in meâ nec eſt lectus,
Nec poſt legetur fronte Martialiſmus.

AD IACOBVM HEIDECCVM ANHALTINVM.

AD mea promiſti venturum tecta ſub horam,
Indice quæ digito tertia ſigna notat;
Meque fefelliſti prudens, HEIDECCE. ſed ipſum
Hæc in Peuceriden vix puto culpa cadet.
Debueras ſaltem voluiſſe venire probatum
Standi promiſſis momina deeſſe tuis.
Redde mihi tempus, quod ſuffuratus amico es;
Reddè, aut penſatâ quadrupla ſolve vice.
Haud appellandi locus heic. ſibi namque poëta
Et pariter judex, actor & eſſe poteſt.

AD SIMONEM STENIVM.

SCRIBIS Meliſſum, mi STENI, poëtarum
Germaniæ facile principem.
Idem, Trelæo teſte, dicit Hubertus
Languetus ille; mea qui probat
Laudatque præter ceteros Ariſtarchus
Purê Latinus Epigrammata.
Quòd ſi nec illi nec tibi mele noſtra
Videre Pindarica contigit;

Digitized by Google

At ipſe norim, principatui quantum
Deſit meo: quid age dicere
Tuum juvat, quid ſcribere illius? namque
Videri & eſſe, SIMO; *non idem eſt.*

AD CHRISTOPH. HERDESIANVM.

STAGNA *refuſa vadis en corrivantur & amnes;*
Ex quo Teuto lacûs, HERDESIANE, *fodit.*
Diluvij ſcatebræ manant, fontesque malorum:
Famque [illegible] plenis æſtus inundat aquis.
Quos manet exitium? quibus undæ pericla minantur?
Quos tumidis merget fluctibus Oceanus?
Pol nullos, fuerint ipſi niſi qui ſibi fluctûs,
Qui ſibi tempeſtas, qui ſibi naufragium.

AD HVBERTVM LANGVETVM.

VOLCANVM *perimit Nereus, rapidique ſurores*
Ignis ab infuſis attenuantur aquis.
Vim latices minuére ſuam, LANGVETE; *nec ulla*
Stinguere ſerpentes eſt potiùs unda faces.
Non niſi diluvie ſedari incendia tanta
Speres, rixantis pabula Teutoniæ.
Næ portûs fruſtrata ſui dicetur, ubi imber
Deucalioneas applicet uber aquas.
Bis miſeras urbes, quas diſcors intera perdit
Flamma, & quas concors extera perdit aqua!

AD L. DYRNHOFERVM.

ISCHIAS *& podagræ dolor unde remánat in artûs?*
Vnde feris vis hæc ſuppetit hoſpitibus?
O te vecordem, qui membra tyrannide triſti
Paſſus es, incolumi nuper honore, premi!

Digitized by Google

Pelle malum feſtine domo; depelle tyrannas
LAVRENTI, & firmis utere præſidiis:
Neu ſine regna gerat tam dura in corpore molli
Peſtis, neve lues inveteraſcat anus.
Vtile conſilium eſt, ubi primas occupet hoſtis
Sedes, his pulſum protenus ejicere:
Aſt ubi congeſto ſua propugnacula vallo
Munierit, pœnas dat ſibi longa dies.

[illegible] PROBLEMA.

NVNC ego me vidiuus, teq; orbus obambulo, POSTHI;
Nec niſi ſum ſpectrum corporis ipſe mei:
Vsque adeo mihi tuſſis acerba & amare catarrhe
Pectora fregiſtis ſemianimumque caput.
Lumina caligant, auditus hebeſcit, & aret
Lingua. male eroſa eſt faux mihi pure gravi.
Adſpiceres: vix me noſſes. extuſſio fermê
Viſcera; & heu cerebro nulla medulla ſuper.
Mortua ſit vivatne animæ vis, neſcio, POSTHI.
Hoc ſcio, me tangi perpete deliquio.
Famque humor ipſe in me. proh vita, miſerrima vita,
Quæ ſibimet mors eſt, & ſibimet tumulus!

AD THOMAM POPPELIVM BELCHRYSIVM.

OBSEDERE duo vitalia noſtra latrones:
Fortiter oppugnat pectus hic, ille caput.
Famque per integrum menſem crudeliter hoſtes
Occludunt animæ ſpirituumque viam.
Cor vocat auxilio ſuccos, cerebrumque trochiſcos;
Pulmo glycyrrhizas, hepaticamque jecur.
Sed multo eſt trucior tuſſis, graviorque catarrhus;

Digitized by Google

Tuſſis ut oppoſitam ſenſit & alter opem.
Non niſi cunctando tandem ſubigantur oportet.
Officium fruſtra pesque manusque facit.
Quattuor Alcidæ quem non potuere; fatiſcens
Vnâ, POPPELI, frangitur ille morâ.

L.

POST *hiemem ver lene redit, poſt nubila Phœbus,*
Poſt imbres ſudum, poſt fera bella quies.
Sic peſtem, Venetâ modò quæ graſſatur in urbe
Dira, ſecuturam ſpero ſalutis opem:
Aëra ſic Patavi ſtatuo captare ſalúbrem,
Frigore vim ſævæ diminuente luis.
Quodnam age ſolamen noſtros comitabitur æſtûs;
Quæ deſiderium ſpes bene fida meum?
Funde preces POSTHI, *pia vota refunde Jehovæ;*
Dimidium ni vis, care, perire tui.
Longius an mortem quæram penes Itala regna?
Dulce eſt in patriis letum obiiſſe locis.

ANDREÆ MERGILETO ALPHIPOLITANO.

CVR *adeó noſtros exoptas cernere vultûs,*
Quàm prius Italicas nitar adire plagas?
Sæpius antè meos vidiſti frater ocellos:
Præſens eſt index mentis imago meæ.
MERGILLETE, *foris te contempleris & intus;*
A te non alius nempe Meliſſus erit.
Sin alius: cauſa eſt, victum quo te dabo, candor
Par ſimilisque intus, par ſimilisque foris.

AD HIERON. WOLFIUM.

MERSAS *juniperi fruticem redolente lavácro*
Corpora, quæ mordax pumicis urget onus;
Pumicis, in rigidâ veſicæ pelle renati;
O VOLFI *miſeris excruciate modis.*
Nonne ſatis fuerat tantos ſenſiſſe dolores,
Vt patuit ſecto viſcere prima ſilex?
Nunc iterum urentis morſu tentaris arenæ.
O laxent agilem balnea ſana viam!
Si bonus eſt chirurgus, ut eſt, qui talia ſuaſit;
Ne dubita, tecum quin bene poßit agi.
Nam & malè qui ſperat, nam & qui malè conſulit; his
Spe ſine conſilium, & ſpes ſine conſilio. [*eſt*

AD AMICVM QVEMDAM.

DONATVS *ecquo gratiore munere*
Mentem potißimum forem
Exhilarandus, ubi
Mihi daretur optio liberrima;
Quater rogaſti ſexies:
Seria meque petis
Reſponſa, donaturus id quod dixero.
Noctis vices conſidera
Quæſo, vicesque die;
Solemque ſurgentem cadentemque adſpice:
Metas ſtatutas noſtra habet
Vitaque morsque pares.
Quod ſignat horas terminos vitæ brevis,
Et mortis indices, opus
Me juvat AVTOMATON.

Vuuu

Digitized by Google

AD SIMONEM FABRICIVM FRANCVM.

VOLFIVS *astronomûm justâ rimatus amussi*
Momina natali lápsaque & orta meo,
Bis senum & scrutatus iter septemque planetas,
Cértaque maturo sidera fixa polo;
Sponderi mihi ait juvenili fronte puellam.
Dum maneo cælebs, nulla puella mea est.
Ecquid opinaris FABRICI? *præstatne manere*
Sic vacuum, an plenâ ducere dote nurum?
Si patienda venit sors aspera, mitior uni est
Quàm geminis. duplicis quo mihi damna viri?
Libera vita placet. Qui se ultro mancipat arcto
Ipse jugo, adstrictus sit grave ferre jugum.

MELLIFLVOS *equidem thalami proponis amœna,*
O FABRICI, *curis pharmaca digna meis;*
Commemoras Suevâ magnos & in urbe patronos,
Quorum operâ placitus concilietur Hymen:
Sed me Saturni Martisque proterva moratur
Vis, & in obliquum cauda Draconis agit.
Francus amo Suevas, & easdem semper amavi
Plus etiam nostræ gentis Amazonibus.
Quid si fata monent aliud? Durissima res est,
Heu monitor, saxum volvere Sisyphium.

DE PETRO VICTORIO ET PAVLO MANVTIO.

SEDIS *Romuleæ duo patroni,*
Antiquæ fidei duæ columnæ,
Petrus scilicet atque Paulus urbe

Edidit autem ex eodem Quintiano
Declamationes duas, quas Pro Sabino
Calidiano vocat, per reos eum
Ringius Epistolas duo priores,
Ad Regem quas Gallum.

AD M. ANTONIVM MARSILIVM.

NE nunc quidem, Marsili, ut
homini, (ut tuus ego sum) tibi, (Antiquo
Gentis Marsiae) mihi, (qui nec Antiquus
sum, & Gentis tuae,) tuli tam grave nomen,
quam quod Antiquitatis, & Gentis tuae, ut
Antiquo, & Gentis tuae, mihi videor.
Quare ut Antiquo, & Gentis tuae, ut
Antiquo, & Gentis tuae, ut
Antiquo, & Gentis tuae, ut

AD LEONARTVM VNCIVM TRANSSILVANVM.

RES gravis, & magni momenti est, gesta potentum
Eruere e tenebris bellaque prisca ducum:
Sed longè maius gravioque, his reddere lucem,
Vt nitcant radiis astra vetusta novis.
Sedulus hoc facere es pridem feliciter VNCI
Nisus, in ornandis regibus Hungariæ.
Tanto inter stellas fulgebis clarior ipse,
Quanto illustrabis clarius acta ducum.
Historiæ lux est sic scribere, ne sit egenus
Rex meritis, auctor laude, nitore liber.
Laudo propositum. rem confice. Qui sibi metam
Fixit, ad hanc alacri fas pede currat iter.

AD POMPEIVM PROSPERVM.

PLVRIMA pictorum quoties mihi visa figura est,
Quâ nihil effictum pulchrius ars dederat;
Rebar naturam sollerti vincier arte,
Vivaque depictis cedere membra typis.
Formosas aquè his species natúrane, dixi,
Gigneret, artifices quas peperere manûs?
Postquam Senenses adspexi PROSPERE *formas,*
Arguor erroris judicijque mei.
Has inter CASSANDRA *nitet pulcherrima, quam*
Vectus ab Eois Sol radiosus aquis.
Obstupuit novus hac visâ mirator Apelles;
Peniculo abjecto mox pudefactus ait:
Desinite, o artis consortes, pingere Divam:
Pulchrior ut Venere est, plus ea quàm Venus est.

Digitized by Google

QVALIS *ab ignitis ſcintilla reſúlgere lamnis*
Forte, coruſcanti plena calore, ſolet;
Sic radiis oculos ſpectantum urentis, utroque
Face Caſſandræ lumine jacta micat.
Vt vidi, inde tuli læſos hebetatus ocellos.
Nequicquam Lynceus ad radioſa fui.
Si me non fieri cæcum vis; has ut obortas
Sole mihi tenebras, dic, fuget illa ſuo.
Ni potis hoc facere eſt; ſpectem tibi usque micantes,
Dum Thamyras fiam Teireſiasve, genas.
Sic occæcari juvet. hanc vidiſſet Homerus,
Non cæcus formæ præco futurus erat.
POMPEI, *dimoveas aciem. Radiantis ab uno*
Caſſandræ Lynceus talpa ſit intuitu.

DE CASSANDRA PASQVINA, PETRVCIA.

DVLCE *ego ridentem Caſſandram, & ſuave jocantem*
Jucundêque loquentem
Audivi, vidi, ſenſi. Riſuque jocisque
Illiusque loquellâ
Dulcius eſſe nihil pote, nil pote ſuavius eſſe,
Nil jucundius usquam.
Oh ſtupor eſt, cui non Caſſandra valentior una
Sensûs auferat omnes!

GORGONIS *intuiti faciem, duriſſima facti*
Marmora præsenti dirigiuere metu.
Caſſandræ placidos ut vidi lætus ocellos;
Delicui in ceræ mollior ipſe modum.
Quid reffert; utrum, ſi vitam amittere oportet,
Liquida tu fias cera, rudisne lapis?

AD ANDREAM WOLVFGANGVM POLEMIVM BARONEM.

GRATIA, *forma, decus si cui censentur inesse*
Nymphæ, quæ cuncti maxima dona probent:
Crede mihi POLEMI, *vel nulli hæc dona, vel uni*
Maxima CASSANDRÆ *censor inesse puto.*
Divarum genitrix produxit Etruria plures,
Quas reliquis omnis prætulit Ausonia:
At CASSANDRA *illas omnes sic dotibus antet,*
Vt Jovis uxorem & Pallada bella Venus.
Ecquis non summè veneretur, honestet, adoret;
Quam summè extollunt gratia, forma, decus?

AD PETRVM VICTORIVM FLORENTINVM.

OPTIMVS *ecquonam merito tibi dicor amicus,*
VICTORI *cunctis semper amice bonis?*
O aliquo præstare virum conamine possem,
Hæc tibi quo bonitas experiunda foret.
Tu venerande senex & amande probissimus audis
Doctâ SCALIGERI *voce manuque mei.*
Attestatur idem quisque optimus. optima de te
Sentit & Eous, sentit & Hesperius:
Nec falso. quem judicij sententia nostri
Poscitur, hanc animo non titubante feram:
Si melior quis eo potis esse, quod optimum habetur;
Ter tanto melior tu PETRE *habendus eris.*

AD FR. DVMESTORFIVM.

PERGERE *si Romam est animus; ne differ in horas,*
Advehat Octobres dum mora tarda vices:

Digitized by Google

Inſtat enim pluvij vultus Jovis ; inſtat Iäpyx
Turbidus, & gelidæ per juga Pœna nives.
At deſiderio licet una Neapolis omni
Sit ſatis, urenti nil rigefacta gelu ;
Te tamen Almanni revocant FRANCISCE *Penates,*
DVMESTORPHEÆ *clara propago domûs ;*
Limine ne patrio mihi non ſiſtare, priusquam
Ingruat hiberno ſidere frigus iners.
Quisquis iter faciet, faciundum ſic putet ; algor
Corpora ne ladat, neu ferus ora calor.
Nam quibus haud ab rebus abeſt aliquanta voluptas ;
His & onus leve fit, nec gravis ipſe labor.

AD FR. HIPPOL. HILDENSÆMVM.

ILLE *ego, qui Romæ fueram* FRANCISCE *ſerenus,*
Cantando variis carmina læta modis ;
Angor nunc animo, crudâ vepallidus irâ,
Sollicitans mutæ fila remiſſa lyræ.
Non vel hiems, vel tempeſtas obnubila, fronti
Mæſtiter induxit tetrica vela meæ :
Atrum peſtiferæ virus nos adflat echidnæ,
Et vetat anguſtos molliter ire dies.
Cur (aies) cur non excétram interficis iſtanc,
Si potes ? ah poſſem ; ſed mihi poſſe nocet.
Dextera quæ forti bene præſtat ab Hercule robur,
Sanguine non hydræ conſceleranda venit.
Stat Nemeſis, vibratque ictum. Non ultio vana eſt,
Quæ vel poſticas excubat ante fores.

IN EMBLEMATA NICOLAI REVSNERI LEORINI.

VERMICVLATA *recens ſculptis Emblemata ſollers*

Digitized by Google

In medium profers o LEORINE *typis;*
Quæque viri geſtant clari conformia rebus
Symbola non vanis pingis imaginibus.
Quàm mea mens operis quodcumque eſt cernere geſtit!
Quàm legere id pæti carmen avent oculi!
Nam dum perpendo mecum quæ, qualia, quotve
In lucem ediderís ſcripta polita prius;
Ars, labor, ingenium non abſore jam modò natis
Creditur; ut verè dicere Muſa queat:
Ars gravis artifices, induſtria nava laborem,
At labor exercet ſtrenuus ingenium.

AD THEODORVM CYSSAM.

DVRA *procelloſi maris exſuperaſſe videbar,*
Jamque legens portum molle natabat æer:
Tempeſtate nova quum deferor actus in altum.
Franguntur remi turbine, temo cadit;
Anchoraque intortos dirumpit jacta rudentes.
Alliſu ſcopuli quaſſa carina perit.
Nunc fluctûs inter dependeo caute, minaxque
Nil minus adploſum verberat unda latus.
Stet mare tranquillum, noſtræ quis amice ſaluti
Conſulet? In tutis fluctuo CYSSA *vadis.*
Præſtiterat periiſſe ſemel, ſi naufraga jam bis
Partâ ſervari vita ſalute nequit.

AD FR. HILDENSÆMVM.

HILDENSÆME, *tuo didiciſti*
Cum periculo,
Quàm ſit iracundus Hadria.
Felix, qui tumidum rate numquam ingreſſus eſt mare!
Tutior ſolo eſt via, ac ſalo.

Digitized by Google

AD IACOBVM MADERVM AVGVSTANVM.

DISCVPII MADERE tuos ut cernere nummos,
Antiquum Romæ flore vigentis opus:
Sic desidery mage nunc accenditur ardor,
Sponte tuâ ostensos te cupiente typos.
Prisca placent: novitas prope nil mirabile promit.
Vtque aliquid promat res nova; prisca placent.
Ecquis Teutonicis tantas ratus esset in oris
Servàri senio nobilis æris opes?
Imperium Cæsar, Latiam schola plurima linguam
Possidet, & Græcis artibus ora patent;
Denique abundamus peregrinæ dote Minervæ:
Quis Romam in longâ quæritet Hesperiâ?

AD PAVLVM COLERVM ET IOAN. GVLIELMVM LOEFELHOLZIVM.

QVOS ego quæsieram Veronæ in mœnibus altis,
Vt simul Insubrum perficeremus iter;
Obtulit Augustæ primum Fortuna repertos,
Te PAVLE, & nitidis te GVLIELME comis.
Tendimus a Lyciis undis properanter ad Istrum:
Trajicit Almonis pons salebrosus aquas.
Inde Lares petimus, qui Norica tecta frequentant:
Hæc requiem longæ spero datura viæ.
O salve Pegnesse pater: tu gratior Arno,
Gratior & Tiberi, cornigeroque Pado.
Externi valeant. dat patria terra, quod opto.
Felix qui didicit propria nosse bona!

Digitized by Google

AD IOAN. MICHAELEM BRVTVM.

CVM Manes in te vivo penitrasse vigore
Et Livij & Sallustij
Noris BRVTE, *& idem fateatur quisque bonorum,*
Qui scripta lectitant tua:
Tun' censes animas sese insinuasse Melissa
Horatij atque Pindari
Consimili ritu? pol me ac te decipis errans.
Vmbra, umbra, quam prendi, fuit;
Atque ea non tota aut omnis, sed particula umbra
Parentis inter somnium.
Posteritas quid dicet ad hoc, quòd tu arte magistrâ
Ex ape facis Lucam bovem?

AD IACOBVM MONAVIVM.

RETVLISSE pro Atticâ drachmâ Atticum talentum
Brutus inquit, Hadrianorum optimus virorum; [tum,
Et meum unum carmen illud unicumque pluris
Æstimat, quàm pondo plurima Atticum talentûm.
Heus MONAVI, *Brutum oportere esse dico Regem.*

ANDREÆ DVDITHIO CÆS. LEGATO.

CVM dare non aliud possim pro tempore munus,
Accipiet strenæ Norica nostra loco
DVDITHIVS, *fixis penitissima cura medullis:*
Pieridum & Phœbi gloria DVDITHIVS;
Idemque eloquij princeps, & in arce Minervæ
Supremo positus, quem dedit ipsa, throno.
Accipis, an renuis? tuus error me sibi lectum
Anne poëtarum ceu coryphæon amat?

Digitized by Google

Fallimur. ipſe ego te potius (moriarque niſi id res
Monſtret) amicorum ceu coryphæon amo,
Debita virtuti tamen haud ita munera ſolvo.
Munera quis ſolvat debita DVDITHIO?

AD PHILIPPVM GEVDERVM TRIVMVIRVM NOR.

ALGIDA *dum cæli glaciales aſperat auras*
Bruma, diesque brevis contrahit Ægoceros;
Fervidus in lucem ſtudui dare, vivere longum
Digni, CROPACII *nobile vatis opus.*
Quòd ſi carmen amas, ut amas GEVDERE *libenter;*
CROPACII, *noſtro nomine, carmen ama.*
Hoc tibi jam ſtrenæ vice porrigo, tu mihi contra
Priſtina ne mentis ſubtrahe ſigna tuæ.
Sed quei ſubtraheres? e vultu lucet amico
Gratia, cui gravitas it genuina comes.
Temperiem o miram! Peream, niſi pectore in uno
Tu mihi Chryſippus, tu Plato, tuque Solon.

AD IOACH. POEMERIVM.

SVRGIS, *an in lecto ſævus te calculus ægrum*
Detinet, indignis excruciatque modis?
Heu quibus adverſis obnoxia ferre neceſſe eſt
Pectora! quàm multis membra gravata malis!
Morborum pereat genus omne, vel ipſa nocentum
Adfligat diris corpora vulnetibus.
Qui bonus in tantum es IOACHIME, *ut nemo ſit ute melior; quin ſis ipſa adeó bonitas:* [quam
Quei ſit, uti vexere malis? cruciere dolorum
Morſibus? Humanum eſt triſtia quæque pati.

Digitized by Google

Scilicet in vivis regnat mors : imperat ægrum
Fortibus : & vivi mortua turba sumus.

AD NICOLAVM REVSNERVM.

CARMINE *Danubium sistebas ante rapacem,*
REVSNERE *Aonio maxima cura gregi.*
Nunc Rheni celeres remoraris versibus undas,
Inque dies maius crescit honore decus.
Famque tuos Musæ cupiunt edíscere Fastos,
Atque opus ad seros transdere posterigenitos.
Dignum operæ pretium. Tu vitam porrigis annis,
Contra anni vitam non tibi perpetuent?

AD IOACH. POEMERIVM.

DVM *sedeo, & totas noctesque diesque fatigo,*
Nil parcens operæ, nil studiisque bonis :
Noxius in dextrum mihi destillavit ocellum
Humor, ab offenso proveniens cerebro.
Te lapis in fundo vesicæ natus acerbat,
In lectoque domi te IOACHIME *tenet.*
Vt bene sit nobis, optamus uterque; cavente,
Ne morbus fiat tempore deterior.
Ausim ego te malè habens malè habentem invisere, post
Peius & ipse habeam, peius & ipse habeas? [ma

AEGRA *diu conjux fuit, æger & ipse fuisti:*
Nunc ægras natas febris anhela quatit.
POEMERIÆ *unde domo morbi mala semina nata?*
Vnde ortum macies exitiosa trahit?
Nimirum DEVS *exercet, quos diligit. Inde*
Cuique sua est variis pœna ferenda modis.
Vult etenim, emineat tandem Patientia victrix,

Digitized by Google

Proculcetque mali fortiter omne genus.
Deme ægris tolerantem animum: quid reſtat opellæ?
Vi nunquam, at miti vincitur arte dolor.

GEORGIO POBLINGERO.

TV quoque noſtra teris faciles Schediaſmata nugas,
Quas Hagius modicum munus habere dedit.
Quin potius veteres POBLINGERE *volve poëtas;*
Plus quibus ingénij, plus gravitatis ineſt.
Conatus fari tamen, ut queo cumque, Latinê,
Ad Romana aliis monſtro theatra viam.
Lingua vetus periit, periit vernacula linguæ
Proprietas. paucis noſſe Latina datur.
Teutonas inſulſi corrumpit opinio vulgi,
Compede quæ paſſim vincta Lycea tenet.
Et miramur adhuc, ſi, quotquot poſſe videntur
Voce loqui Latiâ, Barbara verba crepent?

IANVÆ INSCRIPTVM
In ædibus Lazari Hartſorferi, Norimbergæ.

MAGNVM EST, QVVM VIM POSTERIS RELINQVERE: SED MAIVS, ÆTERNI DECORIS GLORIAM.

AD PAVLVM DVLNERIVM.

OPTASTI toties Brunſcorni cernere honores,
DVLNERI, & medicas quas tulit hortus opes.
Speraſti toties eiusdem cernere nuptam,
Poſt iter & ſeræ tædia longa moræ.
Vtrumque ex voto evénit tibi. duplice quippe

Digitized by Google

Compos percepſti gaudia miſta modo.
Quam ſperas ſortemque optas fore poſtmodò, nec ſpem
PAVLE *nec optatum terminet illa tuum;*
Sed multo potiora ferat. Tua candida conjux
Et genitrix ſponſi tot bona participent.
Optima qui loquitur, quique optima ſentit, eidem
Fas eſt ut bonitas optima quæque duit.

AD IOACH. POEMERIVM, SENAT. NORIBERG.

MACHINVLA *horologi, ſubtile opus ære coruſci*
Teutonis artifici facta ſonora manu;
Quod mihi nil merito munus IOACHIME *deliſti,*
Immemorem nunquam me ſinit eſſe tui.
Nam ſeu mobilibus rotulis certam indicat horam,
Sive ante Auroram ſurgere mane jubet;
Temporis admonitu, rectè diſponere ſuades
Solis ad emenſas cuncta tributa vices.
Interea tam nocte tui quàm luce recordor,
Dum memorant nomen tinnula ſigna tuum.
Perpetuum dures o machina, ceu volo durent
POEMERIO *grates quas ago perpetuum.*

MATTHIÆ OXYANDRO.

SPERABAM *fore, patriis in oris*
Vt dehinc retinerer, OXYANDRE,
Poſtquam ab Italicâ reverſus eſſem
Terrâ. ſed modò Franciam relinquo,
Galliamque iterum peto inquietam.
Tu cura ut valeas, memorque noſtri
Rhegneſſo voveas trecenta ſerta,
Soſpes ut redeat paternam in oram,

Digitized by Google

Qui te insignibus auxit atque fratrem,
Nullo tempore postmodum tacendis.
Felix, qui suus est, sibîque certam
Sedem fixit: inops, malæque sortis,
Semper cui peregrina humus terenda est.

AD CHRISTOPHORVM HOMAGIVM DELICIANVM.

AGNELLVM *mihi cur* HOMAGI *carissime donas*
Annello insculptum? Mitius anne tuo
Vt nihil ingenio est, sic miti corde Melissum
Hoc dignum in primis munere rere fore?
Lanigeræne exstem pecudis, quæ perdidit Hellen,
Aut memor illius velleris aureoli,
Quod tulit Æsonides? quæcunque est causa, geremus
Nobile Theseæ pignus amicitiæ.
Cæsaris & regum valeant pretiosa metalla:
Cæsaris & regum vincit hic agnus opes;
Ac quidem eo mage vincit opes, quo Cæsare & ipsis
Regibus est magno maius in orbe nihil.

AD Io. AVRATVM.

SPARSERAT *audaci totam rumore per urbem*
Celtarum querulos nuncia Fama sonos,
RONSARDVM *fatis heu conceßisse poëtam,*
Et cassum vitâ jam posuisse caput.
Famque typis AVRATE *novis excusa volabas*
Nænia, funestis exululata modis.
Addita Regis erant decreta jubente senatu,
Ne quis eam chartis æmulus exprimeret.
Post paullo ostendit scriptisque labrisque disertis
Ipsemet in vivis esse animatus adhuc.

Mendax Fama! morine queat RONSARDVS *hic, in quem*
Mors violenta nihil fátaque juris habent?

AD CAROLVM ZEROTINVM BARONEM.

CAROLE *præfulgens* ZEROTINÆ *gloria gentis,*
Magnus honor Phœbi, Pieridumque deus;
O festine redi Ligerini a fluminis undâ,
Et propera ad nostros irrequiete Lares.
Te desideriis exspectant CAROLE *magnis,*
Quos Zernembliacæ clarat origo domus.
Te mecum nivei suspirat cura Lavini,
Suspirat crebris Dulcis anhelitibus.
Vota Jovem tangent. imo nam pectore de te
Jugiter hæ voces nocte diêque sonant:
Salvus & incolumis velut hinc Zerotinus abivit,
Ad nos sic redeat salvus & incolumis.

NICOLAO MAIGNANI.

HVMANITATIS *atque benevolentiæ*
Quòd signa plurima exhibes Baronibus,
ZERNEMBLIORVM *gente præclustri satis;*
Sanê profecto candidê, & (quod nobilem
Exornat) ingenuê atque laudatê facis.
Quid polliceri, quidve contra ambo tibi
Offerre possint, præter hanc animi fidem
Verumque amorem, quo velut pensent tuum
MAIGNAN *favorem? Quippe amore mutuo*
Fidêque toto in orbe nil præstantius.

WENCESLAO LAVINIO.

VIGINTI *irrevocabiles & unum*
Annos signiferi repentè volvens

Exegit

Digitized by Google

Exegit rota, cum ſonorum ad Albim
Alter primitus alterum eruditæ
Conſpexit ſtudiis coli Minervæ.
Iam nos Sequana conſpicit ſodales,
Parique excipit una menſa victu.
Non abeſt Catharinus ille DULCIS,
Hæc qui fercula ſuavitate condit.
Quòd ſi cetera tam bene ac beatè
Haberent, neque Galliam furores
Vexarent iterum tumultuoſi;
Quid felicius, optime ô LAVINI
Eſſet hacce ſodalium caterva?

AD FEDERICVM MORELLVM TYPOGR. REGIVM. DE FLORENTIS CHRISTIANI ſtylo Tragico.

PAPAE! cothurno nixus Attico, novus
Æmulator Æſchyli
Sic fortioris compotem Tragœdiæ
Examuſſim originem
Expreſſit, o MORELLE, *pérgravi ſono*
Romulisque verſibus;
Vt ſi quis inter ſe ambo contulerit, palam
Iure juret optimo,
Ceu CHRISTIANI *hæc verterit de ſchematis*
Æmulator Æſchylus.
Quis hoc vel illo loquitur accuratius,
Aut tonat potentius?
Dubium eſt, in utro Genius inſit fortior,
Spiritusve grandior.

Vigere in hoc FLORENTE *Gallia abneget*
Atticiſsimum Æſchylum?

IN TRAGOEDIAS A Q. SEPT. FLORENTE CHRISTIANO Latiniſsimè converſas.

Aeschylon & Sophoclem, præluſtria lumina
Euripidisque dramata ſcenatica, (vatum,
Scriptaque Ariſtophanis, Romanæ munere digno
Qui civitatis, purimè ſcitus loqui,
Donaſti FLORENS; *quæ præmia rurſus ab illis*
Aut noſtro ab ævo munis exſpectes opum?
Gloria, laus, & honos, & fama, potiſsima merces,
Tuo labori fenerant faventiam,
Nomen & immortale. Quid ultra numina poſcas?
Vivi loquuntur quisque pectore ex tuo,
Æſchylus & Sophocles cũ Euripide, Ariſtophanesque.
O quatuor animarum unico in te copulam!

HIERONYMO GROSLOTIO LISLÆO.

LISLÆE *Aonidum perennis ardor,*
Verè CORTINIVM *ſodalem amaſti,*
Amaſti GVLIELMIVM *ſodalem:*
Quod Manes utriusque confitentur,
Amoremque reciprocum ſub umbris
Teſtantur, tibi debitum omne in ævum.
Tu ſi me ſimili fide atque amore
Dignarere, quod eſſet utriusque
Noſtrum amore fidêque in hisce terris
Excellentius evidentiusve?

Digitized by Google

AD Q. SEPT. FLORENTEM CHRISTIANVM.

ADDVCIS *mihi*, CHRISTIANE *Florens*,
BINETVM BONEFONIVM*que doctos*
Præclarosque viros, meique amantes.
Quid mi gratius esse pensiusve
Possit, quàm similes tui meique,
Id est, candida corda & absque fraude,
Complecti ex animo; medullitusque
Amare, ut soleoque debeoque
Nostrum Scaligerumque Lipsiumque
Et Dousam, mihi in intimis medullis
Hærentes, oculisque in obstinatis
Sic fixos, ut abire nuspiam aussint
Nec possint? Mihi dempseris amicos,
Vnâ omnis mihi dempta erit voluptas.

CATHARINO DVLCI.

QVAM *doleo tristorque animo,*
Mi Catharine DVLCIS,
Te a nobis meditante abitum
Nescio quas in oras!
Baro itidem Zernembliades,
Et Zerotinus ille
Carolus, Aonidum splendor,
Et facies Lavini
Candida, morosêque ferunt
Iuppiter & molestê.
Si tamen ire paras, neque te
Vota morantur ulla;
Heic aliquam nobis ex te
Linquito Dulcitatem.

Digitized by Google

AD IANVM HESYCHIVM BREMANVM.

HESYCHI relinquis omnes,
Quos habere tecum amas;
Me quoque, in tuo libello
Cui locum Tyche dedit.
Sic repentè deseres tam
Nobilem Lutetiam?
Sed qui habere tecum amarunt,
Te negant relinquere.
Neminem tamen revises
Nostrum, ut arbitror, dehinc,
LIPSIVM nisi atque DOVSAM,
Ad Batáva litora.
Iure opinor hercle. Quippe
LIPSIVSque DÓVSAque,
Vni & unici sodales,
Sunt tibi instar omnium.

LECTORI.

TAEDIA concipias ne plura, quiesco. Quiescè
Tu quoque, & has Apinas consule quaeso boni.
Tædia compensare tamen si nostra laboras,
Par hostimentum da Philomuse pari.

AD ROSINAM.

HEVS praecede semel, praecede ROSINA, sequuta
Huc usque Reginæ meæ vestigia:
Claudere nam propero populares opuscula chartæ,
Vt virgine a quâ cœpi, in illâ desinam.
Tu me semper ames volo, ceu te semper amavi;

Digitized by Google

In posterumque alas amoris fomitem :
Sic quo finiero plures veteresque libellos,
Recentioris ordiar plures notæ.
Tu das ingenium, das famam. Nonne ego felix,
Cui donat immortale præmium ROSA?

AD ELISABETHAM ANGLIÆ REGINAM.

VENIMVS *ad calcem noni* REGINA *libelli:*
Vt statuam, suades fessa Camena, modum.
Morigeror. nimius pervibebor forte, loquaxque
Præter naturam more fuisse novo.
In te laudandâ nimius nego, Diva, fuisse,
Laudis ut ardescam prodigitate tuæ:
Quam, si suppeditat mihi vita, tenore perenni
Fert animus relegis continuare libris.
Tractus in hunc amplum labyrinthum laudis, ut inde
Extricer proprio consilio, quid agam;
Si nec principium reperire, nec adficere ullum
Scit medium, aut finem ponere Calliope?

Digitized by Google

INDEX TITVLORVM TERTIAE PARTIS.

A

ABelus Strasburgus I c. 243. 244.
Acacius Hylsius I c. 52
Achilles 104
Achilles Gaulius 18. 162
Adolphus Comes Nuenarius 27
Adolphus Occo. 237. 242 bis.
AEgidius 13
AEnigma 127
Aldus Manutius, Pauli F. Aldi N. 20. 232. 307.
Alfonsius secundus, Ferrariæ dux 257
Aloisius Carretanus, Marchionis Finarij F. 219
Amicus 261. 305
Amor 164
Amoris impotentia 123
Anacreontis Græcum Latinè redditum 34
Andreas Dudithius, vir illustris 155. 230 314
Andreas Gabriel musicus 118.
Andreas Melvinus Celurcanus 226
Andreas Mergiletus Alphipolitanus 79. 180 304
Andreas Routæus 123
Andreas Voltus Rineccus, nob. Franc. 74 bis. 173
Andreas Vvolufgangus Polhemius Baro 310.
Anna Pallantia 81. 82. 194 quinquies. 246. 295
Antonius Geuder, senator Norimb. 114. 239. 245
Antonius Piso 294
Apicula Rosæ insidens 86
Arnoldus Ferrerius, Regis Franc. ad Venetos orator 232.
Arnoldus Sittartus 249
Arquus cælestis 180
Arviæ inundatio 256
Augerius Gislenius Busbequius, Cæs. consil. 56
Aulicus splendor 132
Aulus Gellius 56. 148
Auri vilitas 50
Auspicium anni 181

B

BArnabas Pœmerius, Ioachimi F. 190
Basium 103
Basium liquidum Ibid.
Benedictus Georgius, part. Venetus, Aloisij F. 270
Bernardus Paludanus 271

C

CAElius Secundus Curio 254
Calliope 281
Callithoë fons 46
Camilla Morella 96. 248
Camilla Veneta 44
Carolus Comes Zolleranus 103
Carolus Hœrnicus Preslæus 17

Digitized by Google

Carolus Imhofius, patric. Nor. 148
Carolus quinctus, Ro. Imp. 10.
Carolus Sigonius 229. 231 233.
Carolus Vrenhovius, C.F. 14. 97. 98. 145. 262.
Carolus Zerotinus Baro. 320.
Caſpar Cropacius Pelſinenſis 41. 185.
Caſpar Peucerus 88
Caſpar Seitlizius, nob. Sileſius 18
Caſſandra Paſquina Perrucia. 272 309 bis terque.
Catharillidis oculi 275
Catharinus Dulcis 323
Charilaus 42. 194
Chriſtophorus Andreas Iulius I c. 241
Chriſtophorus Comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ. 11. 16. 65. 69. 90. 95 217. 255 257. 288.
Chriſtophorus Comes Zolleranus 103
Chriſtophorus Ehemius Iuriſc. 41
Chriſtophorus Fabius Iulius I c. 241
Chriſtophorus Fyrer, Senator Norimb 28
Chriſtophorus Herdeſianus I C. 302
Chriſtophorus Homagius Delicianus 80. 154. 319
Chriſtophorus Iulius I C. 240.
Chriſtophorus Plantinus 289.
Chriſtophorus Salicetus Græcinus 34
Ciconia 124
Claudius Ancantherus Auſtraſius 138 quater.
Claudius Goudimel muſicus 99. 263
Claudius Maillardus Aurelianus 127. 153
Cleio 7
Clemens Clemens 102
Columba 124
Cometes 280
Commilitones 14
Conradus Albinus 130
Conradus Dinnerus I C. 75. 267.
Conradus Leius Orocrenius 80
Conſtantinus Zopyrus 151
Cotaſius 47 bis
Corona Boréa 254
Corona ex Roſmarino 168.
Crocus 86
Cryſtallus Roſinæ. 166 ter.
Cupreſſus 85

D

Daniel Rogerſius Anglus 255
Danubius fl. 12
David Heliconius 154
Dialogus 151
Diſtichon ianuæ Lazari Harſtorferi inſcriptũ 317
Diſtichon inſontem Sprẽgeri 72
Diſtichon ſportulæ inſcriptum 170
Diſticha in Venetorum victoriam 19

Digitized by Google

E

EBerhartus Ehemius, Christophori F. 70
Eitelfridericus Comes Zolleranus 103.
ELISABETHA Regina Angliæ 7. 8. 9. 10 32. 60. 87. 125. 126. 129. 158. 160 bis. 215. 251. 252. 256. 281 282. 283. 325.
Epigramma de Conrado Limmero, in itinere Hailesbrunnensi 276
Eraſmus Neuſteter Styrmer, nob. Fr. 268.
Eraſmus Poſthius, Ioannis F. 197
Erato 158
Erneſtus Archidux Auſtriæ 220.
Eſromus Rudiger Pabepergenſis, Meliſſi præceptor 20.
Euphroſyna 33 bis. 134
Euterpe 32

F

FAbianus Donæus Burggravius 22. 260
Fabricianæ ſcholæ alumnus 70.
Federicus Morellus, typogr. regius 321
Ferdinandus Rom. Imp. 10
Ferdinandus Comes Pal. Rheni, dux Bavariæ. 218
Fortunatus Crellius Carinthus 177
FRANCIA orientalis 216.
Franciæ Dux 218.
Fráciſcus Averlius Minæus nob Gallus 36. 68 bis. 71. 73. 171. 173. 228. 296. bis.
Franciſcus Dumeſtorſius nob. 310.
Franciſcus Galenius nob. 175. 218. 264. 261.
Franciſcus Hildenſæmus, Hippolyti F. 77 bis. 271. 273. 311. 312
Franciſcus Modius Brugenſis 81
Franciſcus Petrarcha 188
Franciſcus Portus Creterſis 107. 186.
Franciſcus Vienna, Claudij Ant. F. 25. 295.
Fridericus Albertus Helpergius, nob. Franc. 104
Fridericus ſecundus, Rex Daniæ 15. 20.
Fridericus tertius, Comes Pal. Rheni, dux Bavariæ, ſeptēvir. 67. 101. 131. 287.
Fulvius Vrſinus, civis Romanus 263

G

GAbriel Scheurelius 155
Gelodacrya Petri Enoci 39
Gemellus, nobilis Palat. 35
Georgius Avetlius, nobilis Gal. 41. 58. 223. 298.
Georgius Buchananus Scotus 92. 269.
Georgius Cæſius, aſtro-

Digitized by Google

nomus 276
Georgius Eraſmus Tſchernemblius Baro 161
Georgius Fridericus Marchio Brandeburg. 21
eiusdem natalis 22
Georgius Ludovicus Huttenus, nob.Franc. 26. 242.269.
Georgius Ludovicus Sensheimius Baro 23
Georgius Palma,med.Nor. 50.148.243.
Georgius Paulus Nyzelius 79.81.
Georgius Poblinger 317
Georgius Senæus Comes 100.259.
Georgius Volcamer, ſenator Nor. 116.117.278
Gerartus Falkenburgius. 130.
Guillelmus Salluſtius Bartaſius 279.
Gyntrespyla,prędium Ioachimi Pœmerij. 78.

H

Hadrianus Iunius 262
Hartmannus Hartmānides Eppingenus 83. 92. 260.
Hedera lauro implicata. 85
Henricus a Sabaudiâ, Nemorenſis 64.
Henricus Liſtrius. 149
Henricus Porſius Iuriſcon. 234.
H. R. N. 288
Henricus Stephanus Pariſienſis, 18.67. 224.235.285 290 ter.
Hercules Ciófanus Sulmonenſis. 142. 234 quater. 235.
Hermānus Comes Nuenarius 94
Hermānus Folkerſemius, nob. 95
Hermannus Vvidekindus 296.
Heſperus 280
Hieremias Reuſnerus 150
Hieronymus Baumgartner Triumvir Nor. 112 338. 247.
Hieronymus Cavellatus Pariſienſis 84. 250.
Hieronymus Groſlotiꝰ Liſleus, nob. 322
Hieronymus Marneſius 249
Hieronymus Mercurialis 111 bis.
Hieronymus Schyrſtabius, Senator Nor. 113
Hieronymus Vvolfius Oettingenſis. 42. 45 bis. 67.91 bis.96. 134. 137 .226.305
Hirſo 133
Hirundo 124
Hubertus Languetus Burgundus 302
Hugo Donellus Iuriſc. 99
Hymen 203

I

Iacobus Antonius Gromis, Eq.auratus 273. 274
Iacobus Edinton, Regum Franc. muſicus 122
Iacobus Fugger, Comes 238.

Digitized by Google

Iacobus Heideccus Anhaltinus 301
Iacobus Kimedoncius. 102
Iacobus Mader 313
Iacobus Meilandus muſ. 91.101.
Iacobus Monavius. patricius Preslæus 298.314
Iacobus Paſcharius 128
Iacobus Randolphus 188
Iacobus Tomingus I C. 243.
Iacobus Zabarella Patavinus, nob. 270
Ianua 143
Ianus Antonius Baiſius 58 122.123.57.200.
Ianus Antonius Saracenus 224.
Ianus Douſa Nordovix, nob. 25.66.144.147. 182.199.
Ianus Douſa, Iani F. 201
Ianus Gulielmius Eumolpius 49.156.197 ter.
Ianus Heſychius Biemanus 324
Ianus Iacobus Boiſſardus 25.38.55.59.69.
Ianus Lernutius, nob. 112
Ianus Matthæus Vaquerius, qui & Coraſius .108 110.181.187.266.
Ianus Mellerus Palmerius 78.
Ianus Saburbius 157
Iaquelynna Gheſelli 57
Immanuel Tremellius 291 bis.
Ioachimus Alramer 187
Ioachimus Nyzelius, ſenator Nor. 146.145.
Ioachimus Pœmerius, ſenator Nor. 29. 53.78 83 120.146.153.190.191. 315 316 bis. 318.
Ioannes Adamus Vvolfeſtainius Baro 84
Ioãnes Arnimus, nob. 170
Ioannes Auratus, P. regius 222.319.
Ioannes Badehornus, Leonardi F. 244
Ioannes Baptiſta Hainzelius, Baptiſtæ F. 188
Ioannes Burcardus 266
Ioannes Caſelius I C. 300
Ioan. C. Comes Pal. rheni, dux Bavariæ 257
Ioannes Chriſtophorus Fuchſius, nob. Franc. 28
Ioannes Chriſtophorus Tſchernemblius Baro 261.
Ioannes Cnipius Andronicus 185
Ioannes Crato Craſthemius, Cæſſ. med. & conſ. 11.161.
Ioannes Egolfus Cnœrigius, nob. 284
Ioannes Fauſtus Francus chalcographiæ inventor 216.
Ioãnes Feſſer Francus 269
Ioannes Fraxineus Gothanus 53
Ioannes Fridericus Hainzelius 189
Ioannes Glauburgius I C. 133.
Ioannes Gulielmus Lo-

Digitized by Google

felholzius 313
Ioannes Hagius Francus, med. 27.37.247.
Ioannes Henricus Hainzelius. 41.42.51.52.105 bis. 135.136.145.176.185. 246
Ioannes Lauterbachius, P. Laureatus 178
Ioannes Lobbetius Iuriſc. 127.272.
Ioannes Lucienbergius I C. 287.
Ioannes Michaël Brutus, Stephani regis poloniæ hiſtoricus 314
Ioannes Molitor Noribergenſis. 24.51.147. eiusdem philomela 116
Ioannes Oporinus, typogr. Baſilienſis 65
Ioannes philippus Gelzer. 185.299.
Ioannes poppius Franc. 79
Ioannes poſthius Germerſemius, med. & p. l. 27. 30 33.37.162.176.193.197.227 267.268. 289. 291. 299 300 303 304.
Ioannes prætorianus, med. 116.
Ioannes Rosbachus 76
Ioannes Roſinus 243
Ioannes Sambucus pannonius 284
Ioannes Scheufelius 120
Ioannes Sturmius 289
Ioannes Vvarmundus Scaliger 220 bis.
Ioannes Zobellus, nob. Frãcus 73
Iohanna [vel Iana] pallantia. 97.163.165.169.
Ioſephus Scaliger, Iulij Caſaris F. 49.93.94.103 133.221.231.264.297.
eiusdem Græcum Latir verſum 16
Ioſephus Zarlinus mu 108.
Iulius Cæſar Scaliger 21 226.
Iulius Geuder, ſenator No 239.
Iuſtus Lipſius, nob. 19
Iuſtus Reuber Iuriſc. 7 128.175.285.

L

LAbor & virtus 27
Lacrimæ palmitum Ri
Lælia Patavina. 43.46.14 141 bis.
Laterna 235
Lavinia Cata 219
Laurus 85
Laurus Aureliana 6
Laurẽtius Dyrnhœfer Norimb. 79.296.302.
Laurentius Gambara 236
Lazarus Suendius Baro. 1
Lector 32
Lectorum Ital. durities 4
Leonhartus 1
Leonhartus Lechner mul 106 ter. 114.117.118.
Leonhartus Stœberlinus 5
Leonhartus Vncius 30
Lepidina 14
Libellus ſodalitij 18
Lilium album 8.
Lucifer 28
Ludovicus Carrio I C. 55 57.200.248.

Digitized by Google

Ludovicus Maſurius Nervius 17. 170. 286. 293
Ludovicus Senæus Comes 100. 259
Ludovica Saracena 167
Luna 280
Luſus Erotici ad Alcimam, Calimachum, Calliodorum, Charidemum, Charilaum, Daphnin, Eraſmũ, Menalippum, Menelaum, Mopſum, Paſiphilum, Philomuſum, Thaliarchum, Theodorum, Théſea, Theſtoriden. 206 usque ad pag. 214.

M

MArcus Antonius Muret⁹. 224. 133. 307.
Marti ſacrum 19
Martinus Cruſius, utriusque linguæ profeſſor 29
Martinus Schillingus Sileſius 110
Matthæus Coraſius, qui & Vaquerius 47. 141
Matthæus Delius 266
Matthæus Gregorinus Tulechovius, Iuriſc. 35
Matthias Anomœus, med & P. L. 77. 143. 236
Matthias Oxyander Conſtãtienſis 318
Matthias Thamaſius Thuringus 76
Maximilianus ſecundus, Rom. Imp. 11
Melchior Leucorinus 196
Meliſſus ad ſeipſum 39
meliſſi cognomentum 61
Meliſſi Schediaſmata 33
Meliſſi Schediaſmatum reliquiæ Ibid.
Meliſſi Germanicum Latinè verſum 258
Meliſſæum Petri Beuterichi 72.
Meliſſophyllon 86
Melpomene 87
Michaël Bernhartus Melrichſtadius 96
Michaël Beutherus Iuriſc. 222.
Michaël Cormæus Paxius 15. 76.
Michaël Rauënbuſchus. 199 277.
Morus 85 bis.
Muſæ 6
muſicum ſodalitium in urbe Norimbergâ 113.
Mylothrus, qui & molitor 191.

N

NArdus 16
Nathan Chytræus mezingius 136
Nicolaus Ciſnerus I C. 30. 107. eiusdem anagramma 31.
Nicolaus Clemens Trelæus 38. 68. 129. 165. 168. 172. 294.
Nicolaus Comes Oſtrorogius 152
Nicolaus Dobbinus I C. 293
Nicolaus Hiller 237
Nicolaus Maignan nob. 320.
Nicolaus Reuſnerus Leoni-

Digitized by Google

nus I C. 26.29. 227.311.316
Nicolaus Rhedinger Strisæus, nob. 47. 48
Nicolaus Rotengatter 192
Nicolaus Rudinger Pisovernas 40. 136
Nicolea & Lois Viennææ 54.
Nonæ Aprilis 22

O

OLor 114.124.
Olympia Fulvia morata 254.
Orlandus Lassus musicus 88 bis. 121.

P

PAmphila 137 ter.
Patergon 142
Paulus Coler, senator Nor. 313.
Paulus Dulner 115. 278.317.
Paulus Manutius 263. 306.
Paulus Rieter, patr. Nor. 247.
Paupertinæ opes 132
Petrus Angelius Bargæus 24. 142.
Petrus Boschius 178. 201.
Petrus D. 132.
Petrus Enocus 18. 39. 98. 162.177.
Petrus Lepidus Metensis 54.
Petrus Lotichius Secundus 63.
Petrus Paganus 59
Petrus Ramus 66
Petrus Rieter, sen. Nor. 247
Petrus Ronsardus, nobilis 97. 223
Petrus Turnerus 171
Petrus Victorius Florentinus 253. 306. 310
Petrarchæ Italicum Latinè redd. 164. 253
Philibertus Milesius 56
Philippus Geuder, Triumvir Reip. Nor. 315
Philippus Marnixius Aldegundius 16
Philippus Sydneus, vir illustris 8. 252
Philomela 124
Plantaria 53
Platina Apicius 52
Poëtæ Itali, Galli, Hispani 263.
Pollio 179
Polymnia 215. 230
Pompeius Prosper Senensis 272. 308 bis
Puella Leucorea 167

Q

QVæstio amico proposita 128.
Quinctus Septimius Florēs Christianus 221. 279. 322. 323. de eiusdem stylo Tragico 321
Quirinus 303

R

REinholdus Heidensteinius, regis Poloniæ consil 111
Rhenus fl. 12
Rheni amœnitas 76
Robertus Dudlęus, Comes

Digitized by Google

Leiceſtriæ 8
Robertus Heuſius Malleroius 200
Robertus Stephanus. 225
Ronſardi Gallicum Latinè converſum 164 286
Roſa 85
ROSINA 7. 9. 32. 60. 63. 64. 71. 73. 87. 89. 91. 125. 126. 158. 159. 160 bis. 161. 164 169. 170. bis. 172. 174. 179. bis 180. 181. 182. 189. 194. 202 bis. 215. 251. 252. 253. 254. 255. 265. 281 282. 324.
Roſinæ baſia 202
Roſinæ Cryſtallus 166 ter
Roſinæ ſuſpiria 168
Roſinæ unio 88 bis
Rudolphus ſecundus, rom. Imp. 21. 218. 219. 222.
Ruſinus 147.

S

Sapphicophalæcium 62
Saxo 35
Schediaſmata meliſſi 33
Schediaſmatum reliquiæ Ibid.
Sebaldus mynſterer 118. 119
Sebaldus Vvelſer, patric. Auguſtanus & Noricus 120. 121. 192. 240. 274. 275. 277
Sebaſtianus Baderus 276
Sebaſtianus Schefferus 99 130. 167
Sebaſtianus Vogelspergus 16
Sigefridus Rybiſcus, Cæſ. conſil. 116
Sigismundus Ehemius 72
Silvius Scaliger, Iulii Cæſaris F. 221
Simon Fabricius Franc. 306 bis.
Simon Florinus 40 bis.
Simon Stenius 227. 301
Sodalis 144
Sol 280
Spina 85
Stella nova in Caſſiopæ 256 bis.
Stephani Iodelli Gallicum Latinè redd. 66. 183
Suavium 203 bis.
Syrias Petri Angelij Bargæi 24.

T

Terpſichore 225
Thaleia 60
Theodorus Chriſtianus, Florentis F. 280
Theodorus Cyſſa nobilis 23. 65. 90. 92. 161. 269. 312
Thomas Poppelius Belchrysius 75. 303
Thomas Rediger, nob. 105. 265
Thraſybulus 35
Thraſybulus Leichtius 13
Tilia 85
Titus Laurentius Frechtus 150. 193.
Turtur 174

V

Valentinus Grevius Baccarcus 109
Eiusdem monumentum

Digitized by Google

in templo patauino. Ibid.
Victor Giſelinus 145
Viennæ ſorores, Clerevantii filiæ 54
Vitis florens 86
Vitrum philoteſium 51 ter.
Vitrum ſine pede Ibid.
Vitus polites 149
Vlrichus Sitzinger 119
Vrania 251

Vv

Venceslaus Lavinius 320
Vvilhelmus Landegravius Heſſiæ 258
Vvilibaldus Gebhartus I. C. 190.
Vvolufgãgus Iacobus Stromer, patr. Norib. 151
Vvolufgangus Zyndelinus, qui & Zopyrus 231

Z

Zollerani Comites] 103.
Zopyrus 43 quinquies. 45. 46. 47. 48. 49. 139. 140. 151. 184.

Digitized by Google

PRÆTER Cæſareum privilegium, quo auctori in annos ſeptem cavetur, qui a die uniuscuiusque operis abſoluti initium ſumere intelligantur, etiam HENRICI III. Francorũ & Poloniæ Regis privilegio ſancitum eſt, ne quis Typographorum imprimere, neu quis Bibliopolarum divendere audeat ante novennium Meliſsi lucubrationes: præterquàm ij, quibus ille annuerit; uti jam nunc ARNOLDO SITTARTO, in almâ Pariſienſi Academiâ Bibliopolæ jurato, ſecundæ huius Schediaſmatum Poëticorum editionis curam demandavit Qui ſecus fecerit; libris & pœnâ in ſanctione æſtimatâ mulctabitur, ut fuſius Regio diplomate continetur; dato Pariſiis, die xxx. Ianuarij, anno Chriſti M. D. LXXXV. Regni XI.

Per Regem.

Iacobo Auguſto Thuano conſiliario, & libellorum ſupplicum in Regiâ magiſtro præſente.

PERROT ſſr.

Digitized by Google

Digitized by Google